

INDEX TITULORUM

Index titulorum	1
Dominica prima in adventu Domini	6
Feria secunda	22
Feria tertia	26
Feria quarta	27
Feria quinta	29
Feria sexta	30
Sabbato	32
Dominica secunda	33
Feria secunda	42
Feria tertia	44
Feria quarta	46
Feria quinta	48
Feria sexta	49
Sabbato	50
Dominica tertia	51
Feria secunda	62
Feria tertia	64
Feria quarta in quattuor temporibus	66
Feria quinta	70
Feria sexta	72
Sabbato	75
Dominica quarta	78
Feria secunda	86
Feria tertia	90
feria quarta	93
feria quinta	96
Feria sexta	99
Sabbato	102
In vigilia vigiliæ	105
In vigilia nativitatis Domini	106
In Nativitate Domini	115
De Sancto Stephano	134
De Sancto Ioanne	147
De innocentibus	161

De Sancto Thoma martyre	173
Secundo die Nativitatis	182
Tertio die	184
Quarto die	186
Quinto die	188
Dominica infra octavas Nativitatis Domini.....	190
Septimo die	199
In circumcissione Domini.....	200
In octava sancti Stephani	208
In octava sancti Ioannis	210
In octava sanctorum innocentum	212
In vigilia Epiphaniæ	214
[In festo Epiphaniæ]	218
Secundo die.....	233
Tertio die	238
Quarto die	241
Quinto die	244
Sexto die	246
Dominica infra octavas.....	247
In octava Epiphaniæ.....	252
Dominica prima post octavas Epiphaniæ.....	258
Feria secunda.....	266
Feria tertia	268
Feria quarta	270
Feria quinta	272
Feria sexta	274
Sabbato	276
Dominica secunda	277
Per hebdomadam.....	281
Feria quarta.....	282
Feria sexta	283
Dominica tertia.....	284
Feria secunda.....	288
Feria quarta.....	289
Feria quinta.....	290
Dominica quarta.....	291
Per hebdomadam.....	294
Dominica in septuagesima	296

Feria secunda.....	306
Feria tertia	307
Feria quarta	308
Feria quinta	309
Feria sexta	310
Sabbato	311
Dominica sexagesimæ.....	312
Feria secunda.....	321
Feria tertia	323
Feria quarta.....	324
Feria quinta.....	325
Feria sexta	326
Sabbato	327
Dominica quinquagesimæ.....	328
Per hebdomadam.....	337
Feria tertia	338
Feria quarta in capite ieiunii.....	339
Feria quinta.....	344
Feria sexta	347
Sabbato	351
Dominica prima in quadragesima.....	353
Feria secunda.....	370
Feria tertia	375
Feria quarta.....	378
Feria quinta.....	381
Feria sexta	384
Sabbato	387
Dominica secunda	390
Feria secunda.....	402
Feria tertia	406
Feria quarta.....	409
Feria quinta.....	412
Feria sexta	415
Sabbato	418
Dominica tertia.....	421
Feria secunda.....	435
Feria tertia	440
Feria quarta.....	443

Feria quinta.....	446
Feria sexta.....	449
Sabbato.....	452
Dominica quarta.....	455
Feria secunda.....	466
Feria tertia.....	470
Feria quarta.....	474
Feria quinta.....	477
Feria sexta.....	480
Sabbato.....	483
Dominica in passione Domini.....	486
Feria secunda.....	502
Feria teria.....	507
Feria quarta.....	510
Feria quinta.....	513
Feria sexta.....	516
Sabbato.....	519
Dominica in ramispalmarum.....	522
Feria secunda.....	533
Feria tertia.....	540
Feria quarta.....	546
In cena Domini.....	552
In die parasceves.....	566
In sabbato sancto.....	575
[Dominica resurrectionis].....	585
Feria secunda.....	593
Feria tertia.....	597
Feria quarta.....	600
Feria quinta.....	603
Feria sexta.....	606
Sabbato.....	609
In octava Paschæ.....	615
Feria secunda.....	620
Feria tertia.....	627
Feria quarta.....	630
Feria quinta.....	633
Feria sexta.....	635
Sabbato.....	638

Dominica secunda post Pascha.....	640
Feria secunda.....	641
Feria tertia.....	644
Feria quarta.....	646
Feria quinta.....	648
Feria sexta.....	650
Sabbato.....	652
Dominica tertia.....	654
Feria secunda.....	655
Feria tertia.....	659
Feria quarta.....	661
Feria quinta.....	663
Feria sexta.....	665
Sabbato.....	667
Dominica quarta.....	668
Dominica nona.....	669
Dominica decima.....	677
Dominica undecima.....	682
Dominica duodecima.....	687
Dominica tredecima.....	692
Dominica quartadecima.....	699
Dominica quintadecima.....	704
Per hebdomadam.....	710
Dominica sextadecima.....	712
Feria quarta quattuor temporum.....	719
Feria sexta.....	721
Sabbato.....	722
Dominica decima septima.....	724
Per hebdomadam.....	730
Dominica decima octava.....	732
Per hebdomadam.....	736
Dominica decimanona.....	738

DOMINICA PRIMA IN ADVENTU DOMINI

sabbato præcedenti ad vesperas

Antiphona



A diébus antíquis nos audívimus ex ore prophetárum, quóniam ipse est, qui ventúrus est, cuius vita flóruit · de radíce lesse, habens impérium regni super ómnia regna mundi. **Ps.** Benedíctus.

Antiphona



Dóminum, Salvatórem nostrum expectámus, qui dat salútem córpori nostro, et confírmet in nobis claritátem suam. **Ps.** Exaltábo.

Atiphona



Gábriel ángelus locútus est Maríæ, dicens: Ave, grátia plena, Dóminus tecum. Benedícta tu inter muliéres, et benedíctus fructus ventris tui. **Ps.** Lauda, ánima.

Antiphona



María dixit: Putas, qualis est ista salutátio, quia conturbáta est ánima mea, et quia paritúra sum regem, qui claustrum virginitátis meæ non víolet. **Ps.** Laudáte Dóminum, quóniam.

Antiphona



Respóndit ángelus: Spíritus Sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi. Ideóque et, quod nascétur ex te Sanctum, vocábitur vere altíssimi Fílius Dei. **Ps.** Lauda, Ierúsalem.

Capitulum

Fratres. Sciéntes, quia hora est iam de somno súrgere; nunc enim próprior est nostra salus, quam cum credídimus. Nox præcésit, dies autem appropinquábit. Deo.

Responsorium



Ecce, dies véniunt, dicit Dóminus, et suscitábo David germen iustum, et regnábit rex, et sápiens erit, et fáciat iudícium et iustítiam in terra. * Et hoc est nomen, quod vocábunt eum: Dóminus iustus noster. **V.** In diébus illis salvábitur Iuda, et Israel habitábit confidénter. Et hoc est.

Hymnus



Cónditor alme síderum,
ætérna lux credéntium,
Christe, Redémptor ómnium:
exáudi preces súpplícum!

Qui, cóndolens intéritu
mortis períre sáeculum,
salvásti mundum lánguidum,
donans reis remédium.

Vergénte mundi vésperé,
uti sponsus de thálamó,
egréssus honestíssima ·
vírginis matris cláusula.

Cuius forti poténtiæ ·
 genu curvántur ómnia,
 cæléstia, terréstria ·
 faténtur nutu súbdita.

Occásum sol custódiens,
 luna pallórem rétinens,
 candor in astris rélucens ·
 certos obsérvat límities.

Te deprecámur, Hágie,
 ventúre iudex sáeculi,
 consérva nos in témpore ·
 hostis a telo pérfidi!

Laus, honor, virtus, glória ·
 Deo Patri et Fílio,
 Sancto simul Paráclito ·
 in sempitérna sáecula!



Amen.

Versiculus: Roráte cæli désuper.

Ad Magnificat antiphona



Ecce, nomen Dómini venit de longínquo, et cláritas eius replet orbem terrárum.

Oratio

Excita, quæsumus, Dómine, poténtiam tuam, et veni, ut ab imminéntibus peccatórum nostrórum perículis · te mereámur protegénte éripi, te liberánte salvári. [Per.]

De beata Virgine antiphona



Missus est Angelus Gabriel ad Mariám Vírginem, desponsátam Ioseph.

Versiculus: Ave María

Oratio

Deus, qui de beátæ Mariæ Vírginis útero · verbum tuum, ángelo nuntiánte, carnem suscipere voluísti: præsta supplicibus tuis, ut qui vere eam Dei Genitricem crédimus, eius apud te intercessiónibus adiuvémur.

De omnibus sanctis antiphona



Ecce, Dóminus véniet, et omnes sancti eius cum eo, et erit in die illa lux magna, allelúia.

Versiculus: Ibunt sancti.

Oratio

Consciéntias nostras, quæsumus, Dómine, visitándo purífica, ut véniens Unigénitus Fílius tuus, Dóminus noster, Iesus Christus cum ómnibus sanctis suis, parátam sibi in nobis invéniat mansiónem. Qui tecum.

.....: Cum invocárem.

Hymnus



Verbum supérnum pródiens,
a Patre olim éxiens,
qui natus orbi súbvenis,
cursu declívi témporis.

Illúmina nunc pectora,
 Tuóque amore cóncrema,
 audíta ut praecónia,
 sint pulsa tandem lúbrica!

Iudéxque cum post áderis,
 rimári facta pectoris,
 reddens vicem pro ábditis,
 iustísque regnum pro bonis.

Non demum artémur? malis,
 pro qualitáte críminis,
 sed cum beátis cómpotes,
 simus perénnes célibes!

Laus honor.

...

Capitulum

Ecce Dóminus Deus in fortitúdine véniet, et bráchium eius dominábitur. Ecce merces sius cum eo, et opus illíus coram iilo. Deo.

Versiculus: Emítte agnum, Dómine.

Antiphona?



Veni, Dómine, visitáre nos in pace, ut laetémur coram te corde perfécto!

Oratio

Prope esto, Dómine, ómnibus invocántibus te in veritáte, ut in advéntu unigéniti fílii tui, Dómini nostri Iesu Christi · plácitis tibi áctibus praesentémur.

Oratio: Deus, qui illúminas.

Ad matutinum

Invitatorium



Ecce venit rex, * occurrámus óbviám Salvatóri nostro! **Ps.** Veníte.

Antiphona



Hora est iam de somno súrgere, et apérti sunt óculi nostri súrgere ad Christum, quia lux vera est fulgens in cælis. **Ps.** Beátus vir.

Versiculus: Egrediétur virga.

Lectio I.

Visio Isaíæ, filii Amos, quam vidit super Iudam et Israélem · in diébus Osíæ, Ióathan, Achaz et Ezéchiæ · regum Iuda: Audíte cæli, et áuribus pércipe, terra, quóniam Dóminus locútus est. Fílios enutrívi et exaltávi, ipsi autem spreverunt me. Cognóvit bos possessórem suum, et ásinus præsépe Dómini sui. Israel autem non cognóvit me, et pópulus meus non intelléxit. Væ genti peccatríci, pópulo gravi iniquitaté, sémini nequam, filiis scelerátis. Dereliquérunt Dóminum, blasphemavérunt sanctum Israel, alienáti sunt retrórsum. Hæc. ???

Responsorium



Aspíciens a longe, ecce vídeo Dei poténtiam veniéntem, et nébulam totam terram tegéntem. Ite óbviám ei, et dícite ei: Núntia nobis, si tu es ipse, * qui regnatúrus es in pópulo Israel! **V.** Qui regis Israel, inténde, qui dedúcis velut ovem Ioseph. Núntia. **V.** Tóllite portas, príncipes vestras, et elevámini, portæ æternáles, et introíbit. Qui regis. Glória.

Responsorium: Aspíciens.

Lectio II.

Super quo percútiám vos ultra addéntes prævaricatiónem? Omne caput lánguidum, et omne cor merens (vagy mærens?), a planta pedis usque ad vérticem · non est in eo sánitas. Vulnus et livor et plaga tumens non est circumligáta, nec curáta me ... cámine · neque fota óleo. Terra vestra desérta, et civitátes vestræ succénsæ igni. Regiõnem vestram coram vobis aliéni dévorant, et desolábitur sicut in vastitáte hostíli. Et derelinquétur fília Sion ut umbrácula in vínea, et sicut tugúrium in cucumeráριο, sicut cívitas, qui vastátur. Et nisi Dóminus exercítuum reliquísset nobis semen, quasi Sódoma fuissémus · et quasi Gommorra símiles essémus. Hæc.

Responsorium



Aspiciébam in visu noctis, et ecce in núbibus cæli fílius hóminis venit, et datum est ei regnum et honor. * Et omnis pópulus, tribus et linguæ sérvient ei. **V.** Potéstas eius potéstas ætérna, qui non auferétur, et regnum eius, quod non corrupétur. Et omnis.

Lectio III.

Audíte verbum Dómini, príncipes Sodomórum, percípíte áuribus legem Dei nostri, pópulus Gomórræ! Quo mihi multitudíne victimárum vestrárum, dicit Dóminus? Plenus sum. Holocáusta arietum · et ádipem pínguium · et sánguinem vitulórum · et agnórum · et hircórum nólui. Cum venéritis ante conspéctum meum, quis quæsívít hoc (a vulgátámban hæc van) de mánibus vestris, ut ambularétis in átriis meis? Ne offerátis ultra sacrificíum frustra! Incénsus abominátió est mihi. Neoméniám et sábbatum · et festivitátes álias non feram; iníqui sunt cœtus vestri; caléndas vestras et sollemnítates vestras odívit ánima mea. Facta sunt mihi molésta. Laborávi sústinens. Et cum extendéritis manus vestras, avértam óculos meos a vobis. Et cum multiplicavéritis oratiónem, non exáudiam; manus vestræ sángvine plenæ sunt. Hæc.

Responsorium



Missus est Gábríel ángelus ad Mariám vírginem, desponsátam Ioseph. Núntians ei verbum, et expavéscit virgo de lúmíne. Ne tímeas, María, invenísti grátiam apud Deum. * Ecce concípies, et páries, et vocábitur altíssimi fílius. **V.** Ave María, grátia plena, Dóminus tecum. Ecce.

In secundo nocturno

Antiphona



Sciéntes, quia hora est iam nos de somno súrgerere. Nunc enim próprior est nostra salus, quam cum credídimus. Nox præcésit, dies autem appropinquábit. (Ez az egész egy mondatban van a forrásban.) **Ps.** Consérva me.

Versiculus

V. Egrediétur Dóminus de loco sancto suo.

R. Véniet, et salvum fáciét pópulum suum a peccátis eórum.

Kézzel ide van írva egy oratio:Hova való?

Oratio dominca prima adventus

Excita, quæsumus, Dómine, poténtiam tuam, et veni, ut ab imminéntibus peccatórum nostrórum perículis te mereámur protegénte éripi, et te liberánte salvári. Qui cum Patre et Spíritu Sancto vivis et regnas Deus, per ómnia sæcula sæculórum.

Lectio IV.

Audíte, quómodo prophétis nuntiántibus, ut nuntiáre homínibus phas? fuit: prædicétur Dómini advéntus. Ait enim quidam ex eis: "Deus noster maniféste véniet, Deus noster · et non silébit. Ignis ante ipsum ardébit, et in circúitu eius procélla válda. Advocávit cælum desúrsum, et terram discernere pópulum suum." Alius quidem, qui pœnarum spécies nobis índicat Isaías Isaías, hi(o?)c est. Audi,

quomodo dicit: “Ecce dies Dómini véniet insanábilis, dies furóris et iræ, ut ponat orbem terræ desértum, et peccatóres perdat ex eo. Stellæ enim cæli et Orion, et omnis ornátus cæli lumen suum non dabunt, et obscurábitur sol in ortu suo, et luna non dabit lumen suum.” Tu.

Responsorium



Ave María, grátia plena, Dóminus tecum. * Spíritus Sanctus supervéniet in te, et virtus altíssimi obumbrábit tibi. Quod enim ex te nascétur sanctum, vocábitur Fílius Dei. Spíritus.

Lectio V.

“Et mandábo univérso orbi mala, et ímpiis peccátam eórum. Et perdam contuméliam iniquórum, et iniúriam superbórum humiliábo. Et erunt, qui relícti fúerint, pretiósí magis, quam aurum sine igne, et hoc pretiósior erit, quam lapis saphírus. Cælum enim qu...tiétur, et terra movébitur a fundaméntis suis · propter furórem iræ Dómini Sábaoth · in die, qua supervénit furor eius.” Et íterum [...]: “Ad fines terra [...] movebúntur fundaménta terræ. Perturbatióne perturbábitur terra, stupóre stupébit terra, et inclinatióne inclinábitur terra; commotióne commovébitur terra, sicut ébrius et crapulátus excutiétur, sicut pomórum custódia. Terra cadet, et non póterit insúrgere, inváluit enim super eam iníquitas. Et indúcet Deus super ornátum cæli in excélso manum suam in die illa, et super regna terræ congregatiónem eius ponet in vínculis, et conclúdent eam in locum munitum.” Tu.

Responsorium



Salvatórem exspectámus, Dóminum Iesum Christum, * qui reformábit corpus humilitátis nostræ, configurátum córpori claritátis suæ. **V.** Sóbrie et iuste et pie vivámus in hoc sæculo, exspectántes beátam spem et advéntum Dómini. Qui reformábit.

Lectio VI.

Cum ergo hæc agi??cœperint, pandéntur sine dúbio cæli portæ; immo pótius ipsum cælum auferétur e médio, tamquam si tabernáculi alicúius velámina colligántur, scm? ut reparétur et transformétur in mélius. Tunc ergo ómnia metus habébunt; timórque ac tremor implébit univérsa. Tunc étiam ipsos ángelos formído quassábit, et non solum ángelos, sed fortásse archángelos, thronos · et dominatiónes · et principátus · et potestátes. Hoc enim indicátur in eo, quod dicit: “Et virtútes cæli movebúntur.” Convérsi enim sunt eórum, qui indicándi sunt, et vitæ huius positúri ratiónem. Si enim apud iúdicés sáeculi cum cívitas una iudicánda est, pavent céteræ, et contremíscunt. Etiam si nil perículi métuant, quanto magis cum orbis terræ univérsus ad iudicándum véniet, iudicándus ab eo iúdice, qui teste non égeat, qui arguménta non quærat, qui oratórem causæ non póstulet. Tu.

Responsorium

Audíte verbum Dómini, gentes, et annuntiáte illud in fínibus terræ, et in ínsulis, quæ procul sunt, dícite: Salvátor noster advéniet! **V.** Annuntiáte, et audítum fácite, loquímini, et clamáte! Salvátor.

In tertio nocturno**Antiphona**

Nox præcésit, dies autem appropinquábit; abiiciámus ergo ópera tenebrárum, et induámur arma lucis. Sicut in die, honéste ambulémus! **Ps.** Cæli enárrant.

Versiculus: Ex Sion spécies decóris eius.

Secundum Matthæum

In illo tēpore. Cum appropinquásset Iesus Ierosólymis, et venísset Bethpháge? ad montem olivéti, tunc misit duos discípulos suos, dicens eis: “Ita in castéllum, quod contra vos est, et statim inveniétis ásinam alligátam, et pullum cum ea.” Et réliqua.

Homélia beáti Ioánnis Chrysóstomi.

Lectio VII.

Puto, res ipsa éxigit, ut quærámus. Frequēter quidem Iesus venit in Ierúsalem, sicut Ioánnes testátur. Numquam tamen sibi adhíbuit ministéria iumentórum, nec ramórum viréntia circa se ornámēta constituit, nec ad terríbilem laudem suæ divinitátis ánimas pópuli excitávit, nisi modo quando ut paterétur, ascéndit. Ideo enim cum tanta glória est ingrēssus, ut ámplius illórum advérsus se excitáret invídiam, quia iam tempus passiónis eius instábat, et non mors eum urgébat, sed ipse magis advérsus se compellébat mortem. Tu.

Responsorium



Ecce virgo concípiet, et páriet fílium, et vocábitur nomen eius * admirábilis, Deus fortis. **V.** Tóllite portas, príncipes vestras, et elevámini, portæ æternáles, et introíbit. Admirábilis.

Lectio VIII.

Quótiens enim de manu sacerdotum elápsus evásit, cum esset visíbilis factus? Quando Iudæi voluérunt Christum occídere, tángere autem non potuérunt. Quando autem Christus secútus est mortem, párcere ei Iudæi non potuérunt. Ergo si Christus eos provocávit, ne forte de morte sua fecit eos innóxios. Absit! Excitávit eos, non ut fácerent, quod ántea nolúerant, sed ut possent fácere, quod prius volébat. Facúltas date est eis, non mutáta volúntas. Tu.

Responsorium



Obsecro, Dómine, mitte, quem missúrus es, vide afflictiónem pópuli tui, sicut locútus es, * veni, et líbera nos! **V.** A solis ortu et occásu, ab aquilóne et mari. Veni, et líbera.

Lectio IX.

“Tunc Iesus misit duos discipulos, dicens: Ite in castellum, quod contra vos est, et confestim inveniétis ásinam alligátam, et pullum cum ea. Sólvite, et addúcite mihi!” Asina et pullus eius Iudæi sunt et gentes. Iudæa enim secúndum Deum · mater est géntium. Sic enim dicit ad eam Deus · per Isaíam prophétam. Et constítuam príncipes tuos, sicut ántea, et consiliárius tuos, sicut a princípío. Et tunc vocáberis cívitas iustítiae · et mater civitátum, id est · Ecclésiam, fidélis Sion. Propter quasdam? tales similitúdines · animálibus hoc? assimiláti sunt hómines, Deum vel Dei Fílium non cognoscéntes. Est enim ánimál hoc immúndum, et præ céteris pæne iuméntis magis irrationábile et stultum et infirmum · et ignóbile · et oneríferum magis. Sic fuérunt et hómines ante Christum idolátriis et passióibus divérsis: immúndi et irrationábiles, verbi ratióne caréntes, quantum? ad Deum stulti. Quid autem stúltius, quam factórem suum contémnere, quasi factúram, et opus mánuum suárum adoráre, quasi factórem? Erant infirmi secúndum ánimam, et ignóbiles, non valéntes resístere passióibus suis, et oblíti generatióem suam cæléstem, facti fúerant servi passiónum suárum et dæmonum, quibus resístere non valébant. Tu.

Responsorium

Læténtur cæli, et exsúltet terra, iubiláte montes laudem, quia Dóminus noster véniet, * et páuperum suórum miserébitur. **V.** Ecce, Dominátor Dóminus cum virtúte véniet. Et páuperum.

Te Deum laudámus **non dicitur.** **Versiculus:** Ex Sion spécies decóris eius. Deus noster.

Ad laudes

Antiphona



In illa die stillábunt montes dulcédinem, et colles fluent lac et mel, allelúia. **Ps.** Dóminus regnávít.

Antiphona

Io!cundáre, fília Sion, exsúlta satis, fília Ierúsalem, allelúia!

Antiphona

Ecce, Dóminus véniet, et omnes sancti cum eo, et erit in die illa lux magna, allelúia.

*Antiphona*

Omnes sitiéntes, veníte ad aquas, quærite Dóminum, dum inveníri potest, allelúia!

*Capitulum, ut supra.**Hymnus*

Vox clara ecce íntonat,
 obscúra quæque íncrepat,
 pellántur éminus sómnia,
 ab æthere Christus prómicat. (mi ez a szó?)
 Mens iam resúrgat tórpida,
 quæ sorde exstat saúcia,
 sídus refúlget iam novum,
 ut tollat omne nóxium.
 De sursum agnus míttitur,
 laxáre gratis débitum,
 omnes pro indulgéntia ·
 vocem demus cum lácrimis.
 Secúndo ut cum fúlserit,
 mundúmque horror cínxerit,
 non pro reátu púniat,

sed nos pius tunc prótegat!
Laus, honor, virtus.

Versiculus: Vox clamántis in desérto.

Ad Benedictus antiphona



Spíritus Sanctus in te descéndet, María. Ne tíneas, habébis in útero
fílium Dei, allelúia.

Orationes, ut supra cum ceteris.

Ad primam

Hymnus: Iam lucis.

Antiphona



Béthlehem, non es mínima in princípibus Iuda, ex te enim éxiet dux,
qui regat (miért coni.?)pópulum meum Israel. Ipse enim salvum
fáciat pópulum suum a peccátis eórum.

Ps. Deus, Deus meus **cum céteris et** Laudáte Dóminum, omnes gentes.

Capitulum: Ecce, Dóminus Deus in fortitúdo. **Responsorium:** Iesu Christe, fili Dei vivi.

Versus: Qui ventúrus es in mundum. **Versiculus:** Emitte agnum. **Oratio:** Prope esto.
Dómine, sancte. Exsultábunt sancti. (Ezt most miért az oratiókhöz írja?)

Ad tertiam

Antiphona: Hora est. **Ps.** Legem pone. **Capitulum:** Sciéntes.

Responsorium

Egrediétur virga de radíce Iesse. **V.** Et flos de radíce eius ascéndet.

Versiculus: Egrediétur Dóminus de loco.

Ad sextam

Antiphona: Sciéntes, quia. **Ps.** Defécit in salutáre.

Capitulum

Abiiciámus ergo ópera tenebrárum, et induámur arma lucis; sicut in die, honéste ambulémus! Deo.

Responsorium

Egrediétur Dóminus de loco sancto suo. **V.** Véniet, et salvum fáciét pópulum suum a peccátis eórum.

Versiculus: Ex Sion spécies.

Ad nonam

Antiphona: Nox præcésit. **Ps.** Mirabília.

Capitulum

Non in comessatióibus (szótárban csak comissatio van) et ebrietátibus, non in cubílibus et impudicítiis, non in contentióne et æmulatióne, sed induímini Dóminum Iesum Christum! Deo.

Responsorium

Ex Sion spécies decóris eius. **V.** Deus noster maniféste véniet.

Versiculus: Vox clamántis.

Nota, quod in missa Glória in excélsis non dicitur. Præfatio dicitur cottidiana, et loco *Ite missa est* dicitur *Benedicámus* per totum adventum, exceptis festivitátibus, quæ aguntur sollemniter.

Ad secundas vesperas

Antiphona: In illa die. **Ps.** Dixit Dóminus, per ordinem. **Capitulum:** Sciéntes.

Responsorium: Læténtur cæli. **Hymnus:** Cónditor. **Versiculus:** Rorate cæli.

Ad Magnificat antiphona

Ne tíneas, María, invenísti grátiam apud Dóminum. Ecce, concípies, et páries filium, allelúia.

FERIA SECUNDA

ad matutinum

Invitorium



Regem ventúrum Dóminum * veníte, adorémus! Ps. Veníte.

Antiphona: Dóminus illuminatio per totum cum suis antiphonis et psalmis.

Versiculus: Timébunt gentes.

Lectio I.

Verbum, quod vidit Isaías, fílius Amos super Iudam et Ierúsalem. Et erit in novíssimis diébus præparátus mons Dómini in vértice móntium, et elevábitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes, et ibunt pópuli multi, et dicent: Veníte, ascendámus ad montem Dómini · et ad domum Dei Iacob! Et docébit nos vias suas, et ambulábimus in sémitis eius, quia de Sion exíbit lex, et verbum Dómini de Ierúsalem, et iudicábit gentes, et árguet pópulos multos. Hæc.

Responsorium: Aspiciébam, ut supra.

Lectio II.

Et conflábunt gládios in vómeres, et lánceas suas in falces. Non levábit gens contra gentem gládium, nec exercebúntur ultra ad prælium. Domus Iacob, veníte, et ambulémus in lúmine Dómini! Proiecísti pópulum tuum, domum Iacob, quia repléti sunt, ut olim, et áugures habuérunt, ut Philístiim, et púeris aliénis adhæsérunt. Et repléta est terra auro et argénto, et non est finis thesaurórum eius. Hæc.

Responsorium: Salvatórem exspectámus, ut supra.

Lectio III.

Et repléta est terra eórum equis · et innumerábiles quadrígæ eius. Et repléta est idólis; opus mánuum suárum adoravérunt, quod fecérunt dígiti eórum. Et incurvátus est homo, et humiliátus est vir. Ne ergo

dimittas eis! Ingrédere in petram, abscóndere fossa humo a fácie timóris Dómini, et a glória maiestátis eius. Hæc.

Responsorium



Montes Israel, ramos vestros expándite, et floréte, et fructus fácite! * Prope est, ut véniat dies Dómini. **V.** Roráte cæli désuper, et nubes pluant iustum, aperiátur terra, et gérmínet Salvatórem! Prope est.

Laudes de psalterio. Capitulum: Fratres. Sciéntes. **Hymnus:** Vox clara. **Versiculus:** Vox clamántis.

Ad Benedictus antiphona



Angelus Dómini nuntiávit Mariæ, et concépit de Spíritu Sancto, allelúia.

Ad primam

Hymnus: Iam lucis.

Antiphona



Salvatórem exspectámus Dóminum nostrum, Iesum Christum, qui reformávit corpus humilitátis nostræ · configurátum córpori claritátis suæ.

Ps. Deus, in nómine, **cum ceteris.**

Ad tertiam

Hymnus: Nunc Sancte.

Antiphona



Veni, et líbera nos, Deus noster!

Ps. Legem pone. **Capitulum:** Sciéntes.

Responsorium



Veni ad liberándum nos, Dómine, Deus virtútum! **V.** Et osténde fáciem tuam, et salvi érimus!

Versiculus: Timébunt gentes.

Ad sextam

Hymnus: Rector potens.

Antiphona



Tuam, Dómine, éxcita poténtiam, et veni ad salvándum nos!

Ps. Defécit. **Capitulum:** Abiiciámus.

Responsorium



Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam! **V.** Et salutáre tuum da nobis!

Versiculus

V. Meménto nostri, Dómine, in beneplácito pópuli tui!

R. Vísitá nos in salutári tuo!

Ad nonam

Hymnus: Rerum Deus.

Antiphona



In tuo advéntu érué nos, Dómine!

Ps. Mirábília.

Capitulum: Non in commessatió nibus.

Responsorium



Super te, Ierúsalem, oriétur Dóminus. **V.** Et glória eius in te vidébitur.

Versiculus

V. Dómine, Deus virtútum, convérte nos!

R. Et osténde fáciem tuam, et salvi érimus!

In secundis vesperis

Antiphona: Inclínávit. Ps. Diléxi, cum ceteris psalmis et antiphonis. Capitulum: Fratres. Sciéntes. Responsorium non dicitur. Hymnus: Cónditor. Versiculus: Roráte cæli.

Ad Magnificat antiphona



Ierúsalem, respice ad orientem, et vide, allelúia!

Oratio, ut supra.

FERIA TERTIA

ad matutinum

Invitatorium: Regem ventúrum. **Ps.** Veníte. **Antiphona:** Ut non delínquam. **Ps.** Dixi, custódiám. **Versiculus:** Timébunt gentes.

Lectio I.

Hæc dicit Dóminus: Quiéscite ab hómine, cuius spíritus in náribus eius; excélsus reputátus est ipse. Ecce enim dominátor, Deus exercítuum áuferet ab Ierúsalem et ab Iuda válidum et fortem. Omne robur panis, et omne robur aquæ. Fortem, et virum bellatórem, iúdicem et prophétam · et haríolum · et senem, príncipem super quinquagínta · et honorábilem vultu · et consiliárium sapiéntem, de architétis · et prudéntem elóquii mýstici. Et dabo púeros príncipes eórum, et effemináti dominabúntur eis. Hæc.

Responsorium: Audíte verbum.

Lectio II.

Et irruet pópulus, vir ad virum, unusquísque ad próximum suum. Tumultuábitur puer contra senem, et ignóbilis contra nóbilem. Apprehéndet enim vir fratrem suum, domésticum patris sui. Dicéque: Vestiméntum tibi est, esto princeps noster! Ruína hæc sub manu tua. Et respondébit in illa die, dicens: Non sum médicus, et in domo mea non est panis, neque vestiméntum. Nolíte constitúere me príncipem pópuli! Ruit enim Ierúsalem, et Iudas cóncidit, quia língua eórum et adinventiónes eórum contra Deum, ut provocárent óculos maiestátis eius. Hæc.

Responsorium: Obsecro, Dómine.

Lectio III.

Agnitio vultus eórum respondébit eis, et peccátum suum, quasi Sodoma, prædicavérunt, nec abscondérunt. Væ animæ eórum, quóniam réddita sunt eis mala. Dícite iusto, quóniam bene, quóniam fructum adinventiόνum suárum cómedet. Væ ímpio in malum, retribútio enim mánuum eius fiet ei. Hæc.

Responsorium: Læténtur cæli, *ut supra.*

Ad Benedictus antiphona

Antequam convenírent, invénta est María habens in útero de Spíritu Sancto, allelúia.

Laudes de psalterio cum antiphonis et psalmis. Capitulum et cetera, ut supra.

Ad Magnificat antiphona

Quérite Dóminum, dum inveníri potest, invocáte eum, dum prope est, allelúia!

FERIA QUARTA

Lectio I.

Hæc dicit Dóminus: Pópulum meum exactóres sui spoliavérunt, et mulíeres dominátæ sunt eis. Pópule meus, qui beátum te dicunt, ipsi te decípiunt, et viam gréssuum tuórum díssipant. Stat ad iudicándum Dóminus, et stat ad iudicándos pópulos. Dóminus ad iudícium véniet cum senióribus pópuli sui · et princípibus eius. Vos enim depásti estis víneam meam; rapína páuperis in domo vestra. Quare attérritis pópulum meum, et fácies páuperum commolítis. Dicit Dóminus, Deus exercítuum: Convertímini ad me, et salvi éritis.

Responsorium: Aspiciébam in visu.

Lectio II.

Et dixit Dóminus: Pro eo, quod elevátæ sunt fíliæ Sion, et ambulavérunt exténto collo, et nútibus oculórum ibant · et

plaudébant · et ambulábant, et pédibus suis compósito gradu incedébant, decalvábít Dóminus vérticem filiárum Sion, et Dóminus crinem eárum nudábit. In die illa áuferet Dóminus ornáméntum calceamentórum · et lúnulas · et torques · et monília · et armíllas · et mitras · et discriminália · et perichélydas · et murénulas et olfactorióla · et ináures · et ánnulos · et gemmas in fronte pendétes, et mutatória · et pállia · et lintheámina · et acus · et spécula · et sindónes · et vittas · et therístra. Et erit pro suávi odóre fœtor, et pro zona funículus, et pro crispánti crine calvítium, et pro fáschia pectoráli cilíciúm. Hæc.

Responsorium: Salvatórem exspectámus, et cetera.

Lectio III.

Hæc dicit Dóminus. Pulchérri viri tui gládio cadent, et fortes tui in prælio, et merébunt atque lugébunt portæ eius, et desoláta in terra sedébit. Et apprehéndent septem muliéres virum unum in die illa, dicétes: Panem nostrum comedémus, et vestiméntis nostris operiémur, tantúmmodo invocétur nomen tuum super nos, aufer oppróbrium nostrum! In die illa erit germen Dómini in magnificéntia et glória, et fructus terræ sublímis, et exsultátió hiis, qui salváti fúerint de Israel. Et erit omnis, qui relíctus fúerit in Sion, et resíduus in Ierúsalem: sanctus vocábitur omnis, qui scriptus est in vita in Ierúsalem. Hæc.

Responsorium: Montes Israel.

Ad Benedictus antiphona



De Sion exíbit lex, et verbum Dómini de Ierúsalem.

Ad Magnificat antiphona



Véniet fórtior me post me, cuius non sum dignus sólvère corrígiam calceamentórum eius.

FERIA QUINTA

Lectio I.

Si ablúerit Dóminus sordem filiárum Sion, et sánguinem Ierúsalem láverit de médio eius in spírítu iudícii et spírítu ardóris. Et creávit Dóminus super omnem locum montis Sion, et ubi invocátus est · nubem per diem et fumum, et splendórem ignis flammántis in nocte. Super omnem enim glóriam protéctio, et tabernáculum erit in umbráculum diéi ab æstu, et in securitátem et in absconsiónem a túrbine et a plúvia. Hæc.

Responsorium: Audíte verbum.

Lectio II.

Cantábo dilécto meo cánticum · patruéli meo víneæ suæ. Vínea facta est dilécto meo in cornu, filio ólei. Et sæpívit eam, et lápides elégit ex illa, et plantávit eam eléctam. Et ædificávit turrim in médio eius, et tórcular exstrúxit in ea, et exspectávit, ut fáceret uvas, et fecit labrúscas. Nunc, ergo, habitatóres Ierúsalem · et viri Iuda, iudicáte inter me et víneam meam! Quid est, quod débui ultra fácere víneæ meæ, et non feci ei? An quod exspectávi, ut fáceret uvas, et fecit labrúscas? Hæc.

Responsorium: Obsecro.

Lectio III.

Et nunc osténdam vobis, quid ego fáciam víneæ meæ: Auferam sæpem eius, et erit in direptiónem. Díruam macériam eius, et erit in conculcatiόνem, et ponam eam desértam. Non putábitur, et non fodiétur, et ascéndent super eam vepres et spinæ, et núbibus mandábo, ne pluant super eam imbrem. Vínea enim Dómini exercítuum domus Israel est, et viri Iuda germen delectábile eius. Exspectávi, ut fáceret iudícium, et ecce, iníquitas; et iustítiam, et ecce, clamor. Hæc.

Responsorium: Læténtur cæli.

Ad Benedictus antiphona

Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui.

Ad Magnificat antiphona

Exspectábo Dóminum, Salvatórem meum, et præstolábor eum, dum prope est, allelúia.

FERIA SEXTA

Lectio I.

Hæc dicit Dóminus. Væ, qui coniúngitis domum ad domum, et agrum agro copulátis usque ad términum loci! Numquid habitátis soli vos in médio terræ? In áuribus meis sunt; hæc dicit Dóminus exercítuum. Nisi domus multæ desértæ fúerint, grandes et pulchræ, et absque habitatóre. Decem enim iúgera vineárum fácient lagúnculam unam, et trigínta módii seméntis · fácient módios tres. Hæc.

Responsorium: Aspiciébam in visu.

Lectio II.

Væ, qui súrgitis mane ad ebrietátem sectándam · et potándum usque ad vésperam, ut vino æstuétis! Cýthara et lyra · et týmpanum · et tibia · et vinum in convíviis vestris, et opus Dómini non respícitis, nec ópera mánuum eius considerátis. Proptérea captívus ductus est pópulus meus, quia non hábuit sciéntiam, et nóbiles eius interiérunt fame, et multitúdo eius siti exáruit. Proptérea dilatávit inférnus ánimam suam, et apéruit os suum absque ullo término. Hæc.

Responsorium: Salvatórem.

Lectio III.

Et descéndent fortes eius, et pópuli eius sublimes, gloriosíque eius ad eum. Et incurvábitur homo, et humiliábitur vir, et óculi sublímium depriméntur, et exaltábitur Dóminus in iudício, Deus exercítuum, et Deus sanctus sanctificábitur in iustítia. Et pascéntur agni iuxta

órdinem suum, et desérta in ubertátem vérsa ádvenæ cómedent.
Hæc.

Responsorium: Montes, quære supra, feria secunda.

Ad Benedictus antiphona



Ecce, véniet Deus et homo de domo David, sedére in throno, allelúia.

Ad Magnificat antiphona



Ex Ægýpto vocávi filium meum; véniet, et salvum fáciat pópulum suum.

SABBATO

Lectio I.

Hæc dicit Dóminus: Væ, qui tráhitis iniquitátem in funículis vanitátis, et quasi vínculum plaustrí, peccátum! Væ, qui dicitis: festínet, et cito véniat opus eius, et videámus, et apprópiet, et véniat consílium Sancti Ierúsalem, et sciémus illud. Væ, qui dicitis bonum malum, et malum bonum, ponéntes ténebras lucem, et lucem ténebras, ponéntes amárum in dulce, et dulce in amárum. Hæc.

Responsorium: Audíte verbum.

Lectio II.

Væ, qui sapiéntes estis in óculis vestris, et coram vobismetípsis prudéntes. Væ, qui poténtes estis ad bibéndum vinum, et viri fortes ad miscéndum ebrietátem. Qui iustificátis ípium pro munéribus, et iustítiam iusti aufértis ab eo. Propter hoc, sicut dévorant stípulam ligna ignis, et calor flammæ exúrit, sic radix eórum, quasi favílla erit, et germen eórum, ut pulvis ascéndet. Hæc.

Responsorium: Obsecro, Dómine.

Lectio III.

Obiecérunt enim legem Dómini exercítuum, et elóquium Sancti Israel blasphemavérunt. Ideo irátus est furor Dómini in pópulos, et exténdit manum suam super eos, et percússit eos, et conturbáti sunt montes. Et facta sunt morticína eórum, quasi stercus in médio plateárum. In ómnibus hiis non est avérsus furor eius, sed adhuc manus eius exténta. Hæc.

Responsorium: Læténtur cæli.

Ad Benedictus antiphona



Sion, noli timére, ecce, Deus tuus véniat, allelúia.

DOMINICA SECUNDA

ad vesp̄eras

Capitulum

Fratres! Quaecúmque scripta sunt, ad nostram doctrínam scripta sunt, ut per patiéntiam et consolatiónem scripturárum · spem habeámus. Deo.

Responsorium



Ierúsalem, surge, et sta in excélsis, et vide * iucunditátem, quæ véniet tibi a Dómino, Deo tuo! **V.** Leva in circúitu óculos tuos, et vide, et contempláre! Iucunditátem.

Hymnus: Cónditor. **Versiculus:** Rorate, cæli.

Ad Magnificat antiphona



Leva, Ierúsalem, óculos tuos, et vide poténtiam regis, ecce, Salvátor tuus véniet sólvete te a vínculis.

Oratio

Excita, Dómine, corda nostra ad præparándas unigéniti tui vias, ut per eius advéntum purificáti, tibi méntibus servíre mereámur! Qui tecum.

Suffragia, ut in prima dominica.

Ad matutinum

Invitatorium



Rex noster advéniet, Christus, * quem Ioánnes prædicábat agnum esse ventúrum. **Ps.** Veníte.

In primo nocturno

Antiphona: Hora est. **Ps.** Beátus vir. **Versiculus:** Egrediétur virga.

Lectio I.

Onus Babylónis, quod vidit Isaías, fílius Amos. Super montem caliginósum leváte signum, exaltáte vocem, leváte manum, et ingrediántur portas duces! Ego mandávi sanctificátis meis, et vocávi fortes meos in ira mea, exsultántes in glória mea. Vox multitudínis in móntibus, quasi populórum frequentium; vox sónitus regum, géntium congregatárum. Hæc.

Responsorium



Ierúsalem, cito véniet salus tua, quare mæróre consúmeris? Numquid consiliárius non est tibi, quia innovábit te dolor? * Salvábo te, et liberábo te, noli timére! **V.** Israel, si me audíeris, non erit in te Deus recens, neque adorábis Deum aliénum, ego enim Dóminus. Salvábo.

Lectio II.

Dóminus exercítuum præcepit milítie belli, veniéntibus de terra procul: A summitáte cæli Dóminus, et vasa furóris eius, ut dispérdat omnem terram Chaldæórum et Babylónis. Ululáte, quia prope est dies Dómini, quasi vástitas a Dómino véniet. Propter hoc omnes manus dissolvéntur, et omne cor hóminis tabéscet et conterétur. Tortiónes et dolóres tenébunt, quasi partúriens dolébunt.

Unusquisque ad próximum suum stupébit, fácies combústæ vultus eórum. Hæc.

Responsorium



Ecce, Dóminus véniet, et omnes sancti eius cum eo, et erit in die illa lux magna, * et exíbunt de Ierúsalem, sicut aqua munda, et regnábit Dóminus in ætérnum super omnes gentes. **V.** Ecce, Dóminus cum virtúte véniet, et regnum in manu eius, et potéstas et impérium. Et exíbunt.

Lectio III.

Ecce, dies Dómini véniet crudélis, indignatiónis plenus, et iræ furorísque, ad deponéndam terram in solitúdinem, et peccatóres eius conteréndos de ea. Quóniam stellæ cæli et splendor eárum non expándent lumen suum. Obtenebrátus est sol in ortu suo, et luna non splendébit in lúmine suo. Et visitábo super orbis mala, et contra ímpios iniquitátem eórum. Et quiéscere fáciam supérbiam infidélium, et arrogántiam fórtium humiliábo; pretiósior erit vir auro, et homo mundo obrýzo. Hæc.

Responsorium



Ierúsalem, surge, et sta in excélso, et vide * iucunditátem, quæ véniet tibi a Dómino, Deo tuo. **V.** Leva in circúitu óculos tuos, et vide, et contempláre!

In secundo nocturno

Antiphona: Sciéntes. **Ps.** Consérva. **Versiculus:** Egrediétur Dóminus de loco sancto suo et cetera.

Lectio IV.

Superióre domínica capítulum evangélicum disseréntes, partem quandam ex illo perstrínximus, superest, ut et sequéntia

decurrámus. Descrípsimus enim, quid esset, quod ait Dóminus: In illa nocte erunt duo in lecto uno. Et réliqua. Nunc ergo videámus, quod reliquum est. Dicit enim divína senténtia: Erunt duæ moléntes in pistríno, una assumétur, et una relinquetur. Primo considerándum est, quo constet moléntis officium, deínde quæ sunt duæ, quæ mólere dicúntur, tértio, quid sit pistrínium, quive molitiónis effectus. Tu.

Responsorium



Cívitas Ierúsalem, noli flere, quóniam dóluit Dóminus super te, * et áuferet a te omnem tribulatiónem! **V.** Ecce, dominátor Dóminus cum virtúte véniet. Et.

Lectio V.

Nulli dúbium est, quod mólere áliter non constat, nisi duóbus lapídibus apparátis et convenientibus sibi, ut álteri ex hiis magnitúdo altérius imponátur. Et illum quidem lápidem, qui prior solo stérnitur, esse pigrum et tardum, et pæne, ut ita díxerim, otíósum, ac nisi superióriis participatióne lápidis ornarétur, fórsitan necessarius non viderétur. Ita, dum ille operátur, étiam iste útilis invenítur. Tu.

Responsorium



Ecce, véniet Dóminus, protéctor noster, Sanctus Israel, * corónam regni habens in cápite suo. **V.** Et dominábitur a mari usque ad mare, et a flúmine usque ad términos orbis terrárum. Corónam.

Lectio VI.

Superior ergo lapis tota velocitáte óperis circumfértur, ut fallens, óculos in ipsa celeritáte stare credátur, et putétur immóbilis esse, dum redit. Qui, quanto violéntius actus fúerit, tanto opus perféctius consummátur. Ita ergo prior lapis stat, iacet, et pæne nihil prodest. Ille vero alter, quæ inserúntur, cuncta súscipit, et quæ véniunt, univérsa compléctitur, et per cavérnulas quasdam utérque, quod operétur, acquírit. Tu.

Responsorium



Sicut mater consoláture fílios suos, ita consolábor vos, dicit Dóminus, et de Ierúsalem, civitaté, quam elégi, véniet vobis auxiliúm, * et vidébitis, et gaudébit cor vestrum. **V.** Dabo in Sion salútem, et in Ierúsalem glóriam meam. Et vidébitis.

In tertio nocturno

Antiphona: Nox præcëssit. **Ps.** Cæli enarrant. **Versiculus:** Ex Sion.

Secundum Lucam

In illo témpore. Dixit Iesus discíplis suis: Erunt signa in sole et luna et stellis, et in terris pressúra géntium · præ confusióne sónitus maris et flúctuum. Et réliqua.

Homéliea beáti Gregórii papæ.

Lectio VII.

Dóminus ac Redéptor noster, parátos nos inveníre desíderans, senescéntem mundum, quæ mala sequántur, denúntiat, ut nos ab eius amóre compéscat. Appropinquántem eius términum, quantæ percussiónes pervéniant, innotéscit, ut si Deum metúere in tranquillitaté nólumus, vicínium eius iudícium vel percussiónibus attrítí timeámus. Tu.

Responsorium



Ierúsalem, plantábis víneam in móntibus tuis, et exsultábis, quia dies Dómini véniet. Surge, Sion, convértere ad Dóminum, Deum tuum, * gaude et lætáre, Iacob, quia de médio géntium Salvátor tuus véniet! **V.** Deus a Líbano véniet, et Sanctus de monte umbróso et condénso. Gaude.

Lectio VIII.

Huic etenim lectiōni sancti Evangēlii, quam vestra modo fratērnitas audīvit, paulo supērius Dōminus prēmīsit, dicens: Exsūrget gens contra gentem, et regnum advērsus regnum, et erunt terrāmōtus magni per loca, et pestilēntiā · et fames. Et quibūsdam interpōsitis hoc, quod modo audīstis, adiūnxit: Et erunt signa in sole · et luna · et stellis, et in terris pressūra gēntium prae confusiōne sōnitus maris et flūctuum. Ex quibus profēcto omnibus, alia iam facta cernimus, alia in prōximo ventūra formidāmus. Tu.

Responsorium

Egrediētur Dōminus de Samāria ad portam, quae rēspicit ad oriētem, et vēniet in Bēthlehem, āmbulans super aquas redemptiōnis Iudae. * Tunc salvus erit omnis homo, quia ecce, vēniet. **V.** Et praeprābitur in misericōrdia sōlium eius, et sedēbit super illud, iūdicans in veritatē. Tunc.

Lectio IX.

Nam gentem super gentem exsūrgere · plus iam in nostris tribulatiōnibus cernimus, quam in codicibus lēgimus. Quia terrāmōtus urbes innūmeras sūbruat, ex aliis mundi pārtibus scitis, quam frequēter audīvimus. Pestilēntias sine cessatiōne pātīmur. Signa vero in sole · et luna · et stellis · adhuc apērte mīnime audīvimus. Sed quia et hēc non longe sunt, ex ipsa iam āeris immutatiōne collīgimus, quamvis priūsquam Itālia gentīli glādio feriēnda traderētur, igneas in cāelo ācies vīdimus, et ipsum, qui proptērea fusus est, humāni gēneris sānguinem, coruscānte. Confusio autem maris et flūctuum necdum nova exōrta est, sed cum multa iam prānuntiāta complēta sunt, dūbium non est, quod sequūntur etiā pauca, quae restant, quia sequēntium rerum certitūdo est prāteritārum exhibītio. Tu.

Responsorium



Rex noster advéniet, Christus, * quem Ioánnes prædicábat agnum esse ventúrum. **V.** Ecce, Agnus Dei, ecce qui tollit peccáta mundi. Quem.

Te Deum laudámus **non dicitur diebus dominicis.**

Ad laudes

Antiphona



Ecce, in núbibus cæli Dóminus véniet cum potestáte magna, allelúia.

Ps. Dóminus regnávít.

Antiphona



Urbs fortitúdinis nostræ Sion, Salvátor ponétur in ea · murus et antemurále, aperíte portas, quia nobíscum Deus, allelúia!

Antiphona



Ecce, apparébit Dóminus, et non mentiétur. Si moram fécerit, expécta eum, quia véniet, et non tardábit, allelúia.

Antiphona

Montes et colles cantábunt coram Deo laudem, et ómnia ligna silvárum plaudent mánibus, quóniam véniet Dóminus dominátor in regnum ætérnum, allelúia, allelúia.

Antiphona

Ecce, Dóminus noster cum virtúte véniet, ut illúminet óculos servórum suórum, allelúia.

Capitulum: Fratres. Quæcúmque, *ut supra.* *Hymnus:* Vox clara. *Versiculus:* Vox clamántis.

Ad Benedictus antiphona

Super sólium David et super regnum eius sedébit in ætérnum, allelúia.

Suffragia, ut supra in prima dominica.

Ad sextam

Capitulum

Fratres! Deus autem patiéntiæ et solátii det vobis idípsum sápere in altérutrum secúndum Iesum Christum, ut unánimes uno ore honorificétis Deum et Patrem Dómini nostri, Iesu Christi! Deo.

Ad nonam

Capitulum

Fratres! Deus autem spei répleat vos omni gáudio et pace in credéndo, ut abundétis in spe et virtúte Spíritus Sancti! Deo.

Ad secundas vesperas

Antiphona: Ecce, in núbibus cæli. **Ps.** Dixit Dóminus **per ordinem.** **Capitulum:** Fratres. Quæcúmque. **Responsorium:** Rex noster. **Hymnus:** Cónditor. **Versiculus:** Rorate.

Ad Magnificat antiphona



Beáta es, María, quæ credidísti Dómino. Perficiéntur in te, quæ dicta sunt tibi a Dómino, allelúia.

Orationes, ut supra.

FERIA SECUNDA

ad matutinum

Invitatorium: Regem ventúrum. **Antiphona:** Dóminus illuminátio cum ceteris antiphonis et psalmis. **Versiculus:** Timébunt gentes.

Lectio I.

In anno, quo mórtuus est rex Achaz, factum est onus istud: Non lætéris, Philistæa, omnis tu, quóniam comminúta est virga percussóris tui. De radíce enim colúbri egrediétur régulus, et semen eius absórbens vólucrum. Et pascéntur progéniti páuperum, et páuperes fiduciáliter requiéscant, et interíre fáciam in fame radicem tuam, et reliquias tuas interfíciam. Ulula, porta, clama, cívitas, prostráta est omnis Philistæa. Ab aquilóne enim fumus véniet, et non est, qui effúgiat agmen eius. Hæc.

Responsorium: Ierúsalem, cito.

Lectio II.

Et quid respondébitur núntiis gentis, quia Dóminus fundávit Sion, et in ipso sperábunt páuperes pópuli eius. Onus Moab: quia nocte vastátus est murus, Moab contícuit. Ascéndit domus et Dibon ad excélsa in planctum super Nabo et super Médaba Moab ululábit. In cunctis capítibus eius calvítium, omnis barba radétur. In tríviis eius accínti sunt sacco, super tecta eius · et in platéis eius omnis ululátus descéndit in fletum. Clamábit Hésebon et Eléale; usque ad Iasa audíta est vox eórum. Hæc.

Responsorium: Ecce, Dóminus véniet.

Lectio III.

Super hoc expedíti, Moab ululábunt, ánima eius ululábit sibi. Cor meum ad Moab clamábit, vectes eius usque ad Segor, vítulam **conternántem**. Per ascénsum enim Luith flens ascéndet, et in via Orónaim clamórem contritiónis levábunt. Aquæ enim Nemrim desértæ erunt, quia áruit herba, defécit germen, viror omnis intériit. Secúndum magnítudinem óperis, et visitátio eórum ad terréntem sálicum dedúcent eos. Quóniam circúiet clamor términum Moab, usque ad Galim ululátus eius, et usque ad púteum Elim clamor eius,

quia aquæ Dibon replétæ sunt sâguine. Ponam enim super Dibon additamentâ hiis, qui fúgerint de Moab leónem, et reliquiis terræ. Hæc.

Responsorium: Ierúsalem, surge.

Laudes de psalterio. Capitulum: Quæcúmque scripta.

Ad Benedictus antiphona



De cælo véniet dominátor Dóminus, et in manu eius honor et impérium.

Ad Magnificat antiphona



Ecce, véniet Dóminus terræ, et ipse áuferet iugum captivitátis nostræ, allelúia.

FERIA TERTIA

Lectio I.

Emítte Agnum, Dómine, dominatórem terræ, de petra desérta ad montem fíliæ Sion. Et erit, sicut avis fúgiens · et pulli de nido avolántes, sic erunt filii Moab in transcénsu Arnon. Ini consílium, coge concílium, pone, quasi noctem, umbram tuam in merídie! Abscónde fugiéntes, et vagos ne prodas! Habitábunt apud te prófugi mei, Moab, esto latíbulum eórum a fácie vastatóris! Hæc.

Responsorium: Cívitas Ierúsalem.

Lectio II.

Finítus est enim pulvis, consummátus est miser. Defécit, qui conculcábat terram. Et præparábitur in misericórdia sólium eius, et sedébit super eum in veritáte, in tabernáculo David, iúdicans et quærens iudícium, et velóciter reddens, quod iustum est. Audívimus supérbiam Moab, supérbus est valde. Supérbia eius et arrogántia eius · et indignátio eius · plus, quam fortitúdo eius. Hæc.

Responsorium: Ecce, véniet Dóminus.

Lectio III.

Idcírcó ululábit Moab ad Moab, univérsus ululábit. His, qui lætántur super muros cocti láteris, loquímini plagas suas, quóniam suburbána Hésebon desérta sunt, et víneam Sábama Dómini géntium excidérunt. Flagélla eius usque ad Iaser prævenérunt, erravérunt in desérto. Propágines eius relíctæ sunt, transiérunt mare. Hæc.

Responsorium: Sicut mater.

Ad Benedictus antiphona



Super te, Ierúsalem, oriétur Dóminus, et glória eius in te vidébitur, allelúia.

Ad Magnificat antiphona



Vox clamántis in desérto: paráte viam Dómini, rectas fácite sémitas
Dei nostri.

FERIA QUARTA

Lectio I.

Super hoc plorábo in fletu Iaser · et víneam Sábama. Inebriábo te lácrima mea, Hésebon et Eléale. Quóniam super vindémiam tuam · et super messem tuam vox calcántium írruit. Et auferétur lætítia et exsultátio de Carmélo, et in víneis non exsultábit, neque iubilábit. Vinum in torculári non calcábit, qui calcáre consuéverat; vocem clamántium ábstuli. Super hoc venter meus ad Moab, quasi cýthara sonábit, et víscera mea ad murum cocti láteris.

Responsorium: Ierúsalem, plantábis.

Lectio II.

Et erit, cum apparúerit, quod laborávit Moab super excélsis suis, ingrediétur ad sancta sua · ut óbsecret, et non valébit. Hoc verbum, quod locútus est Dóminus ad Moab ex tunc, et nunc locútus est Dóminus, dicens: In tribus annis, quasi anni mercennárii, auféretur glória Moab · super omni pópulo multo, et relinquétur in eo, sicut racémus parvus et módicus, nequáquam multus. Onus Damásci: Ecce, Damáscus désinet esse cívitas, et erit, sicut acérvus lápidum in ruína. Hæc.

Responsorium: Egrediétur Dóminus.

Lectio III.

Derelíctæ civitátes Aroer grégibus erunt, et requiéscent ibi, et non erit, qui extérreat. Et cessábit adiutórium ab Ephraim · et regnum a Damáscó, et relíquiæ Sýriæ, sicut glória filiórum Israel, erunt, dicit Dóminus exercítuum. Et erit in die illa: attenuábitur glória Iacob, et pingues carnes eius emarcéscant, et erit, sicut cóngregans in messe, quod restíterit, et bráchium eius spicas liget (sic). Et erit, sicut quærens spicas, in valle Ráphaim, et relinquétur in eo, sicut racémus · et sicut excússio óleæ duárum aut trium olivárum in summitáte rami, sive quáttuor aut quinque in cacumínibus fructus eius, dicit Dóminus, Deus Israel. [Hæc.]

Responsorium: Rex noster.

Ad Benedictus antiphona



Ecce, mitto ángelum meum, qui præparábit viam ante fáciem tuam.

Ad Magnificat antiphona



Sion, renovabéris, et vidébis iustum tuum, qui ventúrus est in te.

FERIA QUINTA

Lectio I.

In die illa inclinabitur homo ad factorem suum, et oculi eius ad Sanctum Israel respicient, et non inclinabitur ad altaria, quæ fecerunt manus eius, et quæ operati sunt dígiti eius. Non respicient lucos et delúbra. Hæc.

Responsorium: Ierúsalem, cito véniet.

Lectio II.

In die illa erunt civitátes fortitúdinis eius derelictæ, sicut arátra et ségetes, quæ derelictæ sunt · a fácie filiórum Israel. Et eris derelicta, quia oblíta es Dei Salvatóris tui, et fortis adiutóris tui non es recordáta. Proptérea plantábis plantatiónem fidélem, et germen aliénum seminábis. Hæc.

Responsorium: Ecce, Dóminus véniet.

Lectio III.

In die plantatiónis tuæ · labrúsca, et mane semen tuum florébit. Abláta est messis in die hereditátis, et dolébit gráviter. Væ multitudíni populórum multórum, ut multitudó maris sonántis, et tumúltus turbárum, sicut sónitus aquárum multárum. Sonábunt pópuli, sicut sónitus aquárum inundántium. Hæc.

Responsorium: Ierúsalem, surge.

Ad Benedictus antiphona



Tu es, qui ventúrus es, Dómine, quem exspectámus, ut salvum fácias pópulum tuum.

Ad Magnificat antiphona



Qui post me venit, ante me factus est, cuius non sum dignus calceaménta sólvere.

FERIA SEXTA

ad matutinum

Lectio I.

Et increpábit eum, et fúgiet procul, et rapiétur, sicut pulvis móntium a fácie venti, et sicut turbo a fácie tempestátis. In témpore véspere, et ecce, turbátio in matutíno, et non subsístet. Hæc est enim pars eórum, qui vastant vos, et sors diripéntium vos. Hæc.

Responsorium: Cívitas Ierúsalem.

Lectio II.

Onus Tyri: Ululáte, naves maris, quia vastáta est domus, unde veníre consuéverant, de terra Cethim revelátum est eis. Tacéte, qui habitátis in ínsula, negotiátio Sidónis. Transfretántes mare · replevérunt te in aquis multis. Semen Nili, messis flúminis fruges eius, et facta est negotiátio géntium. Hæc.

Responsorium: Ecce, venit.

Lectio III.

Erubésce, Sidon, ait enim mare, fortitúdo maris, dicens: Non parturívi, et non péperi, et non enutrívi iúvenes, nec ad increméntum perdúxi, álui iúvenes, vírgines. Cum audítum fúerit in Ægýpto, dolébunt, cum audíerint de Tyro. Hæc.

Responsorium: Sicut mater.

Ad Benedictus antiphona



Cantáte Dómino cánticum novum, laus eius ab extrémis terræ.

Ad Magnificat antiphona



Dícite: Pusillánimes, confortámini, ecce, Dóminus noster, Deus véniet.

SABBATO

Lectio I.

Hæc dicit Dóminus Deus: Transíte mária, ululáte, qui habitátis in ínsula! Numquid non hæc vestra est, quæ gloriabátur a diébus prístinis in antiquitáte sua? Ducent eam pedes sui longe ad peregrinándum. Quis cogitávit hæc super Tyrum · quondam coronátam? Hæc.

Responsorium: Ierúsalem, plantábis.

Lectio II.

Cuius negotiatóres príncipes, institóres eius ínclyti terræ. Dóminus exercítuum cogitávit hoc, ut detráheret supérbiam omnis glóriæ, et ad ignomíniam dedúceret univérsos ínclytos terræ. Hæc.

Responsorium: Egrediétur Dóminus.

Lectio III.

Hæc dicit Dóminus Deus: Transi terram tuam, quasi flumen, fília maris. Non est cingulum ultra tibi. Manum suam exténdit super mare, conturbávit regna; Dóminus mandávit advérsus Chánaan, ut contéreret fortes eius. Et dixit: Non adiícies ultra, ut gloriéris, calúmniam sústinens, virgo fília Sidónis. Hæc.

Responsorium: Rex noster.

Ad Benedictus antiphona



Levábít Dóminus signum in natió nibus, et congregábit dispérsos Israel.

DOMINICA TERTIA

ad vesp̄eras

Antiphona: A diébus.

Capitulum

Fratres! Sic nos exístimet homo, ut minístros Christi · et dispensatóres ministeriórum Dei; hic iam quæritur inter dispensatóres, ut fidélis quis inveniátur. Deo.

Responsorium



Súscipe verbum, virgo María, quod tibi a Dómino per ángelum transmíssum est: concípies per aurem Deum páriter et hóminem, * ut benedícta dicáris inter omnes mulíeres. **V.** Páries quidem Fílium, et virginitátis non patiéris detriméntum. Efficiéris grávida, et eris mater semper intácta.

Hymnus: Cónditor. *Versiculus:* Rorate.

Ad Magnificat antiphona



Ante me non est formátus Deus, et post me non erit, quia mihi curvábitur omne genu, et confitébitur omnis lingua.

Oratio

Aurem tuam, quæsumus Dómine, précibus nostris accómoda, et mentis nostræ ténebras · grátia tuæ visitatiónis illústra. Per.

Suffragia, ut supra.

Ad Nunc dimittis

A diébus Ioánnis Baptistæ usque nunc regnum cælórum vim pátitur, et violénti rápiunt illud. Omnes enim prophétæ et lex usque ad Ioánnem prædicavérunt, et si vultis scire, Ioánnes ipse est Elías, qui ventúrus est.

Ad matutinum

Invitorium

Dóminum, qui ventúrus est, cuius virga flóruit de radíce Iesse, * veníte, adorémus! **Ps.** Veníte.

Antiphona: Hora est. **Ps.** Beátus vir. **Versiculus:** Egrediétur virga.

Lectio I.

Hæc dicit Dóminus Deus: Convertímini, sicut in profúndum, **recesserátis**, fílii Israel! In die enim illa abiíciet vir idóla argénti sui · et idóla auri sui, quæ fecérunt vobis manus vestræ in peccátum. Et cadet Assur in gládio non viri, et gládus non hóminis vorábit eum. Et fúgiet non a fácie gládi, et iúvenes eius vectigáles erunt, et fortitúdo eius a terróre transíbit, et pavébunt fugiéntes príncipes eius. Hæc.

Responsorium

Ecce apparébit Dóminus super nubem cándidam, et cum eo sanctórum mília, et habens in vestiméto et in fémore suo scriptum: * Rex regum et Dóminus dominántium. **V.** Apparébit in finem, et non mentiétur. Si moram fécerit, expécta eum, quia véniens véniet! Rex regum.

Lectio II.

Dixit Dóminus, cuius ignis est in Sion, et camínus eius in Ierúsalem: Ecce, in iustítia regnábít rex, et príncipes eius in iudício præerunt. Et erit vir, sicut qui absconditur a vento, et celat se a tempestáte, sicut rivi aquárum in siti, et umbra petræ prominéntis in terra desérta. Non caligábunt óculi vidéntium, et aures audiéntium diligénter auscultábunt. Et cor stultórum intélliget sciéntiam, et lingua balbórum velóciter loquétur et plane. Non vocábitur ultra is, qui insípiens est, princeps, neque frauduléntus appellábitur maior.

Responsorium

Béthlehem, cívitas Dei summi, ex te éxiet dominátor Israel, et egréssus eius, sicut a princípío diérum æternitátis, et magnificábitur in médio univérsæ terræ, * et pax erit in terra nostra, dum vénerit. **V.** Loquétur pacem in géntibus, et potéstas eius a mari usque ad mare. Et pax.

Lectio III.

Nunc exsúrgam, dicit Dóminus, nunc exaltábor, nunc sublimábor. Concipiétis ardórem, et pariétis stípulam. Spíritus vester, ut ignis, vorábit vos, et erunt pópuli, quasi de incéndio ignis. Spinæ congregátæ igni comburéntur. Audíte, qui longe estis, quæ fécerim, et cognóscite, vicíni, fortitúdinem meam! Contérriti sunt in Sion peccatóres, possédit timor hypócritas. Hæc.

Responsorium: Súscipe verbum.

In secundo nocturno

Antiphona: Sciéntes, quia. **Ps.** Consérva. **Versiculus:** Egrediétur Dóminus de loco sancto suo.

Lectio IV.

Légimus sanctum Móysen pópulo Dei præcépta dantem. Ubi dixit: *Audi, Israel, Dóminus, Deus tuus · Deus unus est.* Non potest esse maior, non potest esse minor, non potest numerári, dicénte prophéta

David: *Magnus Dóminus noster, et magna virtus eius, et sapiéntiæ eius non est númerus. Optime nostis ista, fratres caríssimi, qui corde fórtiter catholicam tenétis veritátem. Audíte tamen bréviter, quod adiuvánte Deo propósui explanándum! Deus unus est Pater, Deus unus est Fílius, Deus unus est Spíritus Sanctus. Non tres dii, sed unus est Deus. Tres in vocábulis, unus in deitáte substántiæ. Tu.*

Responsorium



Qui ventúrus est, véniet, et non tardábit, iam non erit timor in fínibus nostris, * quóniam ipse est Salvátor noster. **V.** Depónet omnes iniquitátes nostras, et proiíciet a nobis ómnia peccáta nostra. Quóniam ipse.

Lectio V.

Sed dicit mihi hæréticus: Ergo si unum sunt, omnes sunt incarnáti. Non ad solum Christum pértinet caro. Nempe áliud est ánima, áliud est rátio, et tamen in ánima est rátio, et una est ánima, sed áliud ánima agit, áliud rátio. Anima vivit, non sapit. Et ad ánimam pértinet vita, et ad ratiónem pértinet sapiéntia. Et cum unum sint, ánima sola súscipit vitam, rátio sola súscipit sapiéntiam. Et tamen nec ánima sine ratióne, nec rátio sine ánima. Sic et Pater et Fílius, licet unum sint, et Deus unus sit, ad solum Christum pértinet caro, sicut ad solam ratiónem pértinet sapiéntia, licet non recédant ab ánima. Tu.

Responsorium



Egýpte, noli flere, quia dominátor tuus véniet tibi, ante cuius conspéctum movebúntur abyssi, * liberáre pópulum tuum de manu poténtiæ. **V.** Ecce, véniet Dóminus exercítuum, Deus tuus cum potestáte magna. Liberáre.

Lectio VI.

Ecce áliud: In sole calor et splendor in uno rádio sunt, sed calor exsiccát, sic splendor illúminat. Aliud súscipit calor, áliud splendor. Et licet calor et splendor ab íncem non queant separári, súscipit

splendor illuminatióem, non fervórem; súscipit calor fervórem, non illuminatióem. Aliud simul, áliud singuláres agunt, et tamen ab ínvicem non separántur. Sic et Fílius suscépit carnem, et non deséruit Patrem, nec se divísit a Patre. Suscépit, inquam, Fílius carnem in propriétate, sed tamen Pater et Spíritus Sanctus non défuit in maiestáte. In divinitáte æquáalitas, in carne sola Fílii proprietas, non autem Patris ab eo, aut Spíritus Sancti recéssit aliquándo divínitas. Tu.

Responsorium



Prope est, ut véniat tempus eius, et dies eius non elongabúntur. * Miserébitur Dóminus Iacob, et Israel salvábitur. **V.** Qui ventúrus est, véniet, et non tardábit, iam non erit timor in fínibus nostris, quia ipse est Salvátor noster. Miserére.

In tertio nocturno

Antiphona: Nox præcésit. **Ps.** Cæli enárrant. **Versiculus:** Ex Sion spécies decóris.

Secundum Matthæum

In illo témpore. Cum audísset Ioánnes in vínculis ópera Christi, mittens duos de discípulis suis, ait illi: Tu es, qui ventúrus es, an álium exspectámus? Et réliqua.

Homélia beáti Gregórii papæ.

Quæréndum nobis est, fratres caríssimi. Ioánnes prophéta, et plus, quam prophéta, qui veniéntem ad Iordánis baptísma Dóminum osténdit, dicens: Ecce, Agnus Dei, ecce, qui tollit peccáta mundi. Et qui humilitátem suam · et divinitátis eius poténtiam consíderans, dicit: Qui de terra est, de terra lóquitur, qui autem de cælo venit, super omnes est. Cur in cárcere pósitus, mittens discípulos, requírit: Tu es, qui ventúrus es, an álium exspectámus? Tamquam si ignoráret, quem osténderat, et an ipse sit, nésciat, quem ipsum esse prophetádo, baptizádo, ostendéndo clamáverat. Tu.

Responsorium



Descéndet Dóminus, sicut plúvia in vellus, * oriétur in diébus eius iustítia, et abundántia pacis. **V.** Et adorábunt eum omnes reges terræ, omnes gentes sérvient ei. Oriétur in diébus.

Lectio VIII.

Sed hæc cítius quæstio sólvitur, si gestæ rei tempus et ordo præstátur. Ad Iordánis enim fluénta pósitus, quia ipse Redémptor mundi esset, assérui; missus vero in cárcerem, an ipse véniat, requírit, non quia ipsum esse mundi Redemptórem dúbitat, sed quærit, ut sciat, si is, qui per se in mundum vénerat, ipse étiam ad inférni claustra descéndat. Quem enim præcúrens mundo nuntiáverat, hunc moriéndo ad inférnos præcurrébat. Tu.

Responsorium



Veni, Dómine, et noli tardáre, reláxa facínora plebis tuæ, et révoça dispérsos in terram suam! **V.** Excita, Dómine, poténtiam tuam, et veni, ut salvos fácias nos! Et révoça.

Lectio IX.

Ait ergo: Tu es, qui ventúrus es, an álium exspectámus? Ac si apérte dicat: Sicut pro homínibus nasci dignátus es, an étiam pro homínibus ad íferos descéndere dignéris, insínua. Ut qui nativitátis tuæ præcúrsor éxstiti, descensiónis étiam fiam, et ventúrum inférno te núntiem, quem iam venisse mundo nuntiávi. Unde et inquisitus Dóminus, enumerátis poténtiæ suæ miráculis, de mortis suæ prótinus humilitáte respóndit, dicens: Cæci vident, claudi ámbulant, leprósi mundántur, surdi áudiunt, mórtui resúrgunt, páuperes evangelizántur, et beátus est, qui non fúerit scandalizátus in me. Tu.

Responsorium



Ecce, radix Iesse ascéndet in salútem populórum. * Ipsum gentes deprecabúntur, et erit nomen eius gloriósum. **V.** Deus a Líbano véniet, et sanctus de monte umbróso et condénso. Ipsum.

Ad laudes

Antiphona



Véniet Dóminus, et non tardábit, et illuminábit abscóndita tenebrárum, et manifestábit se ad omnes gentes, allelúia.

Ps. Dóminus regnávít.

Antiphona



Ierúsalem, gaude gáudio magno, quia véniet tibi Salvátor, allelúia!

Antiphona



Dabo in Sion salútem, et in Ierúsalem glóriam meam, allelúia.

Antiphona



Montes et omnes colles humiliabúntur, et erunt prava in dirécta, et áspera in vias planas. Veni, Dómine, et noli tardáre, allelúia!

Antiphona

Iuste et pie vivámus, exspectántes beátam spem · et advéntum
Dómini, allelúia.

Capitulum, ut supra. **Hymnus:** Vox clara. **Versiculus:** Vox clamántis.

Ad Benedictus antiphona

Ioánnes, cum audísset in vínculis ópera Christi, mittens duos de
discípulis suis, ait illi: Tu es, qui ventúrus es, an álium exspectámus?

Ad sextam**Capitulum**

Mihi autem pro múnimo est, ut a vobis iúdicer · aut ab humáno die,
sed neque meípsum iúdico. Nihil enim mihi cónscius sum, sed non
in hoc iustificátus sum; qui autem iúdicat me, Dóminus est. Deo.

Ad nonam**Capitulum**

Itaque nolíte ante tempus iudicáre, quoadúsque véniat Dóminus, qui
illuminábit abscóndita tenebrárum, et manifestábit consília córdium,
et tunc laus erit unicuúque a Deo.

Ad secundas vesperas

Antiphona: Véniet Dóminus **per ordinem.** **Capitulum:** Sic nos. **Responsorium:** Ecce
radix. **Hymnus:** Cónditor. **Versiculus:** Rorate caeli.

Ad Magnificat antiphona



Tu es, qui ventúrus es, an álium exspectámus? Dícite Ioánni, quæ vidístis: Ad lumen rédeunt cæci, mórtui resúrgunt, páuperes evangelizántur, allelúia.

Antiphona



O, Sapiéntia, quæ ex ore Altíssimi prodísti, attingens a fine usque ad finem fórtiter, suavitérque dispónens ómnia, veni ad docéndum nos viam prudéntiæ!

Suffragia beatæ Virginis · Antiphona



O, Virgo vírginum, quómodo fiet istud, quia nec primam símilem visa es, nec habére sequéntem? Fíliæ Ierúsalem, quid me admirámini? Divínum est mystérium hoc, quod cérnitis.

Antiphona



O, Adonái et dux domus Israel, qui Móysi in igne flammæ rubi apparuísti, et ei in Sina legem dedísti, veni, ad rediméndum nos in bráchio exténto!

Antiphona



O, Radix Iesse, qui stas in signum populórum, super quem continébunt reges os suum, quem gentes deprecabúntur, veni ad liberándum nos, iam noli tardáre!

Antiphona



O, Clavis David, et sceptrum domus Israel, qui áperis, et nemo claudit, claudis, et nemo áperit, veni, et educ vinctos de domo cárceris, sedéntes in ténebris et umbra mortis!

Antiphona



O, Rex géntium, et desiderátus eárum, lapísque anguláris, qui facis útraque unum, veni, salva hóminem, quem de limo formásti!

Antiphona



O, Oriens, splendor lucis ætérnæ et sol iustítiaæ, veni, et illúmina sedéntes in ténebris et umbra mortis!

Antiphona



O, Rex pacífice, tu ante sæcula nate, per áuream ingrédere portam, et redéptos tuos vísita, et eos illuc révoça, unde ruérunt per culpam!

Antiphona



O, Ierúsalem, cívitas Dei summi, leva in circúitu óculos tuos, et vide Dóminum, Deum tuum, quia iam véniet sólvete te a vínculis!

Antiphona



O, Emmánuel, lex et légifer noster, exspectátio géntium et Salvátor eárum, veni ad liberándum nos, Dómine, Deus virtútum!

Antiphona beátæ Virgínis in matutinis



O, Gábríel, núnťius cælórum, qui iánuis clausis ad me intrásti, et verbum nuntiásti: Concípies, et páries, Emmánuel vocábitur.

Antiphona



O, mundi Dómina, régio ex sémine orta, ex tuo iam Christus procéssit aulo, tamquam sponsus de thálamó, hic iacet in præsépio, qui et sídera regit.

FERIA SECUNDA

ad matutinum

Invitatorium: Regem ventúrum. **Ad nocturnum antiphona:** Timébunt gentes.
[Psalmus:] Dóminus, illuminátio.

Lectio I.

Hæc dicit Dóminus Deus: Cui ergo símilem fecístis Deum, aut quam imáginem ponétis ei? Numquid scúlptile conflábit faber, aut ártifex auro figurábit illud, et lámínis argénteis argentárius? Forte lignum et imputríbile elégit ártifex sápiens; quærít, quómodo státuat simulácrum, quod non moveátur. Hæc.

Responsorium: Ecce, apparébit **et cetera**.

Lectio II.

Numquid non scitis, numquid non audístis, numquid non annuntiátum est ab inítio vobis? Numquid non intellexístis fundaménta terræ, qui sedet super gyrum terræ, et habitátóres eius sunt, quasi locústæ? Qui exténdit, velut níhilum, cælos, et expándit eos, sicut tabernáculum, ad habitándum. Qui dat secretórum scrutatóres, quasi non sint, iúdice terræ, velut inánes, fecit. Hæc.

Responsorium: Bétlehem.

Lectio III.

Et quidem neque plantáto, neque sato, neque radicáto in terra trunco eórum, repénte flavit in eos, et aruérunt, et turbo, quasi stípulam, áuferet eos. Et cui assimilástis me, et adæquástis? Hæc.

Responsorium: Súscipe verbum.

Ad Benedictus antiphona



Dicit Dóminus: Pæniténtiam ágite, appropinquábit enim regnum cælórum, allelúia.

Ad Magnificat antiphona



Beátam me dicent omnes generatiónes, quia ancíllam húmílem respéxit Deus.

FERIA TERTIA

Lectio I.

Et tu, Israel, serve meus, Iacob, quem elégi, semen Abraham, amíci mei, in quo apprehéndi te · ab extrémis terræ, et a longínquis eius vocávi te, et dixi tibi: Servus meus es tu, elégi te, et non abiéci te. Ne tímeas, quia tecum sum ego, ne declínes, quia ego Deus tuus. Confortávi te, et auxiliátus sum tui, et suscepit te délixtera iusti mei. Hæc.

Responsorium: Qui ventúrus est.

Lectio II.

Ecce, confundéntur, et erubéscent omnes, qui pugnant advérsus te; erunt, quasi non sint, et períbunt viri, qui contradícunt tibi; quæres eos, et non invénies viros rebélles tuos. Erunt, quasi non sint, et véluti consúmptio hóminis bellántis advérsus te, quia ego Dóminus tuus, apprehéndens manum tuam, dicénsque tibi: Ne tímeas, quia ego adiúvi te. Hæc.

Responsorium: Ægýpte, noli.

Lectio III.

Hæc dicit Dóminus Deus: Noli timére, vermis Iacob, qui mórtui estis ex Israel! Ego auxiliátus sum tui, dicit Dóminus · et Redémptor tuus, Sanctus Israel. Ego pósui te, quasi pláustrum, tritúrans novum, habens rostra serrántia. Triturábis montes, et commínues, et colles, quasi púlverem, pones. Ventilábis eos, et ventus tollet, et turbo dispérget eos. Hæc.

Responsorium: Prope est.

Ad Benedictus antiphona



Consúrge, consúrge, indúere fortitúdinem, bráchium Dómini!

Ad Magnificat antiphona



Eleváre, eleváre, consúrge, Ierúsalem, solve víncula colli tui, captíva
fília Sion!

FERIA QUARTA IN QUATTUOR TEMPORIBUS

Invitorium



Súrgite, vigilémus, veníte, adorémus, * quia nescítis horam, quando véniet Dóminus. **Ps.** Veníte.

Psalmi feriales cum suis antiphonis. Versiculus: Timébunt.

Secundum Lucam

In illo témpore. Missus est ángelus Gábriel a Deo in civitátem Galiléæ, cui nomen Názaret, ad vírginem, desponsátam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo David, et nomen vírginis María. Et.

Homélia venerábilis Bedæ presbýteri.

Lectio I.

Exórdium nostræ redemptiónis, fratres caríssimi, hodiérna nobis sancti Evangélii léctio comméndat, quæ ángelum de cælis a Deo missum narrat ad Vírginem, ut novam in carne nativitátem Fílii Dei prædicáret. Per quam nos, abiécta vetustáte, nóxia renovári, atque inter fílios Dei computári póssimus. Ut ergo promíssæ salútis mereámur dona pertíngere, primórdium eius inténta curémus aure percípere. Tu.

Responsorium: Descéndet Dóminus. **Nota, quod si responsoria, scilicet** Clama in fortitúdine fuerint inchoata, tunc dicantur de eisdem.

Lectio II.

Missus est, inquit, ángelus Gábriel · a Deo in civitátem Galiléæ, cui nomen Názareth, ad vírginem, desponsátam viro, cui nomen erat Ioseph. Aptum profecto humánæ restauratiónis princípium, ut ángelus mitterétur a Deo · ad vírginem, partu consecrándam divíno. Quia prima perditiónis humánæ fuit causa: cum serpens a diábolo mittebátur ad mulíerem, spírítu supérbiæ decipiéndam, immo ipse in serpente diábolus veniébat, qui genus humánum, decéptis paréntibus primis, immortalitátis glória nudáret. Tu.

Responsorium: Veni Dómine, et noli.

Lectio III.

Quia ergo mors intrávit per féminam, apte redit et vita per féminam. Illa a diabolo sedúcta per serpéntem, viro gustum necis óbtulit. Hæc, edócta a Deo per ángelum, mundo salutis auctórem édedit. Missus est ergo ángelus Gábriel a Deo. Raro autem légimus, quod apparéntes homínibus ángeli · designántur ex nómine; verum quotiescúmque fit, ídeo útique fit, ut étiam nómine ipso, quod ministratúri véniant, insínuent. Tu.

Responsorium: Ecce, radix Iesse.

Capitulum

In diébus illis. Dixit Isaías prophéta: Erit in novíssimis diébus præparátus mons domus Dómini · in vérticem móntium, et elevábitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes, et ibunt pópuli multi, et dicent: Veníte, ascendámus ad montem Dómini, et ad domum Dei Iacob, et docébit nos vias suas, et ambulábimus in sémitis eius, quia de Sion exíbit lex, et verbum Dómini de Ierúsalem. Deo.

Hymnus: Vox clara. **Versiculus:** Vox clamántis.

Ad Benedictus antiphona

Quómodo fiet istud, ángele Dei, quia virum in concipiéndo non pértuli? Audi, María, virgo Christi: Spíritus Sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi.

Item, preces dicuntur ad omnes horas præter vesperas et completorium, quia in vespers aguntur solum omnia de dominica.

Oratio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut redemptionis nostræ ventúra sollémnitas · et præsentis nobis vitæ subsidia cónferat, et aeternæ beatitúdinis præmia largiátur. Per.

Suffragia de dominica, et de aliis et cetera.

Ad sextam

Capitulum

Et iudicábit gentes, et árguet pópulos multos, et conflábunt gládios suos in vómeres, et lánceas suas in falces. Deo.

Ad nonam

Capitulum

Non levábit gens contra gentem gládium, nec exercébunt ultra ad prœlium. Domus Iacob, veníte, et ambulémus in lúmine Dómini, Dei nostri! Deo.

Nota, si in quattuor temporibus laudes non imponuntur, tunc ad secundas vespervas antiphonæ de psalterio dicuntur. Si autem laudes imponuntur, tunc antiphona: Dicite: Pusillánimes. Capitulum de dominica.

Responsorium



Festína, ne tardáveris, Dómine, * et líbera pópulum tuum! **V.** Veni Dómine, et noli tardáre, reláxa facínora plebis tuæ! Et líbera.

vel



V. Excita potentiam tuam, et veni! Et líbera.

Hymnus: Cónditor. Versiculus: Roráte. Antiphona ad Magnificat de O, Sapiéntia.
vel:

Antiphona



Ponam in Sion salútem, et in Ierúsalem glóriam meam, allelúia.

Oratio de dominica.

FERIA QUINTA

ad matutinum

Invitorium: Regem ventúrum et cetera.

Lectio I.

Hæc dicit Dóminus Deus: Ecce, servus meus, suscípiam eum; eléctus meus, complácuít sibi in illo ánimæ meæ. Dedi Spíritum meum super eum, ut iudícium géntibus profé[r]ret. Non clamábit, neque accípiet persónam, neque audiétur foris vox eius. Cálamum quassátum non cónteret, et linum fúmigans non exstínguet. In veritáte edúcet iudícium; non erit tristis, neque turbuléntus, donec ponat in terra iudícium, et legem eius ínsulæ expectábunt. Hæc.

Responsorium: Ecce, apparébit Dóminus.

Lectio II.

Hæc dicit Dóminus Deus, creans cælos, et exténdens eos, formans terram · et quæ gérmínant ex ea. Dans flatum pópulo, qui est super eam, et spíritum calcántibus eam: Ego Dóminus vocávi te in iustítia, et apprehéndi manum tuam, et servávi te, et dedi te in fœdus pópuli, in lucem géntium, ut apéries óculi cæcórú, et edúceres de conclusióne vinctos · de domo cárceris, sedéntes in ténebris. Ego Dóminus, hoc est nomen meum. Glóriam meam álteri non dabo, et laudem meam sculptílibus. Quæ prima fuérunt, ecce, venérunt; nova quoque eius annúntio. Antequam oriántur, audíta fáciam vobis. Hæc.

Responsorium: Béthlehem, cívitas.

Lectio III.

Hæc dicit Dóminus Deus: Cantáte Dómino cánticum novum, laus eius ab extrémis terræ! Qui descénditis in mare · et plenitúdo eius, ínsulæ et habitatóres eárum. Sublevétur desértum et civitátes eius, in dómibus habitábit Cedar. Laudáte, habitatóres petræ, de vértice móntium clamábunt. Ponent Dómino glóriam, et laudem eius in ínsulis nuntiábunt. Dóminus, sicut fortis, egrediétur, et sicut vir præliátor, suscitábit zelum. Vociferábitur et clamábit, super inimícos

suos confortábitur. Táci, **semper** sílui, pátiens fui, sicut partúriens loquar. Hæc.

Responsorium: Súscipe verbum.

Ad Benedictus antiphona



Ponent Dómino glóriam, et laudem eius in ínsulis nuntiábunt, quia ecce véniet, et non tardábit.

Antiphona ad Magnificat de O, Sapiéntia.
vel

Antiphona



Consolámini, consolámini, pópule meus, dicit Deus vester.

FERIA SEXTA

Invitorium: Súrgite, vigilémus, *ut supra*.

Secundum Lucam.

In illo témpore. Exsúrgens María, ábiit in montána cum festinatóne, in civitátem Iuda, et intrávit in domum Zachariæ, et salutávit Elísabeth. Et réliqua.

Homélia venerábilis Bedæ álias Haymónis.

Lectio I.

Léctio, quam audívimus sancti Evangéllii, et redemptionis nostræ nobis super veneránda primórdia prædicat, et salutária super imitándæ humilitátis remédia comméndat. Nam quia peste supérbiæ attáctum, genus humánum perierat, decébat, ut medicaméntum humilitátis, quo sanarétur, prima mox incípiens salutis témpora præténderet. Et quia per temeritátem sedúctæ mulieris · mors in mundum introierat, cóngruum fuit, ut in iudícium vitæ reverténtis, mulieres se devótæ humilitátis íncem ac pietátis prævenírent obséquiiis. Tu.

Responsorium: Qui ventúrus.

Lectio II.

Prior ergo nobis beáta Dei Génitrix · ad sublimitátem pátriæ cæléstis iter osténdit humilitátis; non minus religiónis, quam castitátis exémplo venerábilis. Si quidem glória virgínei et intemeráti córporis, qualis sit vita supérnæ civitátis, ad quam suspirámus, insínuat, ubi neque nubent, neque nubéntur, sed sunt, sicut ángeli Dei in cælis. Tu.

Responsorium: Ægýpte, noli.

Lectio III.

Et virtúte<m> mentis exímia, qua ad hanc pertíngere debeámus, insínuat. Namque, sicut, præcedénte sancti Evangéllii lectióne, cognóvimus, postquam angélica visitatióne · et allocutióne méruiit sublimári, postquam se cælésti honestándam partu dídidit, nequáquam se de donis cæléstibus, quasi a se hæc essent, éxtulit, sed ut magis · magisque donis esset apta divínis, in custódiam humilitátis mentis fixit. Ita evangelizándi sibi archángelo

respóndens: Ecce, ancílla Dómini, fiat mihi secúndum verbum tuum.
Tu.

Responsorium: Prope est, *ut supra*.

Capitulum

Hæc dicit Dóminus Deus. Egrediétur virga de radíce lesse, et flos de radíce eius ascéndet, et requiécet super eum spíritus Dómini, spíritus sapiéntiæ et intelléctus, spíritus consílii et fortitúdinis, spíritus sciéntiæ et pietátis, et replébit eum spíritus timóris Dómini. Deo.

Ad Benedictus antiphona



Ex quo facta est vox salutatiónis tuæ in áuribus meis, exsultávit in gáudio infans in útero meo, allelúia.

Preces dicuntur.

[Oratio]

Excita, quæsumus, Dómine, poténtiam tuam, et veni, ut hii, qui in tua pietáte confídunt, ab omni cítius adversitáte liberéntur. Qui.

Suffragia, ut supra.

Ad sextam

Capitulum

Non secúndum visiónem oculórum iudicábit, neque secúndum audítum áurium árguet, sed iudicábit in iustítia páuperes, et árguet in æquitáte pro mansuétis terræ. Deo.

Ad nonam

Capitulum

Et percútiét terram virga oris sui, et spíritu labiórum suórum interfíciét ímpium, et erit iustítia cíngulum lumbórum eius, et fides cinctórium renum eius. Deo.

Ad secundas vesperas

Capitulum de dominica. Responsorium: Festína, ne tardáveris. Hymnus: Córditor alme. Ad Magnificat antiphona: O, Sapiéntia. Oratio dicitur de dominica.

SABBATO

ad matutinum

Invitatorium



Súrgite, vigilémus, * quia véniet Rex! Ps. Veníte.

Secundum Lucam

Anno quintodécimo impérii Tibérii Cæsaris, procuránte Póntio Piláto Iudæam, tetrárcha autem Galilææ Heróde, Philíppo autem, fratre eius, tetrárcha Iturææ et Trachonítidis regiónis, et Lysánia Abylínæ tetrárcha, sub princípibus sacerdotum Anna et Cáípha, factum est verbum Dómini super Ioánnem, Zachariæ filium in desérto. Et réliqua.

Homélia beáti Gregórii.

Lectio I.

Redemptóris nostri præcúrsor, quo témpore verbum prædecatiónis accépit, memoráto Románæ rei públicæ príncipe · et Iudææ régibus, designátur, cum dícitur: Anno quintodécimo impérii Tibérii Cæsaris, procuránte Póntio Piláto Iudæam, tetrárcha autem Galilææ Heróde, Philíppo autem, fratre eius, tetrárcha Iturææ et Trachonítidis regiónis, et Lysánia Abylínæ tetrárcha, sub princípibus sacerdotum · Anna et Cáípha, factum est verbum Dómini super Ioánnem, filium Zachariæ in desérto. Quia enim illum prædicáre veniébat, qui et ex Iudæa quosdam, et multos ex géntibus redemptúrus erat. Per regem géntium et príncipes Iudæórum · prædicatiónis eius témpora designántur. Tu.

Responsorium: Descéndit Dóminus **vel de** Clama.

Lectio II.

Quia autem gentílitas colligénda erat, et Iudæa pro culpa perfídiæ dispergénda, ipsa quoque descríptio terréni principátus osténdit, quóniam et in Romána re pública · unus præfuisse descríbitur, et in Iudææ regno per quartam partem plúrimi principántur. Voce étenim

Redemptóris nostri dicitur: Omne regnum in seípsum divisum desolábitur. Hæc.

Responsorium: Veni, Dómine.

Lectio III.

Liquet ergo, quod ad finem regni · Iudæa pervénerat, quæ tot régibus divisa subiacébat. Apérte quoque non solum, quibus régibus, sed étiam quibus sacerdtótibus actum sit, demonstrátur. Ut quia illum Ioánnes Baptísta prædicáret, qui simíliter rex et sacerdos exsisteret, Lucas evangelísta prædicatiónis eius témpora · per regnum et sacerdotium designávit. Tu.

Responsorium: Ecce, radix.

Capitulum

In diébus illis. Clamábunt Egýptii ad Dóminum a fácie tribulántis, et mittet eis salvatórem · et propugnatórem, qui líberet eos. Deo.

Ad Benedictus antiphona



Omnis vallis implébitur, et omnis mons et collis humiliábitur, et vidébit omnis caro salutáre Dei.

Preces.

Oratio

Deus, qui cónspicis, quia ex nostra pravitate affligimur: concéde propítius, ut ex tua visitatióne consolémur! Qui.

Suffragia, ut supra.

Ad sextam

Capitulum

Et cognoscétur Dóminus ab Ægýpto, et cognóscet Ægýptii Dóminum in die illa, et colent eum in hóstiis et munéribus, et vota vovébunt Dómino, et solvent. Deo.

Ad nonam

Capitulum

Et percútiét Dóminus Ægýptum plaga, et sanábit eam, et reverténtur ad Dóminum, et placábitur eis, et sanábit eos Dóminus, Deus noster. Deo.

DOMINICA QUARTA

Sabbato præcedenti ad vesperas

Capitulum

Gaudéte in Dómino semper, íterum dico, gaudéte! Modéstia vestra nota sit ómnibus homínibus, Dóminus enim prope est. Deo.

Responsorium



Nascétur nobis párvulus, et vocábitur Deus fortis, ipse sedébit super thronum David, patris sui, et imperábit, cuius potéstas super húmerum eius. **V.** Ecce, ádvenit dominátor Dóminus, et regnum in manu eius, et potéstas et impérium. Cuius.

Hymnus: Cónditor. **Versiculus:** Rorate. **Ad Magnificat antiphona de** O, Sapiéntia.

Oratio

Excita, Dómine, poténtiam tuam et veni, et magna nobis virtúte succúrre, ut per auxílium grátiaē tuæ, quod nostra peccáta præpédiunt, indulgéntia tuæ propitiatiónis accéleret! Qui.

Suffragia, ut supra.

Ad matutinum

Invitatorium



Vigiláte ánimo, * in próximo est Dóminus, Deus noster. **Ps.** Veníte.

In primo nocturno

Antiphona: Hora est iam. **Ps.** Beátus vir. **Versiculus:** Egrediétur virga.

Lectio I.

Hæc dicit Dóminus Deus: Audíte me, qui sequímini, quod iustum est, et quæritis Dóminum! Atténdite ad petram, unde excísi estis, et ad cavérnam laci, de qua præcísí estis! Atténdite ad Abraham, patrem vestrum, et ad Saram, quæ péperit vos, quia unum vocávi eum, et benedíxi ei, et multiplicávi eum. Hæc.

Responsorium



Cánite tuba in Sion, vocáte gentes, annuntiáte pópulis, et dícite: * Ecce, Deus, Salvátor noster advéniet. **V.** A solis ortu et occásu, ab aquilóne et mari. [Ecce.]

Lectio II.

Consolábitur ergo Dóminus Sion, et consolábitur omnes ruínas eius. Et ponet desértum eius, quasi delícias, et solitúdinem eius, quasi hortum Dómini. Gáudium et lætítia inveniétur in ea. Gratiárum áctio et vox laudis. Atténdite ad me, pópulus meus, et tribus mea, me audíte, quia lex a me éxiet, et iudícium meum in lucem populórum requiészet. Prope est iustus meus, et egréssus est Salvátor meus, et bráchia mea pópulos iudicábunt. Hæc.

Responsorium



Vicésima quarta die décimi mensis ieiunábitis, dicit Dóminus, et mittam vobis Salvátorem et propugnatórem pro vobis, qui vos præcédát, et introdúcat * in terram, quam iurávi pátribus vestris. **V.** Ego sum Dóminus, Deus vester, qui edúxi vos de terra Ægýpti. In terram.

Lectio III.

Me ínsulæ exspectábunt, et bráchium meum sustinébunt. Leváte in cælum óculos vestros, et vidéte sub terra deórsum! Quia cæli, sicut

fumus, liquéscent, et terra, sicut vestimentum, atterétur, et habitatóres eius, sicut hæc, interfúnt, salus autem mea in sempitérnum erit, et iustítia mea non defíciet. Hæc.

Responsorium



Iurávi, dicit Dóminus, ut ultra iam non iráscar super terram. * Montes enim et colles suscipient iustítiam meam, et testaméntum pacis erit in Ierúsalem. **V.** Iuxta est salus mea, ut véniat, et iustítia mea, ut revelétur. Montes.

In secundo nocturno

Antiphona: Sciéntes. **Ps.** Consérva. **Versiculus:** Egrediétur Dóminus.

Lectio IV.

Vos, inquam, convénio, o, Iudæi, qui usque in hodiérnum diem negástis Fílium Dei. Nonne vestra vox illa est, quando eum videbátis mirácula faciéntem · atque tentántes dicebátis: Quoadúsque ánimam nostram suspéndis? Si tu es Christus, dic nobis palam! Ille autem vos ad consideratiónem miraculórum mittébat, dicens: Opera, quæ ego fácio, ipsa testimónium pérhibent de me, ut Christo testimónium dicerent non verba, sed facta. Tu.

Responsorium



Non auferétur sceptrum de Iuda et dux de fémore eius, donec véniat, qui mitténdus est, * et ipse erit exspectátio géntium. Pulchrióres sunt óculi eius vino, et dentes eius lacte candidiόres. Et ipse.

Lectio V.

Vos autem non cognoscéntes Salvatórem, qui operabátur salútem in médio vestræ terræ, dicéntes in malo aístis: Tu de téipso testimónium dicis, testimónium tuum non est verum. Sed ad hæc ille quid vobis respónderit, advértere noluístis. Nonne scriptum est in

lege vestra, quod duórum hóminum testimónium verum sit? Prævaricatóres legis, atténdite legem! Testimónium quæritis de Christo. In lege vestra scriptum est, quod duórum hóminum testimónium verum sit. Procédant de lege vestra · non tantum duo, sed étiam plures testes Christi, et convíncant auditóres legis, nec factóres. Tu.

Responsorium



Ecce, iam véniet plenitúdo témporis, in quo misit Deus Fílium suum in terris, natum de Vírgine, factum sub lege, * ut eos, qui sub lege erant, redímeret. **V.** Prope est, ut véniat tempus eius, et dies eius non elongabúntur. Ut.

Lectio VI.

Sic Isaía testimónium de Christo: Ecce, inquit, virgo concípíet in útero, et páriet Fílium, et vocábitur nomen eius Emmánuel, quod est interpretátum: Nobíscum Deus. Accédát et álius testis. Dic et tu, Ieremía, testimónium de Christo! Hic est, inquit, Deus noster, et non æstimábitur álius absque illo, qui invénit omnem viam sciéntiæ, et dedit eam Iacob, púero suo, et Ierúsalem, dilécto suo. Post hæc in terris visus est, et cum homínibus conversátus est. Ecce, testes duo idónei ex lege vestra, ex quorum testimónio non sunt compúncta corda vestra. Tu.

Responsorium



Virgo Israel, revértere in civitatés tuas! Usquequo dolens avérteris? Generábis Dóminum Salvatórem, oblatiónem novam in terra, * ambulábunt hómines in salvatióne. **V.** A solis ortu et occásu, ab aquilóne et mari. Ambulábunt.

In tertio nocturno

Antiphona: Nox præcëssit. **Ps.** Cæli enárrant. **Versiculus:** Ex Sion spécies, et cetera.

Secundum Ioannem

In illo tēpore. Misérunt Iudæi ab Ierosólymis sacerdotēs et lévitas ad Ioánnem, ut interrogárent eum: Tu quis es? Et réliqua.

Homélia Gregórii papæ.

Lectio VII.

Ex huius nobis lectiōnis verbis, fratres caríssimi, Ioánnis humílitas commendátur. Qui, cum tantæ virtútis esset, ut Christus credi potuísset, elégit sólido subsístere in se, ne humána opinióne raperétur super se. Nam conféssus est, et non negávit. Conféssus est, quia non sum ego Christus. Sed, qui dixit, non sum, negávit plane, quod non erat, sed non negávit, quod erat, ut veritátem loquens, eius membrum fieret, cuius sibi nomen falláciter non usurpáret. Tu.

Responsorium



Me opórtet mínui, illum autem créscere, * qui post me venit, ante me factus est, cuius non sum dignus corrígiam calceaménti eius sólvare. **V.** Hoc est testimónium, quod perhíbuit Ioánnes. Qui post me.

Lectio VIII.

Cum ergo non vult appétere nomen Christi, factus est membrum Christi. Quia dum infirmitátem suam stúduit humíliter agnóscere, illíus celsitúdinem méruit veráciter obtinére. Sed cum ex lectiōne ália Redemptóris nostri sapiéntia ad mentem redúcitur, ex huius nobis lectiōnis verbis quæstio valde infléxa generátur. Tu.

Responsorium



Intuémini, quantus sit iste, qui ingréditur ad salvándas gentes, ipse est rex iustítiæ, * cuius generátio non habet finem. **V.** Et dominábitur a mari usque ad mare, et a flúmine usque ad términos orbis terrárum. Cuius generátio.

Lectio IX.

Alio quippe in loco, inquisítus a discípulis, Dóminus de advéntu Elíæ respóndit: Elías iam venit, et non cognóverunt eum, sed

fecerunt in eo, quaecúmque voluerunt. Et si vultis scire, Ioánnes ipse est Elías. Requisitus autem Ioánnes, dixit: Non sum Elías. Quid est hoc, fratres caríssimi, quia, quod véritas affirmat, hoc prophéta veritátis negat? Valde namque inter se diversa sunt: Ipse est, et: Non sum. Quómodo ergo prophéta veritátis est, si eiúsdem veritátis sermónibus concors non est? Tu.

Responsorium: Nascétur nobis párvulus, *ut supra*.

Ad laudes

Antiphona



Cánite tuba in Sion, quia prope est dies Dómini! Ecce, véniet, ad salvándum nos, allelúia.

Ps. Dóminus regnávít.

Antiphona



Ecce, véniet desiderátus cunctis géntibus, et replébitur glória domus Dómini, allelúia.

Antiphona



Erunt prava in dirécta, et áspera in vias planas. Veni, Dómine, et noli tardáre, allelúia!

Antiphona

Dóminus véniet, occurríte illi, dicéntes: Magnum princípium, et regni eius non erit finis, Deus fortis, dominátor, princeps pacis, allelúia, allelúia.

Antiphona

Omnípotens sermo tuus, Dómine, a regálibus sédibus venit, allelúia.

Capitulum, ut supra. *Hymnus:* Vox clara. *Versiculus:* Vox clamántis.

Ad Benedictus antiphona

Dixerunt pharisæi ad Ioánnem: Quis ígitur es, ut respónsum demus hiis, qui misérunt nos? Et ait illis: Ego vox clamántis in desérto, paráte viam Dómini, sicut dixit Isaías prophéta.

Oratio: Excita, quæsumus. *Suffragia, ut supra.*

Ad sextam

Capitulum

Fratres! Nihil sollíciti sitis, sed in omni oratióne et obsecratióne cum gratiárum actiÓne · petitiÓnes vestræ innotéscant apud Deum!

Ad nonam

Capitulum

Et pax Dei, quæ exsúperat omnem sensum, custódiat corda vestra et intelligéntias vestras · in Christo Iesu, Dómino nostro! Deo.

Ad secundas vesperas

Antiphona: Cánite tuba in Sion. **Ps.** Dixit Dóminus. **Capitulum, ut supra.**

Responsorium: Nascétur nobis. **Hymnus:** Cónditor alme. **Versiculus:** Rorate, cæli, désuper, et nubes pluant iustum. Aperiátur terra.

Ad Magnificat antiphona



Ave María, grátia plena, Dóminus tecum, benedícta tu in muliéribus,
et benedíctus fructus ventris tui.

Suffragium: O, Virgo víginum.

FERIA SECUNDA

Invitorium



Præstolántes Redemptórem, leváte cápita vestra, * quóniam prope est redémptio vestra! **Ps.** Veníte.

Ad nocturnum

Antiphona



Dómine, Deus virtútum, convérte nos, et osténde faciém tuam, et salvi érimus!

Ps. Dóminus illuminátio. **Versiculus:** Timébunt.

Lectio I.

Hæc dicit Dóminus Deus: Pópulus meus est fílii non negántes, et factus est eis Salvátor. In omni tribulatióne eórum non est tribulátus, et ángelus faciéi eius salvávit eos. In dilectiÓne sua et indulgéntia sua ipse redémit eos, et portávit eos cunctis diébus sæculi. Hæc.

Responsorium



Clama in fortitúdine, qui annúntias pacem in Ierúsalem, dic civitatibus Iudæ et habitatóribus Sion: * Ecce, Deus noster, quem exspectabámus, advéniet. **V.** Super montem excélsus ascénde tu, qui evangelízas Sion, exálta in fortitúdine vocem tuam! Ecce.

Lectio II.

Ipsi autem ad iracúndiam provocavérunt, et afflixérunt Spíritum Sancti eius. Et convérsus est eis in inimícum, et ipse debellávit eos. Et recordátus est diérum sæculi Móysi et pópuli sui. Ubi est, qui edúxit

eos de mari, cum pastóribus gregis sui? Ubi est, qui pósuit in médio eius Spíritum Sancti sui, qui edúxit ad dēxeram Móysen in bráchio maiestátis suæ? Hæc.

Responsorium



Oriétur stella ex Iacob, et consúrget homo ex Israel, et confrínget omnes duces alienigenárum, * et erit omnis terra posséssio eius. **V.** A solis ortu et occásu. Et.

Lectio III.

Qui scidit aquas ante eos, ut fáceret sibi nomen sempitérnum. Qui edúxit eos per abýssos, quasi equum in desérto non impingéntem, quasi ánimal in campo descéndens. Spíritus Dómini ductor eius fuit. Sic adduxísti pópulum tuum, ut fáceres tibi nomen glóriæ. Hæc.

Responsorium



Modo véniet dominátor Dóminus, * et nomen eius Emmánuel vocábitur. **V.** Et requiéscet super eum spíritus Dómini, spíritus sapiéntiæ et intelléctus. Et.

Ad laudes

Antiphona



Ecce, véniet Dóminus, princeps regum terræ; beáti, qui paráti sunt occúrrere illi.

Ps. Miserére.

Antiphona



Dum vénerit Fílius hóminis, putas, invéniet fidem super terram.

Ps. Verba mea.

Antiphona



Ecce, iam véniet plenitúdo témporis, in quo misit Deus Fílium suum in terris.

Ps. Deus, Deus.

Antiphona



Hauriétis aquas in gáudio de fóntibus Salvatóris!

Ps. Confitébor.

Antiphona



Egrediétur Dóminus de loco sancto suo, véniet, ut salvet pópulum suum.

Ps. Laudáte Dóminum. **Capitulum de dominica.** Hymnus: Vox clara. **Versiculus:** Vox clamántis.

Ad Benedictus antiphona



Egrediétur virga de radíce Iesse, et replébitur omnis terra glória Dómini, et vidébit omnis caro salutáre Dei.

Oratio de dominica.

Ad secundas vesperas

Antiphona



Dícite: Pusillánimes, confortámini et nolíte timére, ecce, Deus noster
véniet, et salvábit nos.

Ps. Diléxi. Capitulum de dominica. Hymnus: Córditor. Versiculus: Rorate. Ad
Magnificat antiphona de O, Sapiéntia.

FERIA TERTIA

ad matutinum

Invitatorium: Præstolántes. **Antiphona:** Dómine, Deus virtútum. **Ps.** Dixi, custódiam.

Versiculus: Timébunt.

Lectio I.

Hæc dicit Dóminus Deus: Quæsiérunt me, qui ante non interrogábant, invenérunt me, qui non quæsiérunt me. Dixi, ecce, ego, ecce, ego, ad gentem, quæ non invocábat nomen meum. Expánda manus meas tota die ad pópulum non credéntem, qui gráditur in via non bona post cogitatiónes suas. Hæc.

Responsorium



Non discédimus a te, vivificábis nos, Dómine, et nomen tuum invocábimus, * osténde nobis fáciem tuam, et salvi érimus! **V.** Dómine, Deus virtútum, convérte nos! Osténde.

Lectio II.

Pópulus, qui ad iracúndiam próvocat me, ante fáciem meam semper. Qui ímmolant in hortis, et sacrificant super latéres. Qui hábitant in sepúlcris, et in délubris idolórum dórmiunt. Qui cómedunt carnem suíllam, et ius prophánum in vasis eórum. Qui dicunt, recéde a me, non appropinquábis mihi, quia immúndus es. Isti fumus erunt in furóre meo, ignis ardens tota die. Hæc dicit.

Responsorium



Radix Iesse, qui exsúrget iudicáre gentes, in eum gentes sperábunt, * et erit nomen eius benedíctum in sæcula. **V.** Super ipsum continébunt reges os suum, ipsum gentes deprecabúntur. [Et erit.]

Lectio III.

Ecce, scriptum est coram me, non tacébo, sed reddam et retríbuam in sinu eórum iniquitátes vestras, et iniquitátes patrum vestrórum

simul, dicit Dóminus, quia sacrificavérunt super montes, et super colles exprobravérunt mihi, et remétiar opus eórum primum in sinu eórum. Hæc dicit Dóminus. Quómodo si inveniátur granum in botro, et dicátur, ne díssipes illud, quóniam benedíctio est, sic fáciam propter servos meos, ut non dispérdam totum. Et edúcam semen de Iacob, et de Iuda, possidéntem montes meos. Et hereditábunt eam elécti mei, et servi mei habitábunt ibi. Hæc.

Responsorium



Docébit nos Dóminus vias suas, et ambulábimus in sémitis eius, * quia de Sion exíbit lex, et verbum Dómini de Ierúsalem. **V.** Ex Sion spécies decóris eius, Deus noster maniféste véniet. Quia.

Ad laudes

Antiphona



Roráte, cæli désuper, et nubes pluant iustum; aperiátur terra, et gérmínet Slavatórem! **Ps.** Miserére.

Antiphona



Emítte agnum, Dómine, dominatórem terræ, de petra desérta ad montem fliæ Sion! **Ps.** Iúdica me.

Antiphona



Ut cognoscámus, Dómine, in terra viam tuam, in ómnibus géntibus salutáre tuum. **Ps.** Deus, Deus.

Antiphona

Da mercédem, Dómine, sustinéntibus te, ut prophétæ tui fidéles inveniántur! **Ps.** Ego dixi.

Antiphona

Lex per Móysen data est, grátia et véritas per Iesum Christum facta est. **Ps.** Laudáte.

Capitulum de dominica. **Hymnus:** Vox clara. **Versiculus:** Vox clamántis.

Ad Benedictus antiphona

Tu, Béthlehem, terra Iuda, non eris mínima in princípibus Iuda, ex te enim éxiet dux, qui regat pópulum meum, Israel.

In secundis vesperis

Antiphona: Dícite: Pusillánimes. **Ps.** Lætátus sum. **Hymnus:** Cónditor. **Versiculus:** Roráte, cæli. **Ad Magnificat antiphona de O,** Sapiéntia.

FERIA QUARTA

ad matutinum

Invitatorium: Præstolántes. **Antiphona:** Dómine, Deus. **Ps.** Dixit insipientes. **Versiculus:** Timébunt.

Lectio I.

Hæc dicit Dóminus Deus. Ecce ego creo cælos novos · et terram novam, et non erunt in memória prióra, et non ascéndent super cor, sed gaudébitis et exsultábitis usque in sempitérnum in hiis, quæ ego creo. Quia ecce, ego creo Ierúsalem exsultatiónem, et pópulum eius gáudium, et exsultábo in Ierúsalem, et gaudébo in pópulo meo. Hæc.

Responsorium



Egrediétur Dóminus, et præliábitur contra gentes, et stabunt pedes eius * supra montem olivárum ad oriéntem. **V.** Et elevábitur super omnes colles, et fluent ad eum omnes gentes. Supra.

Lectio II.

Et non audiétur in ea vox fletus ultra et vox clamóris, non erit ibi ámplius infans diérum · et senex, qui non ímpleat dies suos, quóniam puer centum annórum moriétur, et peccátor centum annórum maledíctus erit. Et ædificábunt domos, et habitábunt, et plantábunt víneas, et cómedent fructus eárum. Non ædificábunt, et álius habitábit, non plantábunt, et álius cómedet. Secúndum dies enim ligni erunt dies pópuli mei, et ópera mánuum eórum inveterábunt. Hæc.

Responsorium



Præcúrsor pro nobis ingréditur, agnus sine mácula secúndum órđinem Melchisedech, * póntifex factus est in ætérnum et in sáculum sáculi. **V.** Ipse est rex iustítiae, cuius generátio non habet finem. Póntifex.

Lectio III.

Elécti autem mei non laborábunt frustra, neque generábunt in conturbatióne. Quia semen benedictórum Dómini est, et nepótes eórum cum eis. Eritque: ántequam clament, ego exáudiam eos, et, adhuc illis loquéntibus, dicam: Ecce, adsum. Lupus et agnus pascéntur simul, et leo et bos cómedent páleas, et serpénti pulvis panis eius. Non nocébunt, neque occídent in monte sancto meo. Dicit Dóminus: Convertímini.

Responsorium

Vidébunt gentes iustum tuum, et cuncti reges ínclytum tuum, * et vocábitur tibi nomen novum, quod os Dómini nominávit. **V.** Et eris coróna glóriæ in manu Dómini, et diadéma regni in manu Dei tui. Et vocábitur.

Ad laudes**Antiphona**

Prophétæ prædicavérunt nasci Salvatórem de Vírgine María. **Ps.** Miserére.

Antiphona

Spíritus Dómini super me; evangelizáre paupéribus misit me. **Ps.** Te decet.

Antiphona

Propter Sion non tacébo, donec egrediátur, ut splendor, iustus eius.

Ps. Deus, Deus.

Antiphona

Ecce véniet Dóminus, ut sédeat cum princípibus, et sólium glóriæ téneat. **Ps.** Exsultávit.

Antiphona

Annuntiáte pópulis, et dícite: Ecce, Deus, Salvátor noster véniet. **Ps.** Laudáte Dóminum.

Capitulum, ut supra. **Hymnus:** Vox clara. **Versiculus:** Vox clamántis. **Ad Benedictus antiphona:** Quómodo fiet istud, **ut supra.**

Alia antiphona

Hoc est testimónium, quod perhíbuit Ioánnes: Qui post me venit, ante me factus est.

Oratio de dominica. Cetera, ut supra.

In secundis vespers

Antiphona: Dícite: Pusillánimes. **Ps.** Nisi Dóminus. **Capitulum de dominica.** **Responsorium:** Festína, ne tardáveris, **ut supra.** **Hymnus:** Cónditor. **Versiculus:** Rorate. **Ad Magnificat antiphona de O, Sapiéntia.** **Oratio de dominica cum ceteris.**

FERIA QUINTA

ad matutinum

Invitatorium: Præstolántes. **Antiphona:** Dómine, Deus virtútum. **Ps.** Salvum.

Lectio I.

Hæc dicit Dóminus Deus. Audíte verbum Dómini, qui trémitis ad verbum eius! Dixérunt fratres vestri, odiéntes vos et abiiciéntes propter nomen meum: Glorificétur Dóminus, et vidébimus in lætítia vestra, ipsi autem confundéntur. Vox pópuli de civitáte, vox de templo, vox Dómini reddéntis retributiónem inimícis suis. Antequam partúriet, péperit, ántequam veníret partus eius, péperit másculum. Hæc.

Responsorium



Emítte agnum, Dómine, dominatórem terræ, * de petra desérti ad montem filiaë Sion! **V.** Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam, et salutáre tuum da nobis! [De petra.]

Lectio II.

Quis audívit umquam tale, et quis vidit huic símile? Numquid partúriet terra una die, aut paríetur gens simul, quia parturívit et péperit Sion filios suos? Numquid ego, qui álios párere fácio, ipse non páriam? — dicit Dóminus. Si ego, qui generatiónem céteris tribuo, stérilis ero? — ait Dóminus, Deus tuus. Convertímini.

Responsorium



Roráte, cæli, désuper, et nubes pluant iustum, * aperiátur terra, et gérmínet Salvatórem! **V.** Emítte agnum, Dómine, dominatórem terræ, de petra desérti ad montem filiaë Sion! Aperiátur.

Lectio III.

Lætámini cum Ierúsalem, et exsultáte in ea · omnes, qui dilígitis eam! Gaudéte cum ea gáudio univérsi, qui lugétis super eam, ut

sugátis, et repleámini ab úbere consolatiónis eius, ut mulgeátis, et deliciis affluátis ab omnímota glória eius. Hæc.

Responsorium



Germinavérunt campi erémi, germen odóris Israel, quia ecce, Dóminus, Deus noster cum virtúte véniet, * et splendor eius cum eo.

V. Ex Sion spécies decóris eius, Deus noster maniféste véniet. Et splendor.

Ad laudes

Antiphona



De Sion véniet Dóminus omnípotens, ut salvum fáciat pópulum suum. **Ps.** Miserére.

Antiphona



Convértere, Dómine, aliquántulum, et ne tardes veníre ad servos tuos! **Ps.** Dómine, refúgium.

Antiphona



De Sion véniet, qui regnatúrus est, Dóminus Emmánuel, magnum nomen eius. **Ps.** Deus, Deus.

Antiphona

Ecce, Deus meus, et honorábo eum, Deus patris mei, et exaltábo eum.

Canticum: Cantémus.

Antiphona

Dóminus, légifer noster, Dóminus, rex noster, ipse véniet, et salvábit nos. **Ps.** Laudáte Dóminum de cælis.

Capitulum, ut supra.

Ad Benedictus antiphona

Vigiláte ánimo, in próximo est Dóminus, Deus noster!

Ad secundas vesperas

Antiphona: Dicite: Pusillánimes. **Ps.** Meménto, Dómine. **Capitulum de dominica.** **Ad Magnificat antiphona de O, Sapiéntia.** **Oratio, ut supra.**

FERIA SEXTA

ad matutinum

Invitorium: Præstolántes.

Ad nocturnum

Antiphona: Dómine, Deus virtútum. **Ps.** Exsultáte.

Lectio I.

Qui comedébant carnem suíllam et abominatiónem · et murem, simul consuméntur, dicit Dóminus. Ego autem ópera eórum et cogitatiónes eórum invénio, ut cóngregem cum ómnibus géntibus et linguis, et vénient et vidébunt glóriam meam, et ponam in eis signum. Hæc.

Responsoria vide, ut supra, de Clama.

Lectio II.

Emíttam ex eis, qui salváti fúerint, ad gentes in mari · et in Africa · et in Lýdia, tenéntes sagíttam in Itáliam et Græciam, ad ínsulas longe, ad eos, qui non audiérunt de me, et non vidérunt glóriam meam. Et annuntiábunt glóriam meam géntibus, et addúcent omnes fratres vestros de cunctis géntibus donum Dómino; in equis et in quádrigis, in lectícis et in mulis · et in carrácis, ad montem sanctum meum, Ierúsalem, dicit Dóminus, quómodo si ínferant fílii Israel munus in vase mundo in domum Dómini. Hæc.

Responsoria, ut supra, de Clama.

Lectio III.

Et assúmam ex eis in sacerdotés et levítas, dicit Dóminus. Quia sicut cæli novi et terra nova, quæ ego fácio stare coram me, dicit Dóminus, sic stabit semen vestrum et nomen vestrum. Et erit mensis ex mense, et sábbatum ex sábbato. Véniet omnis caro, ut adóret coram fácie mea, dicit Dóminus, et egrediéntur, et vidébunt cadáverá virórum, qui prævaricáti sunt in me. Vermis eórum non moriétur, et ignis

eórum non exstinguétur, et erunt usque ad satietátem visiónis omni carni. Hæc.

Responsoria, ut supra.

Ad laudes

Antiphona



Constántes estóte, vidébitis auxiliúm Dómini super vos. **Ps.** Miserére.

Antiphona



Ad te, Dómine, levávi ánimam meam, veni, et éripe me, Dómine, ad te confúgi. **Ps.** Dómine, exáudi.

Antiphona



Veni, Dómine, et noli tardáre, reláxa facínora plebis tuæ, Israel! **Ps.** Deus, Deus.

Antiphona



Deus a Líbano véniet, et splendor eius, sicut lumen, erit. **Canticum:** Dómine, audívi.

Antiphona

Ego autem ad Dóminum aspíciam, et expectábo Dóminum,
Salvatórem meum. **Ps.** Laudáte.

Hymnus: Vox clara. **Versiculus:** Vox clamántis. **Ad Benedictus antiphona:** Ex quo facta
est, **ut supra.**

Antiphona [alia]

Dabit illi Dóminus Deus sedem David, patris sui, et regnábit in
aetérnum.

Cetera, ut supra.

Ad secundas vespas

Antiphona: Dícite: Pusillánimes. **Ps.** Confitébor. **Capitulum de dominica.**
Responsorium: Festína. **Hymnus:** Córditor. **Versiculus:** Rorate. **Ad Magnificat**
antiphona de O, Sapiéntia. Oratio, ut supra.

SABBATO

Invitorium: Præstolántes.

Ad nocturnum

Antiphona: Dómine, Deus. **Ps.** Cantáte.

Lectio I.

Hæc dicit Dóminus Deus. Quómo do sicut mater blandiátur, ita ego consolábor vos in Ierúsalem, et consolabímíni. Vidébitis, et gaudébit cor vestrum, et ossa vestra, quasi herba, germinábunt. Hæc.

Responsoria vide supra.

Lectio II.

Et cognoscétur manus Dómini servis eius, et indignábitur inimícis suis. Quia ecce, Dóminus in igne véniet, et quasi turbo, quadrígæ eius, réddere in indignatióne furórem suum, et increpatió nem suam in flamma ignis. Hæc.

Responsoria vide supra.

Lectio III.

Quia in igne Dóminus diiudicábitur, et in gládio suo ad omnem carnem, et multiplicabúntur interfécti a Dómino, qui sanctificabántur, et mundos se putábant in hortis intrínsecus. Hæc.

Ad laudes

Antiphona



Dícite: Pusillánimes, confortámini et noli timére; ecce, Deus noster véniet! **Ps.** Miserére.

Antiphona



Intuémini, quantus sit gloriósus iste, qui ingréditur, ad salvándas pópulos. **Ps.** Bonum est.

Antiphona



Véniat íterum ángelus tuus, et dóceat nos vias tuas. **Ps.** Deus, Deus.

Antiphona



Exspectétur, sicut plúvia, elóquium Dómini, et descéndet super nos, sicut ros, Deus noster. **Canticum:** Audíte, cæli.

Antiphona



Ecce, Deus noster, et exspectábimus eum, et salvábit nos. **Ps.** Laudáte Dóminum.

Capitulum, ut supra. **Hymnus:** Vox clara. **Versiculus:** Vox clamántis. **Ad Benedictus antiphona:** Omnis vallis implébitur, **ut supra.**

Alia antiphona



Ponent Dómino glóriam, et laudem eius in ínsulis nuntiábunt, quia ecce, véniet, et non tardábit, allelúia.

Nota, quod ubicumque fuerit proximior littera dominicalis a secundo Kalendas Decembris, ibi imponetur Adventus Domini. Et si in ipsis Kalendis littera dominicalis venerit, celebratur ibidem. Item: Nota, quod Adventus Domini, sive habeat tres hebdomadas, sive quattuor, semper quattuor tempora in tertia hebdomada eiusdem Adventus celebrantur. Nota etiam, quod quandocumque Natalis Domini venerit die dominico, tunc Adventus Domini celebratur per quattuor hebdomadas integras. Et

tunc laudes Prophétæ sancti imponentur quarta feria tertiæ hebdomadæ · propter festum sancti Thomæ apostoli, quod occurrit octavo die post. Item: Laudes Dícite: Pusillánimes imponentur sabbato tertiæ hebdomadæ propter vigiliam Nativitatis Domini. Item antiphona O, Sapiéntia imponetur feria sexta tertiæ hebdomadæ. Item: Si Natalis Domini venerit feria secunda, tunc laudes De Sion imponentur feria quinta secundæ hebdomadæ · propter festum sancti Thomæ. Aliæ vero laudes imponentur in tertia hebdomada diebus eis appropriatis. Et antiphona O, Sapiéntia imponetur sabbato secundæ hebdomadæ. Et tunc vigilia Nativitatis Domini celebratur hoc modo. Primæ vesperæ sabbato canentur de dominica cum responsorio: De illa occúltâ. In matutinis autem invitatorium de vigilia. Primæ duæ antiphonæ ad psalmos de dominica dicuntur, et sex lectiones et sex responsoria. Tertia vero antiphona cum homelia et tribus responsoriis de laudibus, capitulo, collecta · et toto officio nocturno et diurno · præter Alleluia in missa, quod cantatur de dominica, dicuntur de vigilia cum commemoratione de dominica · solum in matutinis et in missa. Item: Si Natalis Domini venerit feria tertia, tunc laudes Constántes imponentur feria sexta secundæ hebdomadæ. Et antiphona: O, Sapiéntia sabbato eiusdem hebdomadæ. Aliæ imponentur in tertia hebdomada diebus eis appropriatis. Item: Si feria quarta venerit, tunc laudes Dícite: Pusillánimes imponentur sabbato secundæ hebdomadæ. Aliæ autem laudes imponentur in tertia hebdomada diebus sibi appropriatis · præter laudes Ecce, véniet, quæ reservantur feriæ secundæ ante vigiliam Nativitatis Domini. Et antiphona O, Sapiéntia imponetur feria secunda tertiæ hebdomadæ. Item: Si Natalis Domini venerit feria quinta, tunc laudes Ecce, véniet cum aliis quattuor laudibus · imponentur in tertia hebdomada diebus sibi accommodatis. Sed laudes Rorate, cæli reservabuntur pro tertia feria quartæ hebdomadæ. Antiphona O, Sapiéntia inchoabitur pro tertia feria tertiæ hebdomadæ. Item: Si Natalis Domini venerit sexta feria, tunc laudes Ecce, véniet imponentur feria secunda in tertia hebdomada. Item: Laudes: De Sion feria quinta. Constántes feria sexta. Dícite: Pusillánimes sabbato. Sed laudes Rorate, cæli pro feria tertia. Prophétæ sancti pro quarta feria reservabuntur in quarta hebdomada. Et antiphona O, Sapiéntia imponetur feria quarta tertiæ hebdomadæ. Item: Si venerit sabbato, tunc laudes: Rorate, cæli feria tertia. Constántes feria sexta. Dícite: Pusillánimes sabbato imponentur in tertia hebdomada. Sed laudes Ecce, véniet; Prophétæ sancti; De Sion imponentur in quarta hebdomada diebus eis appropriatis. Et antiphona O, Sapiéntia imponetur feria quinta tertiæ hebdomadæ. Nota, quandocumque prædictæ laudes imponuntur, si in quattuor temporibus, tunc invitatorium: Súrgite, vigilémus. Si autem aliis diebus, tunc invitatorium: Præstolántes, et antiphona: Dómine, Deus virtútum ad psalmos nocturnos, et antiphona: Dícite: Pusillánimes ad psalmos vespertinos singulis diebus, quibus prædictæ laudes imponentur. Item: Quandocumque prædictæ laudes imponentur, tunc antiphonæ ad horas, videlicet ad primam, ad tertiam, ad sextam · et ad nonam dicuntur de eisdem laudibus.

IN VIGILIA VIGILIÆ

ad vesp̄eras

Responsorium



De illa occulta habitatióne sua egressus est Fílius Dei. * Descéndet visitáre et consolári omnes, qui eum de toto corde desiderábant. **V.** Ex Sion sp̄cies decóris eius, Deus noster manífeste véniet. Descéndet.

Hymnus: Cónditor. **Versiculus:** Rorate. **Ad Magnificat antiphona de O,** Sapiéntia. **Oratio:** Excita, Dómine, quæsumus cum ceteris, ut supra.

IN VIGILIA NATIVITATIS DOMINI

ad matutinum

Invitorium



Hódie sciétis, quia véniet Dóminus, * et mane vidébitis glóriam eius.

Ps. Veníte.

Ad nocturnum

Antiphona



Leváte cápita vestra, ecce, appropinquábit redémptio vestra. **Psalmi feriales.**

Versiculus

V. Hódie sciétis, quia véniet Dóminus.

R. Et mane vidébitis glóriam eius.

Secundum Matthæum

In illo témpore. Cum esset desponsáta mater Iesu María Ioseph, ántequam convenírent, invénta est in útero · habens de Spíritu Sancto. Et réliqua.

Homélie lectiónis eiúsdem.

Lectio

Quæ fuit necéssitas, ut desponsáta esset María Ioseph, nisi proptérea, quátenus hoc sacraméntum diabolo celarétur, et ille malignus fraudis comménta advérsus desponsátam Vírginem nulla pénitus invenísset. Vel ídeo fúerat desponsáta Ioseph, ut nato infánti vel ipsi Mariæ curam viderétur gérere Ioseph, sive in Ægýptum iens, vel inde dénuo véniens. Tu.

Responsorium



Sanctificámini hódie, et estóte paráti, quia die crástina vidébitis * maiestátem Dei in vobis! **V.** Hódie sciétis, quia véniet Dóminus, et mane vidébitis. Maiestátem.

Lectio

Ideo fuit desponsáta Ioseph, non tamen in concupiscéntia iuncta. Mater, inquit, eius · mater immaculáta, mater incorrúpta, mater intácta. Mater eius · cuius eius? Mater Dei Unigéniti, Dómini et regis, ómnium plasmatóris et creatóris cunctórum. Illíus, qui in excélsis sine matre, et in terra est sine patre. Ipsíus, qui in cælis secúndum deitátem · in sinu est Patris, et in terris secúndum córporis susceptiónem · in sinu est matris.

Responsorium



Constántes estóte, vidébitis auxiliúm Dómini super vos. Iudæa et Ierúsalem, nolíte timére, * cras egrediémíni, et Dóminus erit vobíscum. **V.** Vos, qui in púlvere estís, expergiscímini, et laudáte, ecce, Dóminus véniet cum salúte! Cras.

Lectio

O, magnæ admiratiónis grátia! O, inenarrábilis suávitás! O, ineffábile magnúmque sacraméntum! Ipsa éadem virgo, ipsa et mater Dómini, ipsa et Génitrix, ipsa eius ancílla, plasmátio eius, ipsa, quæ genuit. Quis ista umquam audívit? Quis vidit tália? Quis hoc cogitáre pótuit, ut mater virgo esset, intácta generáret, quæ et virgo permánsit et genuit? Sicut enim quondam rubus combúri videbátur, et ignis eum non tangébat. Et sicut tres púeri in camíno inclúsi habebántur, et tamen eos non lædébat incéndium, nec odor fumi erat in eis. Vel quemádmódu Dániel, intra lacum leónum inclúso, claustris non apértis, allátum est ei prándium ab Habacuc, ita et hæc Virgo sancta · genuit Deum, sed intácta permánsit. Mater effécta est, sed virginitátem non amísit. Genuit infántem, sed ut dictum est, virgo permánsit; virgo ergo genuit, et virgo permánsit. Mater filii facta est, et castitátis sigíllum non pérdidit. Quare? Quia non homo iste

tantum, qui videbatur, sed Unigénitus erat Deus, qui in carne advenerat, nec subito carnaliter génius est, sed perfecta déitas in corpore venit. Tu.

Responsorium



Sanctificámini, filii Israel, dicit Dóminus, in die enim crástina descéndet Dóminus, # et áuferet a vobis omnem languórem. **V.** Ecce, Dóminus véniet, et salvos nos fáciat, et illuminábit abscondita tenebrárum. Et áuferet.

Versiculus

V. Exspectétur, sicut plúvia, elóquium Dómini.

R. Et descéndet super nos, sicut ros, Deus noster.

Ad laudes

Antiphona



Iudæa et Ierúsalem, nolíte timére, cras egrediémini, et Dóminus erit vobíscum, allelúia.

Antiphona



Hódie sciétis, quia véniet Dóminus, et mane vidébitis glóriam eius.

Antiphona



Crástina die delébitur iníquitas terræ, et regnábit super nos Salvátor mundi.

Antiphona

Exspectétur, sicut plúvia, elóquium Dómini, et descéndet super nos, sicut ros, Deus noster.

Antiphona

Crástina die erit vobis salus, dicit Dóminus, Deus exercítuum.

Capitulum

Hæc dicit Dóminus Deus. Propter Sion non tacébo, et propter Ierúsalem non quiéscam, donec egrediátur, ut splendor, iustus eius, et Salvátor eius, ut lampas, accendátur. Deo.

Hymnus: Vox clara. **Versiculus:** Crástina die erit vobis salus, dicit Dóminus exercítuum.

Ad Benedictus antiphona

Ioseph, fili David, noli timére accípere Mariám, cóniugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spíritu Sancto est, allelúia.

Oratio

Deus, qui nos redemptionis nostræ ánnua expectatióne lætíficas, præsta, ut Unigénitum tuum, quem Redemptórem læti suscipimus, veniéntem quoque iúdicem secúri videámus, Dóminum nostrum.

Ad primam

Antiphona: Iudæa et Ierúsalem. **Psalmus:** Deus, in nómine. **Capitulum:** Hæc dicit Dóminus Deus. Propter Sion, **ut supra.** **Responsorium:** Christe, Fíli Dei. **V.** Qui ventúrus. **Versiculus:** Hódie sciétis. **Oratio:** Deus, qui nos redemptionis. Dómine, sancte Pater.

Ad tertiam

Antiphona: Hódie sciétis. **Psalmus:** Legem pone. **Capitulum:** Hæc dicit Dóminus. Propter Sion.

Responsorium



Hódie sciétis, # quia véniet Dóminus. **V.** Et mane vidébitis glóriam eius. Quia.

Versiculus: Crástina die delébitur.

Ad sextam

Antiphona: Crástina die delébitur. **Psalmus:** Defécit.

Capitulum

Et vidébunt gentes iustum tuum, et cuncti reges ínclytum tuum, et vocábitur tibi nomen novum, quod os Dómini nominávit, et eris coróna glóriæ in manu Dómini, et diadéma regni in manu Dei tui. Deo.

Responsorium



Iníquitas terræ delébitur # crástina die. **V.** Et regnábit super nos Salvátor mundi. Crástina.

Versiculus: Expectétur, sicut plúvia.

Ad nonam

Antiphona: Crástina die. **Psalmus:** Mirabilia.

Capitulum

Non vocáberis ultra derelícta, et terra tua non vocábitur ámplius desoláta, sed vocáberis Volúntas Mea in Ea, et terra tua inhabitábitur, quia complácuít Dómino in te. Deo.

Responsorium

Exspectétur, sicut plúvia, # elóquium Dómini. **V.** Et descéndet super nos, sicut ros, Deus noster. Elóquium.

Versiculus

V. Crástina die erit vobis salus.

R. Dicit Dóminus exercítuum.

Ad vesperas

Antiphona

Ave, spes nostra, Dei Génitrix intácta! Ave, illud ave per ángelum accípiens! Ave, concípiens Patris splendórem, benedícta! Ave, casta, sanctíssima Vírgo, sola innúpta: te gloríficat omnis creatúra, matrem lúminis, allelúia allelúia allelúia!

Deus in adiutórium **dicatur**.

Antiphona

Scitóte, quia prope est regnum Dei, amen dico vobis, quia non tardábit! **Ps.** Laudáte púeri.

Antiphona



Rex pacíficus magnificátus est, cuius vultum desíderat univérſa terra. **Ps.** Laudáte Dóminum omnes gentes.

Antiphona



Magnificátus est rex pacíficus super omnes reges univérſæ terræ. **Ps.** Lauda ánima.

Antiphona



Oriétur sicut sol Salvátor mundi, et descéndet in úterum Vírginis, sicut imber super gramen, allelúia. **Ps.** Laudáte Dóminum, quóniam.

Antiphona



Dum ortus fúerit sol de cælo, vidébitis regem regum, procedéntem a Patre, tamquam sponſum de thálamò suo. **Ps.** Lauda, Ierúsalem.

Antiphona



Gaudete et lætáre, Ierúsalem: ecce, rex tuus véniet, de quo prophétæ prædixerunt, quem ángeli adoravérunt, quem chérubim et séraphim sanctus, sanctus, sanctus proclámant!

Capitulum

FRATRES. Paulus, servus Iesu Christi, vocátus apóstolus, segregátus in evangélium Dei, quod ante promíserat per prophétas suos in scriptúris sanctis de Fílio suo, qui factus est ei ex sémine David secúndum carnem. Deo grátias.

Hymnus



Veni, Redemptor gentium,
ostende partum Virginis,
miretur omne saeculum,
talis decet partus Deum!

Non ex virili semine,
sed mystico spiramine
Verbum Dei factum est caro,
fructusque ventris floruit.

Alvus tumescit Virginis,
claustra pudoris permanent,
vexilla virtutum micant,
versatur in templo Deus;

Procedens de thalamo suo,
pudoris aula regia,
geminæ gigas substantiæ,
alacris ut currat viam.

Egressus eius a Patre,
regressus eius ad Patrem,
excursus usque ad inferos,
recursus ad sedem Dei.

Æqualis æterno Patri
carnis trophæo accingere,
infirma nostri corporis
virtute firmans perpeti.

Præsepe iam fulget tuum,
lumenque nox spirat suum,
quod nulla nox interpolet,
fidèque iugi luceat!

Gloria tibi, Dómine,
qui natus es de Virgine,
cum Patre et Sancto Spíritu
in sempiterna saecula!



Amen.

Versiculus

V. Tamquam sponsus Dóminus.

R. Procédens de thálamo suo.

Ad Magnificat antiphona



Cum esset desponsáta mater Iesu, Maríá Ioseph, ántequam convenírent, invénta est in útero habens, quod enim in ea natum est, de Spírítu Sancto est, allelúia. Euouae.

Oratio

DEUS, qui nos redemptiónis nostræ ánnua expectatióne lætíficas: præsta, ut Unigénitum tuum, quem Redemptórem læti suscipimus, veniéntem quoque iúdicem secúri videámus. Dóminum nostrum Iesum Christum, Fílium tuum, qui tecum.

Ad completorium

Psalmus: Cum invocárem. **Hymnus:** Lux mundi **vel** Fit porta. **Capitulum:** Paradísi porta. **Versiculus:** Benedíctus, qui venit.

Ad Nunc dimittis antiphona



Compléti sunt dies Maríæ, ut páreret filium suum primogénitum. Euouae.

Oratio: Deus, qui nos redemptiónis. **Oratio:** Deus, qui illúminas.

IN NATIVITATE DOMINI

ad matutinas

Invitorium



Christus natus est nobis: * veníte, adorémus! Ps. Veníte.

In primo nocturno

Antiphona



Dóminus dixit ad me: Fílius meus es tu, ego hódie génui te. Ps. Quare fremuérunt.

Antiphona



Tamquam sponsus, Dóminus procédens de thálamó suo. Ps. Cæli enárrant.

Antiphona



Diffúsa est grátia in lábiis tuis, proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. Ps. Eructávit.

Versiculus

V. Speciósus forma præ fíliis hóminum.

R. Diffúsa est grátia in lábiis tuis.

Benedictiones dicuntur de beata Virgine.

Lectio I.

Primo témpore alleviáta est terra Zábulon · et terra Néphtalim, et novíssimo aggraváta est via maris · trans Iordánem Galilææ. Géntium pópulus, qui ambulábat in ténebris, vidit lucem magnam. Habitántibus in regióne umbræ mortis · lux orta est eis. Multiplicásti gentem, et non magnificásti lætítiam. Lætabúntur coram te, sicut qui lætántur in messe, sicut exsúltant victóres, capta præda, quando dívidunt spólia. Iugum enim óneris eius, et vírgam húmeri eius, et sceptrum exactóris eius superásti, sicut in die Má dian. Quia omnis violénta prædátio cum tumúltu · et vestiméntum mixtum sángine · erit in combustiónem, et cibus ignis. Párvulus enim natus est nobis, et fílius datus est nobis. Et factus est principátus super húmerum eius, et vocábitur nomen eius · Admirábilis, Consiliárius, Deus fortis, Pater futúri sáculi, Princeps pacis. Multiplicábitur eius impérium, et pacis non erit finis. Super sólium David · et super regnum eius sedébit, ut confirmet illud, et corróboret in iudício · et iustítia, ámodo usque in sempitérnum. Zelus Dómini exercítuum fáciat hoc. Verbum misit Dóminus in Iacob, et cécidit in Israel. Hæc.

Responsorium



Hódie nobis cælórum rex de Vírgine nasci dignátus est, ut hómínem pérditum ad regna cæléstia revocáret. Gáudet exércitus angelórum, * quia salus æténa humáno géneri apparuit. **V.** Glória in excélsis Deo, et in terra pax homínibus bonæ voluntátis. **Quia.**

Lectio II.

Consolámini, consolámini pópule meus, dicit Deus vester. Loquímíni ad cor Ierúsalem, et advócáte eam. Quóniam compléta est malítia eius, dimíssa est iníquitas illíus. Suscépit de manu Dómini duplícia · pro ómnibus peccátis suis. Vox clamántis in desérto: Paráte viam Dómini, rectas fácite sémitas Dei nostri! Omnis vallis exaltábitur, et omnis mons et collis humiliábitur. Et erunt prava in dirécta, et áspera in vias planas. Et revelábitur glória Dómini, et vidébit omnis caro páriter, quod os Dómini locútum est. Vox dicéntis: Clama! Et dixi: Quid clamábo? Omnis caro fœnum, et omnis glória eius, quasi flos agri. Exsiccátum est fœnum, et cécidit flos, quia spíritus Dómini

sufflavit in eo. Vere fœnum est pópulus. Exsiccátum est fœnum, et cecidit flos. Verbum autem Dómini manet in ætérnum. Hæc.

Responsorium



Hódie nobis de cælo pax vera descéndit, * hódie per totum mundum mellíflui facti sunt cæli. **V.** Hódie illúxit nobis dies redemptiónis novæ, reparatiónis antíquæ, felicitátis ætérnæ. **H**ódie.

Lectio III.

Consúrge, consúrge, indúere fortitúdine tua Sion, indúere vestiméntis glóriæ tuæ Ierúsalem, cívitas Sancti, quia non adiíciet ultra, ut pertránseat per te incircumcísus et immúndus! Excútere de púlvere, consúrge sede Ierúsalem, solve víncula colli tui, captíva filia Sion! Quia hæc dicit Dóminus Deus: Gratis venúmdati estis, et sine argénto redimémini. Quia hæc dicit Dóminus Deus: In Ægýptum descéndit pópulus meus in princípío, ut colónus esset ibi, et Assur absque ulla causa calumniátus est eum. Et nunc quid mihi est, dicit Dóminus, quóniam ablátus est pópulus meus gratis? Dominatóres eius iníque agunt, dicit Dóminus, et iúgiter tota die nomen meum blasphemátur. Propter hoc sciet pópulus meus nomen meum in die illa, quia ego ipse, qui loquébar, ecce adsum. Hæc.

Responsorium



Descéndit de cælis missus ab arce Patris. Introívit per aurem Vírginis in regiónem nostram, indútus stola purpúrea, * et exívit per áuream portam lux et decus univérsæ fábricae mundi. **V.** Tamquam sponsus, Dóminus procédens de thálamò suo. **M**issus ab arce veniébat, magnam lætítiam nunciábat: Est Christus ventúrus, alvo matris procreátus. **V.** Tamquam sponsus, **supra.** Et exívit. **G**lória Patri. **G**lória piæ Trinitáti, honor et virtus fir Unitáti, potéstas et regnum Deitáti, summa poténtia Patri et Fílio et Spíritui Sancto. **S**icut erat **per totum.** **E**t exívit.

In secundo nocturno

Antiphona



Suscépi^mus, Deus, misericórdiam tuam in médio templi tui. **Ps.** Magnus Dóminus.

Antiphona



Oriétur in diébus Dómini abundántia pacis, et dominábitur. **Ps.** Deus, iudícium.

Antiphona



Véritas de terra orta est, et iustítia de cælo prospéxit. **Ps.** Benedixísti.

Versiculus

V. Notum fecit Dóminus, allelúia.

R. Salutáre suum, allelúia.

Sermo Isidori · Lectio IV.

Natális Dómini dies · ea de causa a pátribus votivæ sollemnitátis institútus est, quia in eo Christus pro redemptióne mundi · nasci corporáliter vóluit, pródiens ex Virgini^s útero, qui erat in Patris império. Cuius susceptæ carnis causa hæc est, postquam enim invidía diaboli · parens ille primus, spe sedúctus ináni, cécidit · conféstim exsul et pérditus in omni génere suo radicem malítiæ · et peccáti tradúxit. Crescebátque in malum vehementius omne genus mortálium, diffúsus úbique sceléribus, et quod est néquius, ómnium cúl^tibus idolórum, volens ígitur Deus termináre peccátum, consúluit verbo, lege, prophétis, signis, plagis · et prodígiis. Sed cum nec sic quidem erróres suos admónitus cognósceret mundus, misit Deus Fílium su-

um, ut carnem indúeret, et homínibus apparéret, et peccatóres sanáret. Tu.

Responsorium



Quem vidístis, pastóres, dícite! Annuntiáte nobis, in terris quis appáruit! * Natum vídimus in choro angelórum, Salvatórem Dóminum. **V.** Dícite, quidnam vidístis, et annuntiáte Christi nativitátem! **N**atum.

Lectio V.

Qui ídeo in hómine venit, quia per seípsum cognósci ab homínibus non pótuit. Ut autem viderétur, Verbum caro factum est, assuméndo carnem, non mutátum in carne. Assúmpsit enim humanitátem, non amísit divinitátem. Ita idem Deus et homo · idem in natúra hómínis factus est mortális, manens quod erat, assuménsque quod non erat, ut liberáret, quod fécerat. Hæc est ergo domínicæ nativitátis magna sollémnitas. Hæc est diéi huius nova et gloriósa festívitás, advéntus Dei factus ad hómínes. Itaque dies iste pro eo, quod Christus in eo natus est, Natális dícitur. Quem ígitur observáre per revolútum círculum anni · festa sollemnitáte debémus, ut in memóriam revocétur, quod Christus natus est. Tu.

Sermo sancti Leonis papæ · Lectio VI.

Salvátor noster, dilectíssimi, hódie natus est, gaudeámus! Neque enim locum fas est esse tristítiæ, ubi natális est vitæ. Quæ consúpto mortalitátis timóre, íngerit nobis de promíssa æternitáte lætítiam. Una cunctis lætítiæ commúnis est rátio, quia Dóminus noster, peccáti mortísque destrúctor, sicut nullum a reátu líberum réperit, ita pro liberándis ómnibus venit. Exsúltet sanctus, quia propínquat ad palmam! Gáudeat peccátor, quia invitáture ad véniam! Animétur géntilis, quia vocátur ad vitam! Dei namque Fílius secúndum plenítudinem témporis, quam divíni consílii inscrutábilis altitúdo dispósuit, reconciliándam auctóri suo, natúram géneris assúmpsit humáni, ut invéntor mortis diábolus · per ipsam qua vícerat, vincerétur. In quo conflictu pro nobis ínito · magno et mirábili æquitátis iure certátum est, dum omnípotens Dóminus cum sævíssimo hoste · non in sua maiestáte, sed in nostra humilitáte congréditur. Obiícens ei eándem

formam, eandemque naturam, mortalitatis quidem nostrae participem, sed peccati totius expertem. Tu.

Responsorium



O, magnum mysterium et admirabile sacramentum, ut animalia viderent Dominum natum, * iacentem in praesepio! Beata Virgo, cuius viscera meruerunt portare Dominum Christum! **V.** Domine, audivi auditum tuum, et timui, consideravi opera tua, et expavi, in medio duum animalium. **I**acentem.

Lectio VI.

EXSULTEMUS in Domino dilectissimi · et spiritali iucunditate laetemur · quia illuxit nobis dies redemptionis novae · reparationis antiquae · felicitatis aeternae. Reparatur enim nobis salutis nostrae annua revolutione · sacramentum ab initio promissum · in fine redditum · sine fine mansurum. In quo dignum est nos sursum erectis cordibus divinum adorare mysterium · ut quod magno munere Dei agitur · magnis Ecclesiae gaudiis celebretur. Deus enim omnipotens et clemens · cuius natura bonitas · cuius voluntas potentia · cuius opus misericordia est · statim ut nos diabolica malignitas · veneno suae mortificavit invidiae · praedestinata renovandis mortalibus pietatis suae remedia · mater ipsa mundi primordia praesignavit · denuntians serpenti futurum semen mulieris · quod noxii capitis elationem sua virtute conteneret · Christum scilicet in carne Deum hominemque significans · qui natus ex Virgine violatorem humanae propaginis · incorrupta nativitate damnaret. Nam quia gloriabatur diabolus hominem sua fraude deciptum divinis caruisse muneribus · et immortalitatis dote nudatum · duram mortis subisse sententiam · seque in malis suis quoddam de praevicatoris consortio invenisse solatium · Deum quoque iustae severitatis exigente ratione erga hominem quem in tanto honore condiderat · antiquum mutasse sententiam · opus fuit dilectissimi secreta dispensatione consilii · ut incommutabilis Deus · cuius voluntas non potest sua benignitate privari · primam pietatis suae dispositionem · sacramento occultiore compleret · et homo versuta diabolicae iniquitatis actus · in culpam · contra Dei propositum non periret. Adveniētibz ergo temporibus dilectissimi · quae redemptioni hominum fuerant praestituta · ingreditur haec mundi

infíma Fílius Dei · de cælésti sede descéndens · et a patérna glória
 non recédens · novo órđine nova nativítate generátus. Novo órđine ·
 quia invisíbilis in suis · visíbilis est factus in nostris.
 Incomprehensíbilis vóluit comprehéndi · ante témpora manens · esse
 cœpit ex témpore. Universitátis Dóminus · servílem formam
 obumbráta maiestátis suæ dignítate suscepit. Impassíbilis Deus · non
 dedignátus est homo esse passíbilis · et immortalis mortis légibus
 subiacére. Nova autem nativítate est generátus · quia invioláta
 virgínitas · concupiscéntiam nescívit · sed substántiam ministrávit.
 Assúmpta est de matre Dómini · natúra non culpa. Creatá est forma
 servi · sine conditióne servíli · et novus homo sic contemperátus est
 véteri · ut et veritátem suscíperet géneris · et vitium exclúderet
 vetustátis · verax namque misericórdia Dei · cum ad reparándum
 genus humánum ineffabíliter multa ei suppéterent · hanc
 potíssimum consuléndi elégit viam · quæ ad destruéndum opus
 diaboli · non virtúte uterétur poténtiæ · sed ratióne iustítiæ. Nam
 supérbia hostis antíqui · non immérito sibi in omnes hómines ius
 tyránnicum vindicábat · nec indébito dominátu premébat · quos a
 mandáto Dei spontáneos in obséquium suæ voluntátis illexíerat. Non
 itaque iuste amíttetet originálem humáni géneris servitútem · nisi de
 eo quod subégerat vincerétur. Illúsa est igitur secúri hostis astútia ·
 qui nativítatem púeri in salútem humáni géneris procreáti · non
 áliter sibi quam ómnium nascéntium putávit obnoxiam. Vídit enim
 vagiéntem atque lacrimántem · vidit pannis obvolútum · cir-
 cumcisióni subditum · et legalis sacrificií oblatiÓne perfúntum.
 Agnóvit déinceps sólita increménta puerítiæ · et usque ad víriles an-
 nos · de naturálibus non dubitávit augméntis. Sciens autem quod hu-
 mánam natúram infecísset venéno · nequáquam crédidit transgressi-
 ónis exsórtem · quem tot documéntis didícit esse mortálem. Persistit
 ergo ímprobus prædo · et amárus exáctor · in eum qui nihil ipsíus
 habébat insúrgere · et dum vitiátæ orígini præiudícium generále
 perséquitur · et cirógraphum cui innitebátur excídit · ab illo
 iniquitátis éxigens pœnam · in quo nullam réperit culpam. Sólvitur
 itaque letíferæ pactiÓnis male suása conscríptio · fortis ille néctitur
 vínculis suis · et ligáto mundi príncipe · captivitátis vasa rapiúntur ·
 redit in honórem suum ab antíquis contágiis purgáta natúra.
 Quisquis igitur Christiáno nómine pie et fidéliter gloriáris ·
 reconciliatiÓnis huius grátiam · iusto perpénde iudício. Tibi enim
 quondam abiécto · tibi extrúso de paradísi sédibus · tibi per exsília
 longa moránti · tibi in cínere et púlverem dissolúto · cui iam non

erat spes ulla vivendi · per incarnationem Verbi potestas data est · ut de longinquo ad tuum revertaris Auctorem · recognoscas Parentem · liber efficiaris ex servo · de extraneo proveharis in filium · ut qui ex corruptibili carne natus es · ex Dei Spiritu renascaris · et obtineas per gratiam · quod non habes per naturam. Habentes ergo tantae spei fiduciam dilectissimi · in fide qua fundati estis stabiles permanete · ne idem ille tentator · cuius iam a nobis dominationem Christus exclusit · aliquibus nos iterum seducat insidiis · et haec ipsa praesentis diei gaudia · fallaciae suae arte corrumpat · illudens simplicioribus animis · de quorundam pestifera persuasione · quibus haec dies sollemnitatis nostrae · non tam de nativitate Christi · quam de novi ut dicunt solis ortu · videtur honorabilis · quorum corda vastis tenebris obvoluta · ab omni incremento verae lucis aliena sunt. Trahuntur enim adhuc stultissimis gentilitatis erroribus · et ministra mundi luminaria · divino honore venerantur. Absit enim ab animis Christianis · impia superstitio · prodigiosumque mendacium. Ultra enim omnem modum distant · a sempiterno temporalia · ab incorporeo corporea · a dominatore subiecta. Quae etsi mirabilem habent pulchritudinem · adorandam tamen non habent deitatem. Illa ergo virtus · illa sapientia · illa est adoranda sola maiestas · quae universitatem mundi creavit ex nihilo · et in quas voluit formas atque mensuras · terrenam caelestemque substantiam omnipotenti ratione produxit. Sol · luna · et sidera · sunt commoda utentibus · sunt speciosa cernentibus · sed ita ut de illis gratiae referantur Auctori · et adoretur Deus qui haec condidit · non creatura quae servit. Laudate igitur Dominum dilectissimi · in omnibus operibus eius atque iudiciis. Sit in vobis indubitata credulitas · virgineae integritatis · et reformationis humanae divinum mysterium · sincero honorate servitio. Amplectimini Christum in nostra carne nascentem · ut eum videre mereamini Deum gloriae in sua maiestate regnantem · cum Deo Patre et Spiritu Sancto.

Responsorium



Beata Dei Genitrix, Maria, cuius viscera intacta permanent, * hodie genuit Salvatorem saeculi. **V.** Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum. **Hodie.**

In tertio nocturno

Antiphona



Ipse invocábit me, allelúia, Pater meus es tu, allelúia. **Ps.** Misericórdias Dómini.

Antiphona



Læténtur cæli, et exsúltet terra ante faciém Dómini, quóniam venit!
Ps. Cantáte I. (máshol ezt cantate primumnak írtuk)

Antiphona



Notum fecit Dóminus, allelúia, salutáre suum, allelúia. **Ps.** Cantáte II.

Versiculus

V. Benedíctus, qui venit in nómine Dómini.

R. Deus Dóminus, et illúxit nobis.

Secundum Lucam

In illo témpore. Exiit edíctum a Césare Augústo, ut describerétur univérsus orbis. Et réliqua.

Homélia beáti Gregórii papæ.

Lectio VII.

Quia largiénte Dómino, missárum sollémnia ter hódie celebráturi sumus, loqui diu de evangélica lectione non pössumus. Sed nos áliquid vel brévitèr dícere · Redemptóris nostri natívitás ipsa compéllit. Quid est, quod nascitúro Dómino mundus descríbitur, nisi hoc, quod apérte monstrátur, quia ille apparébat in carne, qui eléctos suos ascríberet in æternitaté? Cui contra de réprobis per prophétam díci-tur: Deleántur de libro vivéntium, et cum iustis non scribántur. Qui bene étiam in Bétlehem nascitur. Bétlehem quippe domus panis interpretátur. Ipse est namque, qui ait: Ego sum panis vivus, qui de

cælo descendi. Locus ergo, in quo Dóminus nascitur, domus panis ante vocátus est, quia futúrum profecto erat, ut ille ibi per matériam carnis appareret, qui electórum mentes intèrna satietate reficeret. Tu.

Responsorium



Sancta et immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam, nescio, * quia quem cæli capere non poterant, tuo gremio contulisti. **V.** Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. **Quia.**

Secundum Lucam

In illo tempore. Pastores loquebantur ad invicem: Transeamus usque Bethlehem, et videamus hoc verbum quod factum est, quod Dóminus ostendit nobis! Et reliqua.

Homelia venerabilis Bedæ presbyteri.

Lectio VIII.

Nato in Bethlehem Dómino Salvatore, sicut sacra evangélie testatur historia, pastoribus, qui in regione eadem erant vigilantes vigilias super gregem suum, ángelus Dómini magna cum luce apparuit, exortumque mundo solem iustitiæ · non solum cælestis voce sermónis, verum etiam claritate divínæ lucis astruxit. Nusquam enim in tota Véteris Testaméti série repperimus ángelos, qui tam sèdulo apparuere patribus cum luce apparuisse, sed hoc privilegium recte hodierno tempore servatum est, quando exortum est in tenebris lumen rectis corde · misericors et miserator Dóminus. Verum ne parva unius ángeli videretur auctoritas, postquam unus sacramentum novæ nativitatis edocuit, statim multitudo cælestium ágminum, quæ glóriam Deo caneret, pacemque simul hominibus predicaret, affuit, aperte demonstrans, quia per hanc novitatem · homines ad pacem unius fidei essent convertendi. Significant autem mirifice pastores isti gregum · doctores quosque atque rectores fidelium animarum. Nox, cuius vigilias custodiébant super gregem suum, pericula tentationum indicat, a quibus se suosque subiectos, omnes, qui perfecte vigilant, custodire non desistunt. Pastores autem illi · felici gaudio festinarunt, videre, quod audierant, et quia ardenti amore quasiérunt, continuo invenire meruerunt. Sed et intellectuálium pastores gregum, qua mentis industria Christum quaerere debeant, di-

ctis páriter suis ostendérunt et factis. Transeámus ergo et nos, fratres caríssimi, abiéctis concupiscéntiis carnálibus, toto mentis desidério · usque Bétlehem, civitátem David, id est domum panis vivi, non manu factam, sed ætérnam in cælis, et recolámus amándo, atque dignis honóribus eius incarnatiónem celebrémus, et pervígili cura procurémus, ut, quem illi in præsépio vidére vagiéntem, nos in Patris sólio mereámur vidére regnántem! Tu.

Responsorium



Beáta víscera Mariæ Vírginis, quæ portavérunt ætérni Patris Fílium, et beáta úbera, quæ lavtavérunt Christum Dóminum, * quia hódie pro salúte mundi de Vírgine nasci dignátus est. **V.** Dies sanctificátus illúxit nobis, veníte, gentes, et adoráte Dóminum! **Q**uia hódie.

Secundum Ioannem

In princípio erat Verbum. Et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in princípio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. Et réliqua.

Homélia venerábilis Bedæ presbýteri.

Lectio IX.

Quia temporálem Mediátóris Dei et hóminis Iesu Christi nativitátem · sanctórum evangelistárum verbis, Matthæi vidélicet et Lucæ, manifestátam cognóvimus, libet étiam de Verbi, id est divinitátis eius æternitáte, in qua Patri manet semper æquális, beáti Ioánnis evangelistæ dicta scrutári, qui singuláris privilégio méruit castitátis, ut céteris áltius divinitátis ipsíus cáperet, simul et patefáceret arcánium. Neque enim frustra in cæna super pectus Dómini Iesu recubuisse perhibétur, sed per hoc týpice docétur, quia cæléstis haustum sapiéntiæ · céteris excellentius · de sanctíssimo eíusdem pectoris fonte potáverit. Unde et mérito in figúra quáttuor animálium áquilæ volánti comparátur, cunctis quippe ávibus áquila célsius voláre, cunctisque animántibus clárius solis rádiis infígere consuévit obtútus. Et céteri evangelistæ, quasi in terra cum Dómino ámbulant, qui temporálem eius generatiónem · páriter et temporália facta sufficiénter exponéntes, pauca de divinitáte dixérunt. Hic autem, quasi ad cælum volat cum Dómino, qui pauca de temporálibus eius actis edísserens,

ætérna divinitátis eius poténtia, per quam ómnia facta sunt, sublímibus mente volándo · et limpídius speculándo cognóvit, ac nobis cognoscéndam scribéndo trádedit. Tu.

Responsorium



Verbum caro factum est, et habitávit in nobis, * cuius glóriam vídimus, quasi Unigéniti a Patre, plenum grátia et veritáte. **V.** In princípío erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. **C**uius. **G**lória Patri.

Per totum dicatur. Deinde dicitur Te Deum. **Versiculus:** Notum fecit Dóminus.

Laudes

Antiphona



Quem vidístis, pastóres? Dícite, in terris quis appáruit! Natum vídimus in choro angelórum, Salvatórem Dóminum, allelúia, allelúia. **Ps.** Dóminus regnávít.

Antiphona



Génuit puérpera regem, cui nomen ætérnum, et gáudium matris habens cum virginitátis honóre: nec primam símilem visa est nec habére sequéntem, allelúia. Euouae.

Antiphona



Angelus ad pastóres ait: Annúntio vobis gáudium magnum, quia natus est vobis hódie Salvátor mundi, allelúia. Euouae.

Antiphona



Facta est cum ángelo multitúdo cæléstis exércitus, laudántium Deum, et dicéntium: Glória in excélsis Deo, et in terra pax homínibus bonæ voluntátis! Euouae.

Antiphona



Párvulus fílius hódie natus est nobis, et vocábitur Deus fortis, allelú-
ia allelúia. Euouae.

Capitulum

Caríssimi. Appáruit grátia Dei et Salvatóris nostri ómnibus homínibus, erúdiens nos, ut abnegántes impietátem et sæculária desidéria, sóbrie et iuste et pie vivámus in hoc sæculo, exspectántes beátam spem et advéntum Salvatóris nostri Iesu Christi. Deo grátias.

Hymnus



Corde natus ex Paréntis ante mundi exórdium,
Alpha et O cognominátus, ipse fons et cláusula
ómnium, quæ sunt, fuére, quæque post futúra sunt
sæculórum sæculis.

O, beátus partus ille, Virgo cum puérpera
édidit nostram salútem, feta Sancto Spíritu,
et puer Redémptor orbis os sacratum prótulit
sæculórum sæculis!

Psallat altitúdo cæli, psallant omnes ángeli,
quicquid est virtútum usque, psallat in laudem Dei:
nulla linguárum siléscat, vox et omnis cónsonet
sæculórum sæculis!

Ecce, quem vates vetústis concinébant sæculis,
quem prophetárum fidéles páginæ spopónderant,
émicat promíssus olim, cuncta colláudent eum
sæculórum sæculis.

Te senes et te iuvéntus parvulórúmque chorus,
turba matrum virginúmque, símplex puéllulæ
voce concórdes pudíci pèrstrepent concéntibus
sæculórum sæculis.

Tibi, Christe, sit cum Patre Hagióque Spíritu
hymnus, melos, laus perénnis, gratiárum áctio,
honor, virtus, victória, regnum æternáliter
sæculórum sæculis!



Amen.

Versiculus

V. Verbum caro factum est.

R. Et habitávit in nobis.

Ad Benedictus antiphona



Glória in excélsis Deo, et in terra pax homínibus bonæ voluntátis, al-
lelúia allelúia. Euouae.

Oratio

Da nobis, quæsumus, Dómine Deus noster, ut qui nativitátem Dó-
mini nostri, Iesu Christi nos frequentáre gaudémus, dignis con-
versatió nibus ad eius mereámur pertíngere consórtium! Per eúndem
Dóminum nostrum Iesum Christum, qui tecum.

Ad primam

Hymnus: Iam lucis **vel** Eníxa est puérpera, **conclusio:** Glória tibi, Dómine, qui natus.

Antiphona:

Lux orta est super nos, quia natus est nobis hódie Salvátor, allelúia.

Ps. Deus, in nómine. Confitémini. Beáti immaculáti. Retríbue servo. Quicúmque.

Responsorium

Iesu Christe, Fíli Dei vivi: * miserére nobis! **V.** Qui natus es de Vírgine María: **M**iserére.

Ad tertiam

Antiphona

Gaudeámus, omnes fidéles: Salvátor noster natus est in mundum hódie, procéssit proles magnífici gérmis, et perseverat pudor virginitátis! **Ps.** Legem pone.

Responsorium

Speciósus forma * præ filiis hóminum. **V.** Diffúsa est grátia in lábiis tuis. **Præ.**

Ad sextam

Antiphona



Virgo hódie fidélis, etsi Verbum génuít incarnátum, Virgo mansit et post partum, quam laudántes omnes dícimus: Benedicta tu in muliéribus. **Ps.** Defécit.

Responsorium



Notum fecit Dóminus * salutáre suum. **V.** In conspéctu géntium revelávit iustítiam suam. **S**alutáre.

Ad nonam

Antiphona



In princípío et ante sáecula Deus erat Verbum: ipse natus est nobis Salvátor mundi, allelúia. **Ps.** Mirabília.

Responsorium



Benedíctus, * qui venit in nómine Dómini. **V.** Deus Dóminus, et illúxit nobis. **Q**ui.

Ad secundas vesperas

Antiphona



Tecum princípium in die virtútis tuæ, in splendóribus sanctórum, ex útero ante lucíferum génuí te. **Ps.** Dixit Dóminus.

Antiphona



Redemptiónem misit Dóminus pópulo suo, mandávit in ætérnum testaméntum suum. **Ps.** Confitébor.

Antiphona



Exórtum est in ténebris lumen rectis corde, miséricors et miserátor et iustus Dóminus. **Ps.** Beátus vir.

Antiphona



Apod Dóminum misericórdia, et copiósa apud eum redéemptio. **Ps.** De profúndis.

Antiphona



De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. **Ps.** Meménto, Dómine, David.

Capitulum: Multifárie, *supra*. **Responsorium:** Verbum caro factum est, *supra*.

Hymnus:



A solis ortus cárdine ad usque terræ límitem
Christum canámus princípem, natum María Vírgine!

Beátus auctor sáeculi
servíle corpus índuit,
ut carne carnem líberans,
ne pérderet, quos cóndidit.

Clausa paréntis víscera
cæléstis intrat grátia:
venter puéllæ báíulat
secréta, quæ non nóverat.

Domus pudíci péctoris
templum repénte fit Dei,
intácta, nésciens virum,
verbo concépit Fílium.

Eníxa est puérpera,
quem Gábriel prædíxerat,
quem matris alvo géstiens,
clausus Ioánnes sénserat.

Fceno iacére pértulit,
præsépe non abhórruit,
parvóque lacte pastus est,
per quem nec ales ésurit.

Gaudet chorus cæléstium,
et ángeli canunt Deo,
palámque fit pastóribus
pastor, creátor ómnium.

Glória tibi, Dómine,
qui natus es de Vírgine,
cum Patre et Sancto Spírítu
in sempitérna sáecula!

Summo Parénti glória,
Natóque laus quam máxima
cum Sancto sit Spirámine
nunc et per omne sæculum!



Amen.

Versiculus

V. Speciósus forma præ fíliis hóminum.

R. Diffúsa est grátia in lábiis tuis.

Ad Magnificat antiphona



Hódie Christus natus est, hódie Salvátor appáruit, hódie in terra canunt ángeli, lætántur archángeli, hódie exsúltent iusti, dicéntes: Glória in excélsis Deo, allelúia! Euouae.

Oratio

Concéde, quæsumus, omnípotens Deus, ut nos Unigéniti tui nova per carnem natívitás líberet, quos sub peccáti iugo vetústa sérvitus tenet. Per eúndem Dóminum nostrum.

Ad completorium

Versiculus: Verbum caro factum est.

Ad Nunc dimittis antiphona



Ecce, de quo Ioánnes dixit, Christus natus est in Israel, et regni eius non erit finis, allelúia. Euouae.

DE SANCTO STEPHANO

ad vesp̄eras

Responsorium



Lápides torrēntes illi dulces fuērunt, * ipsum sequúntur omnes ánimæ iustæ. **V.** Mortem enim, quam Salvátor dignátus est pro ómnibus pati, hanc ille primus réddidit Salvatóri. Ipsum.

Hymnus



Stéphano primo mártiri
cantémus cánticum novum,
quam dulcis est psalléntibus,
opem ferat credéntibus!

Hic primus almo sáanguine,
Christi secútus glóriam,
viam salútis céteris ·
amóre mortis præbuit.

Hic enim per apóstolos
probátus in laudem Dei,
vexílla mortis rápuit,
ut præferrétur ómnibus.

O, præferénda glória,
o, beáta victória,
hoc meruísse Stéphanium,
ut sequerétur Dóminum.

Ille, levátis óculis,
vidit Patrem cum Fílio,
monstrans in cælis vívere,
quem plebs gaudébat pèrdere.

Iudæi magis sæviunt,
 sáxaque prensa má nibus,
 coniúrant, ut occíderent
 veréndum Christi mílitem.

At ille, cælum íntuens,
 tradit beátum spíritum,
 pro persecúentum crímíne
 precem secúndam dírigit.

Deus, creátor ómnium,
 indúlge cæcis hoc malum,
 et hoc nefas, quod áspicis,
 indulge meis précibus!

Præsta, Pater per Fílium,
 præsta per alnum Spíritum,
 cum his per ævum tríplici
 unus Deus cognómíne!



Amen.

Versiculus: Glória et honóre, **et cetera.**

Ad Magnificat antiphona



Ave, protomártýr Stéphane, sígnifer ætérni regis invícite, prece,
 quæsumus, contínua Dóminum pro nobis exóra, ut, ipso inspiránte,
 in suo servítio persistámus devóti, et a cunctis hóstibus, te
 propitiánte, conservámur illæsi.

Oratio

Da, quæsumus, Dómine, imitári, quod cólimus, ut discámus et
 inimícos dilígere, quia eius natalítia celebrámus, qui novit étiam pro
 suis persecutóribus exoráre · Dóminum nostrum.

Ad matutinum

Invitatorium



Regem protomartyris Stéphani * veníte, adorémus, Dóminum, Iesum Christum! **Ps.** Veníte.

In primo nocturno

Antiphona



Beátus Stéphanus iugi legis Dei meditatióne roborátus, tamquam lignum fructíferum, secus salutárium aquárum plantátum decúrsus, fructum martýrii in témpore suo dedit primus. **Ps.** Beátus vir.

Antiphona



Constitútus a Deo prædicátor præceptórum eius, in timóre sancto illi servíre stúduit, officióque fidéliter perácto, in montem eius sanctum ascéndere dignus fuit. **Ps.** Quare fremuérunt.

Antiphona



In tribulatióne lápidum se preméntium pósitus, mília pópuli circumdántis se non tímuit, quia susceptórem suum, Iesum, ut eum salvum fáceret, exsúrgere in cælo vidit. **Ps.** Dómine, quid multiplicáti.

Versiculus: Glória et honóre coronásti eum, Dómine.

Lectio I.

Heri celebrávimus temporálem sempitérni regis nostri natálem. Hódie celebrámus triumphálem mílitis sui passiónem. Heri enim rex noster, trábea carnis indútus, de aula virgináli egrédiens, visitáre dignátus est mundum. Hódie miles, de tabernáculo córporis éxiens, triumphátor migrávit ad cælum. Tu.

Responsorium

Hestérna die Dóminus natus est in terris, ut Stéphanus nascerétur in cælis. * Ingréssus est Dóminus in mundum, ut Stéphanus ingrederétur in cælum. V. Stéphanus vidit cælos apértos, vidit, et introívit. Ingréssus.

Lectio II.

Ille, sempiternæ deitátis maiestáte serváta, servíle cinctórium carnis sumens, in huius sæculi campo pugnatúrus intrávit, iste, depósis corruptibílibus córporis induméntis, ad cæli palátium, perénniter regnatúrus, ascéndit. Ille descéndit carne velátus, iste ascéndit sángine laureátus. Ascéndit iste, lapidántibus Iudæis, quia ille descéndit, lætántibus ángelis. Glória in excélsis Deo heri exsultántes ángeli cantavérunt, hódie Stéphanum lætántes · in suum consórtium suscepérunt. Tu.

Responsorium

Stéphanus autem, plenus grátia et veritáte, * faciébat signa magna et prodígia in pópulo. V. Surrexérunt quidam de synagóga, disputántes cum Stéphano, et non póterant resistere sapiéntiæ et spirítui, qui loquebátur.

Lectio III.

Heri Dóminus exívit de útero vírginis, hódie miles egréssus est de ergástulo carnis. Heri Christus pro nobis pannis est involútus. Hódie Stéphanus stola est ab eo immortalitátis indútus. Heri præsépis angústia Christum portávit infántem. Hódie imménsitas cæli suscepit Stéphanum triumphántem. Solus descéndit Dóminus, ut

multos eleváret. Humiliávit se rex noster, ut suos mílites exaltáret. Qui enim córpori suo vírginis præparávit úterum, ipse mártýri suo aperíre dignátus est cælum. Dóminus Christus intráre angústias non dedignátus est úteri, ut ánimam Stéphaní latitúdo susciperet cæli. Tu.

Responsorium



Vidébant omnes Stéphanum, qui erant in concílio, * et intuebántur vultum eius, tamquam vultum ángeli stantis inter illos. **V.** Stéphanus, plenus grátia et fortitúdine, faciébat prodígia et signa magna in pópulo. Et intuebántur.

In secundo nocturno

Antiphona



Lúmine vultus tui, Dómine, insignítus protomártýr Stéphanus sacrificium iustítiæ seípsum tibi sacrificávit, ideóque in lætítia cordis, in pace obdórmiens, requiésцит. **Ps.** Cum invocárem.

Antiphona



Benedictiónis tuæ, Dómine, múnere iustificátus, et scuto tuæ protectiónis in passióne munítus, nóminis sui corónam Stéphanus a te percípere méruiť. **Ps.** Verba mea áuribus.

Antiphona



O, quam admirábile est nomen tuum, Dómine, Deus noster, pro quo beátus Stéphanus passus, glória et honóre a te est coronátus, et super

cælos dono tuæ magnificentiæ exaltatus. **Ps.** Dómine, Dóminus noster.

Versiculus

V. Posuísti, Dómine, super caput eius.

R. Corónam de lápide pretióso.

Lectio IV.

Necessárium nobis est, fratres, agnóscere, quibus armis præcinctus, Stéphanus sævítiam Iudæórum pótuit superáre, ut ita meruísset feliciter triumpháre. Neque enim parvipendénda sunt, talis virtus, talisque triúmphus, haud vero vílibus armis pótuit præmuníri, qui a multis non pótuit superári. Invícite namque in eo emícuit insígne miraculu[m] virtútis, quæ nec freméntium sævítiam formidávit, nec lapidántium íctibus devícta succúbuit. Usque ádeo enim inter freméntes permánsit impertérritus, et inter lápídum cruciaménta secúrus, ut incredulitátem Iudæórum fidénter argúeret, et benígnus pro lapidántibus exoráret. Tu.

Responsorium



Intuens in cælum, beátus Stéphanus vidit glóriam Dei, et ait: * Ecce, vídeo cælos apértos, et Fílium hóminis, stantem a dextris virtútis Dei.

V. Cumque aspíceret beátus Stéphanus in cælum, vidit glóriam Dei, et ait: Ecce, vídeo.

Lectio V.

Quod autem est tam magnum atque insuperábile genus armórum, quo munítus Stéphanus sæviéntes argúeret lapidántes, non repercútiens, sed pátiens superáret, ínsuper et occísus, aulam cæléstis regni vivus et coronátus intráret. Procul dúbio munímine régio septus, nullátenuis est ab adversáriis superátus. Quia rex noster, cum sit altíssimus, pro nobis húmilis venit, sed inánis veníre non pótuit. Magnum quippe donátivum suis milítibus áttulit, quo eos non solum copióse ditávit, sed étiam ad certándum invictíssime confortávit. Tu.

Responsorium



Impetum fecerunt unánimes in eum, et eiecérunt eum extra civitátem, invocántem, et dicéntem: * Dómine, súscipe spíritum meum! **V.** Pósisis autem génibus, beátus Stéphanus orábat, dicens: Dómine.

Lectio VI.

Attulit namque donum caritátis, quæ perdúceret hómines ad consórtium deitátis. Quod ergo áttulit, erogávit, nec sibi áliquíd mínuit, sed mirábiliter et suórum fidélium paupériem ditávit, et indeficiéntibus thesáuris plenus ipse permánsit. Cáritas ergo, quæ ad terram de cælo depósuit Christum, ipsa Stéphanum de terris elevávit ad cælum. Cáritas, quæ præcéssit in rege, ipsa subsequénter refúlsit in mílite. O, admiránda ubíque poténtia Salvatóris! O, prædicánda indesinénter grátia Redemptóris! Osténdit in matre virginitátis ætérnæ miráculum, demonstrávit in mártire invíctæ caritátis indícium. Intégritas quippe intemeráta permánsit in vírgine, dilectiónis virtus invícta perseverávit in mártire. Et sicut in matre Dómini non pótuit virgíntas violári, sic in mártiris mente non pótuit tanta cáritas tanto sæviéntium ágmine superári. Tu.

Responsorium: Lápides torréntes, *ut supra.*

In secundo nocturno

Antiphona



In Dómino Deo suo confísus, fortis athléta Stéphanus lápidum fórtiter sustínuit ictus, et idcírcó ad montem virtútum transmigrávit victoriósus. **Ps.** In Dómino.

Antiphona



Sine mácula beátus Stéphanus ingrèssus est, Dómine, in tabernáculo tuo, et quia operátus est iustítiam, requiescet in monte sancto tuo. **Ps.** Dómine, quis.

Antiphona



Dómine, virtus et lætítia rectórum, quóniam tu prævenísti diléctum tibi Stéphanum dono gratuítæ benedictiónis, unde cum coróna martýrii dedísti ei vitam in sæculum sæculi. **Ps.** Dómine, in virtúte.

Versiculus: Magna est glória eius in salutári tuo.

Secundum Matthæum

In illo témpore. Dicébat Iesus turbis Iudæórum · et princípibus sacerdotum: Ecce, ego mitto ad vos prophétas · et sapiéntes · et scribas, et ex illis occidétis et crucifigétis, et ex eis flagellábitis in synagógis vestris. Et réliqua.

Homélia lectiónis eiúsdem beáti Hieronými presbýteri de commentário.

Lectio VII.

Ecce, ego mitto ad vos prophétas · et sapiéntes · et scribas, et ex illis occidétis et crucifigétis, et ex eis flagellábitis in synagógis vestris, et persequímmini de civitáte in civitátem. Hoc, quod ante díxeram: “Vos, impléte mensúram patrum vestrórum, ad persónam Dómini pertinére, eo quod occidéndus esset ab eis.” Potest et ad discipulos eius reférri, de quibus nunc dicit: *Ecce, ego mitto ad vos prophétas · et sapiéntes · et scribas, et ex illis occidétis et crucifigétis · et flagellábitis in synagógis vestris, et persequímmini de civitáte in civitátem, ut compleátis mensúram patrum vestrórum.* Simúlque obsérva iuxta apóstolum, scribéntem ad Corínthios, vária esse dona discipulórum Christi: álios prophétas, qui futúra prædicant, álios sapiéntes, qui novérunt, quando débeant proférre sermónem, álios scribas, in lege doctíssimos, ex quibus lapidátus est Stéphanus, Paulus occísus,

crucifixus Petrus, flagellati in actibus apostolorum discipuli. Et persecuti eos sunt de civitate in civitatem, expellentes de Iudæa, ut ad gentium populum transmigrarent. Tu.

Responsorium



Lapidabant omnes Stéphanum, invocantem et dicentem: * Dómine Iesu, súscipe spíritum meum, et ne státuas illis hoc ad peccátum! **V.** Pósitis autem genibus, beátus Stéphanus orábat, dicens: Dómine.

Lectio VIII.

Et véniat super vos omnis sanguis iustus, qui effúsus est super terram · a sángine Abel iusti · usque ad sánguinem Zacharíæ, filii Barachíæ, qui occisus est inter templum et altáre. De Abel nulla est ambigúitas, quin is sit, quem Cain, frater eius occiderit. Iustus autem non solum ex Dómini nunc senténtia, sed ex Génesis testimonio comprobátur, ubi accépta eius a Deo narrántur múnera. Tu.

Responsorium



Impii super iustum iactúram fecérunt, ut eum morti tráderent, * at ille gaudens suscépit lápidés, ut mererétur accíperé corónam vitæ. **V.** Captábant in ánimam iusti, et sánguinem innocéntem condemnábant. At ille.

Lectio IX.

Querimus, quis sit iste Zacharías, filius Barachíæ, quia multos légimus Zacharías. Et ne líbera nobis tribuátur erróris facúltas, ádditum est: *quem occidístis inter templum et altáre.* In divérsis divérsa legi, et débeo singulórum opiniónes expónere. Alii Zachariám filium Barachíæ dicunt, qui in duódecim prophétis undécimus est, patrísque in eo nomen conséntit. Sed ubi occisus est inter templum et altáre, scriptum non lóquitur, máxime cum tempóribus eius vix ruínæ templi fuérunt. Alii Zachariám patrem Ioánnis intélligi volunt, ex quibúsdam apocryphórum sómniis approbántes, quod proptérea occisus sit, quia Salvatóris prædicáret advéntum. Et hoc, quia de scriptúris non habét[ur] auctóritas, eádem facilitáte contémnitur, qua

probátur. Alii istum volunt esse Zachariám, qui occísus est a Ioas, rege Iudææ, inter templum et altáre, sicut regum narrat história. Tu.

Responsorium



Patefactæ sunt iánuæ cæli Christi mártýri, beáto Stéphanó, qui in número sanctórum invéntus est primus, * et ídeo triúmphant in cælis coronátus. **V.** Vidit beátus Stéphanus cælos apértos, vidit, et introívit. Et ídeo.

Ad laudes

Antiphona



Cum autem esset Stéphanus plenus Spíritu Sancto, inténdens in cælum, vidit glóriam Dei, et Iesum, stantem ad dexteram Patris. **Ps.** Dóminus regnávít.

Antiphona



Lapidábant Iudæi Stéphanum, invocántem et dicéntem: Dómine Iesu, áccipe spíritum meum!

Antiphona



Adhæsit ánima mea post te, quia caro mea lapidáta est pro te, Deus meus.

Antiphona

Stéphanus vidit cælos apértos, vidit, et introívit; beátus homo, cui cæli patébunt.

Antihona

Pósisit autem génibus, clamábat voce magna, dicens Stéphanus: Dómine, Iesu Christe, ne státuas illis hoc peccátum!

Capitulum

In diébus illis. Stéphanus, plenus grátia et fortitúdine, faciébat prodígia et signa magna in pópulo. Surrexérunt autem quidam de synagóga, quæ appellabátur Libertinórum et Cyrenénsium et Alexandrinórum, et eórum, qui erant a Cylícia et Asia, disputántes cum Stéphano, et non póterant resístere sapiéntiæ et spirítui, qui loquebátur. Deo.

Hymnus: Hic primus almo. **Versiculus:** Iustus, ut palma.

Ad Benedictus antiphona

Patefáctæ sunt iánuæ cæli Christi mártysi, beáto Stéphano, qui in número sanctorum invéntus est primus. Et ídeo triúmphant in cælis coronátus, allelúia.

Oratio, ut supra. Prima dicitur de Nativitate Domini. **Antiphona:** Quem vidístis, pastóres, et cetera. **Ad tertiam antiphona:** Lapidábant. **Psalmus:** Legem pone. **Capitulum:** Stéphanus autem. **Responsorium:** Glória et honóre.

Ad sextam

Capitulum

Cum autem esset Stéphanus plenus Spíritu Sancto, inténdens in cælum, vidit glóriam Dei, et Iesum, stantem a dextris Dei, et ait: Ecce, vídeo cælos apértos, et Fílium hóminis, stantem a dextris Dei. Deo.

Responsorium: Posuísti, Dómine.

Ad nonam

Capitulum

Et testes deposuérunt vestiménta sua secus pedes adolescéntis, qui vocabátur Saulus. Et lapidábant Stéphanum, invocántem et dicéntem: Dómine Iesu, súscipe spíritum meum! Pósitis autem génibus, clamábat voce magna, dicens: Dómine, ne státuas illis hoc peccátum! Et cum hoc dixisset, obdormívit in Dómino. Deo.

In secundis vesperis

Antiphona: Iucúndus homo, qui miserétur. **Psalmus:** Beátus vir, *quære de uno martyre.* **Capitulum:** Stéphanus, plenus grátia.

Responsorium



Patefactæ sunt iánuæ cæli Christi mártiri, beáto Stéphano, qui in número sanctorum invéntus est primus, * et ídeo triúmphant in cælis coronátus. **V.** Vidit beátus Stéphanus cælos apértos, vidit, et introívit. Et.

Hymnus: Stéphano, primo.

Versiculus

V. Glória et honóre coronásti eum, Dómine.

R. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Ad Magnificat antiphona



Intuens in cælum, beátus Stéphanus vidit glóriam Dei, et ait: Ecce, vídeo cælos apértos, et Fílium hóminis, stantem a dextris Dei.

Oratio, ut supra.

DE SANCTO IOANNE

in vesperis

Responsorium



In médio ecclésiæ aperuit os eius, # et implévit eum Dóminus spírítu sapiéntiæ et intelléctus. **V.** Misit Dóminus manum suam, et tétigit os eius. Et implévit.

Hymnus

De Patre Verbum pródiens,
corpus de matre induens,
Ioánnis testimónio ·
hoc erat in princípío.

Ioánnes ergo céteris
diléctior apóstolis,
rogátus apud Ephesum,
conscrípsit Evangélium.

Erúctans puro péctore
fluénta evangélica,
quæ hausit in convívio
passúro mundi Dómino.

Ascéndens crucis árborem,
comméndat matrem Víginem ·
Iesus huic discípulo,
ut suímet vicário,

Ut Virgo, viri néscia
et castitátis cónscia,
solámen viri próvidi
habéret dies sæculi.

Accépit virgo Vírginem,
 corruptiónis ínciam,
 et par post Christum Fílius,
 desérvit integérrimus.

Sancte Ioánnes, óptime,
 absólve nos a crímíne,
 ut mereámur líberi
 servíre summo príncipi!

Præsta beáta Trínitas,
 indúlge clemens Unitas,
 ut tibi casto córpore ·
 lætémur omni témpore!



Amen.

Versiculus

V. In omnem terram exívit sonus eórum.

R. Et in fines orbis terræ verba eórum.

Ad Magnificat antiphona



Valde honorándus est beátus Ioánnes, qui supra pectus Dómini in
 cena recúbuit.

Oratio

Ecclésiám tuam, quæsumus, Dómine, benígnus illústra, ut, beáti
 Ioánnis, apóstoli tui et evangelistæ illumináta doctrínis, ad dona
 pervéniat sempitérna. Per.

Ad matutinum

Invitorium



Crucifíxum regem, matrem Vírginem · vírgini commendántem, #
veníte, adorémus! **Ps.** Veníte.

In primo nocturno

Antiphona



Ioánnes, apóstolus et evangelísta, virgo est eléctus a Dómino, atque
inter céteros magis diléctus. **Ps.** Cæli enárrant.

Antiphona



Supra pectus Dómini Iesu recúbens, Evangélii fluénta de ipso sacro
domínici péctoris fonte potávit. **Ps.** Benedícam.

Antiphona



Quasi unus de paradísi flumínibus, evangelísta Ioánnes verbi Dei
grátiam in toto terrárum orbe diffúdit. **Ps.** Eructávit.

Versiculus: In omnem terram.

Lectio I.

Ioánnes apóstolus et evangelísta, fílius Zebedæi, frater Iacóbi, virgo
est eléctus a Dómino, atque inter céteros magis diléctus. Qui étiam,
supra pectus magistri recúbens, Evangélii sui fluénta de ipso sacro

domínici pectoris fonte potávit, et quasi unus de paradísi flumínibus, verbi Dei grátiam in toto terrárum orbe diffúdit. Qui in loco Christi, Christo iubénte, succésit, dum, suscípíens matrem magistri discípulus par post Christum, alter quodámmodo derelíctus est fílius. Hic, dum Evangélium Christi in Asia prædicáret, a Domitiáno Cæsare in Pathmos ínsula metállo relegátur, ubi étiam pósitus Apocalýpsim scripsit. Tu.

Responsorium



Valde honorándus est beátus Ioánnes, qui supra pectus Dómini in cena recúbuit, # cui Christus in cruce matrem Vírginem vírgini commendávit: **V.** Múlier, ecce, fílius tuus; ad discípulum autem: Ecce, mater tua. Cui.

Lectio II.

Domitiánus autem eódem anno, postquam iussit beátum Ioánnem exsulári, a senátu Románo interféctus est. Et quóniam Deo curæ fuit de apóstolo suo, ex totíus senátus consúltu definítum est, ut quicquid Domitiánus fíeri vóluit, cassarétur. Sicque factum est, ut Sanctus Ioánnes, qui de voluntáte Domitiáni deportátus cum iniúria fúerat, cum honóre ad Ephesum remeáret. Occúrrit autem illi omnis pópulus virórum ac mulierum, exsultántium et dicéntium: Benedíctus, qui venit in nómine Dómini. Cum autem ingrederétur beátus Ioánnes civitátem, Drusiána, quæ semper eum secúta fúerat, et advéntus eius desidério fúerat fatigáta, mórtua efferebátur. Tu.

Responsorium



In illo die suscípíam te servum meum, et ponam te, sicut signáculum, in conspéctu meo, # quóniam ego elégi te, dicit Dóminus. **V.** In tribulatióne invocásti me, et exaudívi te, et liberávi te. **Quóniam.**

Lectio III.

Tunc Sanctus Ioánnes, videns flentes páuperes et paréntes ac víduas simul cum órphanis, clamántes et dicéntes: Sancte Ioánnes apóstole,

ecce, Drusiánam efférimus mórtuam, quæ sanctis tuis mónitis obtémperans, nos omnes amábat, sérvuens Deo in castitáte et humilitáte, et cottídie desiderábat réditum tuum, dicens: Si vídeam apóstolum Dei óculis meis, ántequam móriar! Ecce, tu venísti, et te vídere non potest. Tunc beátus Ioánnes iussit depóni féretrum, et coram ómnibus iussit resólvi corpus eius, et voce clara ait: Dóminus meus, Iesus Christus éxcitat te, Drusiána! Surge, et pédibus tuis revértere ad domum tuam, et præpara mihi refectiόνem! Ad hanc vocem surréxit, et cœpit ire sollícita de iussióne apóstoli, ita ut viderétur ipsi Drusiánæ, quia non de morte, sed de somno suscitáset eam. Factus est autem clamor pópuli per tres horas, dicens: Unus Deus, quem prædicat Ioánnes, unus est Dóminus noster Iesus Christus! Tu.

Responsorium



Qui vícerit, fáciam illum colúmnam in templo meo, dicit Dóminus, # et scribam super eum nomen meum, et nomen civitátis novæ, Ierúsalem. **V.** In illo die suscípiam te servum meum. **Et** scribam.

In secundo nocturno

Antiphona



In fervéntis ólei dólíum missus, Ioánnes apóstolus, divína se protegénte grátia, illæsus exívit. **Ps.** Omnes gentes.

Antiphona



Propter insuperábilem evangelizándi constántiam exílio relegátus, divínæ visiónis et allocutiónis mérui crebra consolatióne relevári. **Ps.** Exáudi, Deus, deprecatiónem.

Antiphona



Occúrrit beáto Ioánni, ab exílio reverténti, omnis pópulus virórum ac mulierum, clamántium et dicéntium: Benedictus, qui venit in nómine Dómini! **Ps.** Exáudi, Deus.

Versiculus: Constitues eos príncipes super omnem terram.

Lectio IV.

Altero autem die Craton philósophus in foro proposúerat de contépto mundi huiúsmodi spectáculum, ut duos iúvenes fratres ditíssimos fécerat, distrácto património suo, gemmas émere síngulas, quas in conspéctu ómnium frángerent populórum. Quod cum fácerent púeri, cóntigit tránsitum habére apóstolum, et, cónvocans apóstolus ad se Cratónem philósophum, ait: Stultus est iste mundi contéptus, qui hóminum in ore laudáatur, sed condemnáatur divíno iudício. Sicut enim vana medicína est, ex qua non abscíditur morbus, ita vana doctrína est, ex qua vítia non curántur animárum et morum. Magíster ítaque meus iúvenem cupiéntem ad vitam ætéram attíngere · his verbis instrúxit, quibus diceret, ut si vellet perféctus esse, vénderet ómnia sua, et daret paupéribus, quo facto, thesáurum in cælo acquíreret, et vitam, quæ finem non habet, inveníret. Cui Craton dixit: Humánæ cupiditátis fructus, in médio pósitus, confráctus est. Sed si vere Deus est magíster tuus, et vult hoc fíeri, ut paupéribus detur census pretíi harum duárum gemmárum, fac eas reintegrári, ut quod ego feci ad famam hóminum, tu fácias ad glóriam eius fíeri, quem tuum magístrum esse commémoras. Tu.

Responsorium



Ecce, puer meus, quem elégi, dicit Dóminus, eléctus meus. # Complácuit sibi in illo ánima mea. **V.** Iste est Ioánnes, qui supra pectus Dómini in cena recúbuit. Complácuit sibi.

Lectio V.

Tunc sanctus Ioánnes, cólligens fragménta gemmárum, et ponens in manu sua, levávit óculos suos ad cælum, et ait: “Dómine, Iesu Christe, cui nihil impossíbile est, qui fractum mundum per lignum crucis tuæ in via fídei restaurásti, qui cæco nato óculos, quos natúra negáverat, reddidísti, qui mórtuum Lázarus et sepúltum post quáttor dies suscitásti, et ad súperos revocásti, et omnes morbos, omnémque ægritúdinem virtútis verbo curásti: adésto nunc super lápides istos pretiósos, quos ignoránte fructum eleemósynæ ad plausum hóminum confregérunt. Tu, Dómine, per manus angelórum tuórum modo recúpera, ut pretio eórum misericórdiæ usu expléto, fácias credénte tibi perveníre ad tuum impérium, qui cum Patre et Spírítu Sancto vivis et regnas in sæcula sæculórum, amen. Tu autem.

Resonsorium



Hic est discípulus ille, qui testimónium pérhibet de hiis, et scripsit hæc, # et scimus, quia verum est testimónium eius. **V.** Quanta audívimus et cognóvimus ea, et patres nostri narravérunt nobis. Et scimus.

Lectio VI.

Post hæc, ita solidáta sunt fragménta gemmárum, ut ne signum áliquod de eo, quod fracta fúerant, remanéret. Tunc philósophus Craton simul cum his iuvénibus, et cum univérsis discípulis suis, pédibus eius advolútus, clamans crédidit, et baptizátus est cum ómnibus, et cœpit fidem Dómini nostri, Iesu Christi públice prædicáre. Tunc illi duo fratres, vendénte gemmas, quas véndito, património suo émerant, paupéribus erogavérunt, et cœpit infinita turba credéntium adhærere apóstolo. Cum autem omnis cívitas Ephesiórum, immo omnes provínciæ istæ Ioánnem excólerent et prædicárent, áccidit, ut cultóres idolórum excitárent seditiónem. Unde factum est, ut Ioánnem tráherent ad templum Diánæ, et úrgerent eum, ut ei foeditátem sacrificiórum offérret. Tunc beátus Ioánnes ait: Ducam vos omnes ad ecclésiám Dómini mei, Iesu Christi, et invocánte nomen Diánæ vestræ, fácite cádere ecclésiám eius, et conséntiam vobis. Si autem hoc fácere non potéritis, ego invocábo nomen Dómini mei, Iesu Christi, et fáciam cádere templum

hoc, et commúniam idólum vestrum. Quod cum factum fúerit, iustum vobis vidéri debet, ut, relícta superstitióne eius, in regem meum, Christum, cuius virtus invícta est et inconfrácta, credátis, et ad ipsum convertámini. Ad hanc vocem contícuit omnis pópulus, et licet essent pauci, qui contradícerent huic diffinitióni, pars tamen máxima consénsu attríbuit. Tunc beátus Ioánnes blandis allóquiis exorábat pópulum, ut a templo se longe habérent. Cumque unívsi ex interióri parte foras exíissent, voce clara coram ómnibus dixit: Ut sciat omnis hæc turba, quia idólum hoc Diánæ dæmónium est, et non deus, córruat cum ómnibus manufactis idólis, quæ colúntur in eo, ita ut nullam in homínibus læsiónem fáciat! Contínuo autem ad hanc vocem apóstoli, ómnia simul cum templo suo idóla ita corruérunt, ut fierent, sicut pulvis, quem próiicit ventus a fácie terræ. Convérsi sunt autem eádem die duódecim mília gentílium, excéptis párvulis et muliéribus, et baptísmi sunt consecráti virtúte. Ioánnes, cum esset annórum nónaginta septem, apparuit ei Dóminus Iesus Christus cum discípulis suis, et dixit ei: Veni ad me, quia tempus est, ut epuléris in convívio meo cum frátribus tuis. Surgens autem Ioánnes, cœpit ire, sed Dóminus dixit ei: Domínico die resurrectiósni meæ, qui post quinque dies futúrus est, vénies ad me. Et cum hæc dixisset, cælo recéptus est, et fiunt virtútes oratiónum eius méritis, cum ab ómnibus infirmitátibus et perículis liberántur omnes, et precum suárum consequúntur efféctum. Ad laudem Dómini et Salvatóris nostri Iesu Christi, qui vivit et regnat cum Deo Patre omnipoténte, in unitáte Spíritus Sancti, per infiníta sæcula sæculórum, amen. Tu autem.

Responsorium



Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus, et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum, # et exaltávit illum apud próximos suos. **V.** In médio Ecclésiæ apéruit Dóminus os eius, et implévit eum spíritu sapiéntiæ et intelléctus. Et exaltávit.

In tertio nocturno

Antiphona



Appáruit caro suo Ioánni Dóminus Iesus Christus cum discípulis suis, et ait illi: Veni, dilécte mi, ad me, quia tempus est, ut epuléris in convívio meo cum frátribus tuis. **Ps.** Confitébitur tibi, Deus.

Antiphona



Expándens manus suas ad Deum, dixit: Invitátus ad convívium tuum, vénio grátias agens, quia me dignátus es, Dómine, Iesu Christe, ad tuas épulas invitáre, sciens, quod ex toto corde desiderábam te. **Ps.** Dóminus regnávít, exsúltet terra.

Antiphona



Dómine, súscipe me, ut cum frátribus meis sim, cum quibus véniens invitásti me, áperi mihi iánuam vitæ, et perduc me ad convívium epulárum tuárum! Tu es enim Christus, Fílius Dei vivi, qui præcépto Patris mundum salvásti, tibi grátias reférimus per infinita sæcula sæculórum. **Ps.** Dóminus regnávít, irascántur.

Versiculus

V. Nimis hororáti sunt amíci tui, Deus.

R. Nimis confortátus est principátus eórum.

Secundum Ioannem

In illo témpore. Dixit Iesus Petro: Séquere me! Convérsus Petrus, vidit illum discípulum, quem diligébat Iesus, sequéntem, qui et recúbuit in cena supra pectus eius. Et réliqua.

Homélie venerábilis Bedæ presbýteri.

Lectio VII.

Lectio sancti Evangelii, quæ nobis lecta est, fratres mei, tanto maiori a nobis intentione debet per singula verba pensari, quanto magna supernæ gratiæ dulcedine tota redundat. Commendat nobis beatissimus Ioannes evangelista testimonium evangelicæ descriptionis, quod veritate divina subnixum, nullus fidelium dubitare permittitur. Commendat placidam suæ carnis absolutiõnem, quam a Domino specialiter se visitante percipit. Diligebat autem eum Iesus, non exceptis ceteris singulariter solum, sed præ ceteris familiarius unum, quem specialis prerogativa castitatis ampliori dilectione fecerat dignum. Omnes quippe diligit, qui omnibus dicit: Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos. Sed hunc præ omnibus dilexit, quia virgo electus ab ipso, virgo in ævum permansit. Tu autem.

Responsorium

Iste est Ioannes, qui supra pectus Domini in cena recubuit. # Beatus apostolus, cui revelata sunt secreta cælestia. **V.** Valde honorandus est beatus Ioannes, qui supra pectus Domini in cena recubuit. Beatus.

Lectio VIII.

Tradunt namque historiæ, quod eum de nuptiis nubere volentem vocaverit. Et propterea, quem a carnali voluptate retraxerat, potiore sui amoris dulcedine donavit. Qui et recubuit in cena super pectus eius. Quod autem discipulus ille supra pectus magistri recubuit, non presentis solummodo dilectionis, sed et futuri signum erat mysterii. Figurabatur etenim iam tunc evangelium, quod idem discipulus erat scripturus, uberius atque ulterius ceteris sacre scripturæ paginis arcana divinæ maiestatis esse comprehensurum. Quia enim in pectore Domini Iesu sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi, merito super pectus eius recubat, quem maiori ceteris sapientiæ et scientiæ singularis munere donat. Tu autem.

Responsorium



Diligébat autem eum Iesus, quóniam speciális prærogatíva castitátis amplióri dilectióne fécerat dignum, # quia virgo eléctus ab ipso virgo in ævum permánsit. **V.** In cruce dénique moritúrus, matrem vírginem vírgini commendávit. Quia virgo.

Lectio IX.

Céteros quippe evangelístas nóvimus plura de miráculis Dómini Salvatóris, paucióra de divinitáte locútos. Ioánnes autem, per pauca de humánis scribens áctibus, pótius se exponéndis divínæ natúræ índidit arcánis, paténter insínuans, quanta de pectore Dómini fluénta doctrínæ cæléstis, quæ nobis ructáret, háuserit. Hunc ergo cum vidísset Petrus, dixit Iesu: Dómine, hic autem quid? Quia beátus Petrus audíerat, quod per mortem crucis ab hac luce esset migratúrus, vóluit scire de condiscípulo, per qualem mortem erat transitúrus ad perpétuam vitam. Dicit ei Iesus: Sic eum volo manére, donec véniam. Quid ad te? Tu me séquere, ac si dicat: Nolo, ut per passiónem martýrii ex hac vita tránseat, sed sic exspectáre novíssimum diem in pace, usque dum véniam ego, et recípiam eum. Et quid ad te? Ac si dicat: Quid ad te pértinet hoc inquírere? Te tantum scias per martýrium me secutúrum. Exiit sermo inter fratres, quod discípulus ille non móritur, proptérea, quia Dóminus dixit: Sic eum volo manére, donec véniam. Et ídeo putábant álii discípuli, quod Ioánnes non esset moritúrus. Tu autem.

Responsorium



In médio Ecclésiæ aperuit os eius, # et implévit eum Dóminus spírítu sapiéntiæ et intelléctus. **V.** Misit Dóminus manum suam, et tétigit os eius. Et implévit.

Ad laudes

Antiphona



Hic est discipulus ille, qui testimónium perhíbuit, et scimus, quia verum est testimónium eius. **Ps.** Dóminius regnávít, decórem.

Antiphona



Hic est discipulus meus, sic eum volo manére, donec véniam; tu me séquere!

Antiphona



Ecce, puer meus, eléctus, quem elégi; pósui super eum spíritum meum.

Antiphona



Sunt de hic stántibus, qui non gustábunt mortem, donec vídeant Fílium Hóminis in regno suo.

Antiphona



Sic eum volo manére, donec véniam; tu me séquere!

Capitulum

Qui timet Deum, fáciat bona, et qui cóntinens est iustítiae, apprehéndet illam, et obviábit illi, quasi mater honorificáta. Deo.

Hymnus: Accépit virgo vírginem. **Versiculus:** Annuntiavérunt ópera.

Ad Benedictus antiphona

In médio Ecclésiæ apéruit os eius, et implévit eum Dóminus spírítu sapiéntiæ et intelléctus, allelúia.

Ad sextam**Capitulum**

Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus, et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum, et firmábitur in illo, et non flectétur, et continébit illum, et non confundétur, et exaltávit illum apud próximos suos. Deo.

Ad nonam**Capitulum**

In médio Ecclésiæ apéruit os eius, et implévit eum Dóminus spírítu sapiéntiæ et intelléctus, et stola glóriæ índuit eum, iucunditátem et exsultatiónem thesaurizávit super eum, et nómine ætérno hereditávit illum Dóminus, Deus noster. Deo.

Ad secundas vespervas

Antiphona: Iurávit Dóminus, et non pænitébit eum. **Ps.** Dixit Dóminus, **quære de apostolis.** **Capitulum:** Qui timet, **ut supra.** **Responsorium:** In médio Ecclésiæ. **Hymnus:** De Patre Verbum.

Versiculus

V. In omnem terram exívit sonus eórum.

R. Et in fines orbis terræ verba eórum.

Ad Magnificat antiphona

Iste est Ioáannes, qui supra pectus Dómini in cena recúbuit; beátus apóstolus, cui reveláta sunt secréta caeléstia.

Oratio, ut supra. Completorium de Nativitate.

DE INNOCENTIBUS

ad vesp̄eras

Responsorium



Centum quadragínta quáttuor mília, qui empti sunt de terra: hii sunt, qui cum muliéribus non sunt coinquináti, vírgines enim permansérunt, # ídeo regnant cum Deo, et Agnus Dei cum illis. **V.** Hii empti sunt ex homínibus, primitíæ Deo et Agno, et in ore ipsórum non est invéntum mendácium. Ideo regnant.

Sine Glória Patri. Sed si evenerit die dominico, tunc debet dici Glória Patri.

Hymnus



Salvétē, flores mártýrum,
quos lucis ipso límite
Christi insecútor sústulit,
ut turbo floréntes rosas!

Quid crimen Heródem iuvat?
Vos, prima Christi víctima,
grex immolatórum tenet
palma et corónis lúcidis.

Audit tyránnus ánxius
adésse regum princípem,
exclámat amens: Nunc cito
ferrum, satélles, árripe<re>!

Mas omnis infans óccidat,
scrutáre nútricum sinus,
fraus nequam furtim súbtrahat
prolem virílís índolis!

Transfígit ergo cárnifex,
mucrónē distrícto furens,
effúsa nuper córpora,
animásque rimátur novas.

O, bárbarum spectáculum,
vix interémptor ínvenit
locum minútis ártubus,
quo plaga descéndat patens!

Quid prófuit tantum nefas?
Inter coævi sánguinis
fluénta solus ínteger
impúne Christus tóllitur.

Sit Trinitáti glória,
honor, virtus, victória,
quæ dat corónam téstibus
per sæculórum sæcula.



Amen.

Versiculus

V. Lætámīni in Dómino, et exsultáte iusti!

R. Et gloriámīni, omnes recti corde!

Ad Magnificat antiphona



Istórum est enim regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi,
et pervenérunt ad præmia regni, et lavérunt stolas suas in ságuine
Agni.

Oratio

Deus, cuius hodiérna die præcónium innocéntes mártýres · non
loquendo, sed moriéndō conféssi sunt: ómnia in nobis vitiórum mala
mortífica, ut fidem tuam, quam lingua nostra lóquitur, étiam
móribus vita fateátur. Per Dóminum.

Ad matutinas

Invitatorium



Regem regum, Dóminum, veníte, adorémus, # quia ipse est coróna sanctórum innocéntum. **Ps.** Veníte sine Glória Patri.

In primo nocturno

Antiphona



Heródes, videns, quia illúsus esset a magis, misit in Bétlehem, et occídít omnes púeros, qui erant in ea, et in ómnibus fínibus eius. **Ps.** Beátus vir.

Antiphona



Christus, infans non despéxit suos coetáneos mílites, sed provéxit, quibus dedit ante triumpháre, quam loqui. **Ps.** Quare fremuérunt.

Antiphona



Arridébat párvulus occisóris gládio, adiocabátur infántulus, nutrícis loco attendébat, lactens percussóris horrórem. **Ps.** Cum invocárem.

Versiculus

V. Lætámíni in Dómino, et exsultáte, iusti!

R. Et gloriámíni, omnes recti corde!

Lectio I.

Zelus, quo tendat, quo prosíliat livor, invidia, quo ferátur, Herodiána hódie patefécit immánitas, quæ dum temporális regni æmulátur angústias, ætérni regis ortum molítur exstínguere, sicut ait evangelísta: Tunc Heródes, inquit, videns, quia illúsus esset a magis, misit in Bétlehem, et occídit omnes púeros, qui erant in ea, et in ómnibus fínibus eius. Tu autem.

Responsorium

Sub altáre Dei audívi voces occisórum, dicéntium: # Quare non deféndis sánguinem nostrum? Et accepérunt divínium respónsum: Adhuc sustinéte módicum tempus, donec impleátur número fratrum vestrórum! **V.** Vidi sub ara Dei ánimas sanctórum propter verbum Dei, quod habébant, et clara voce clamábant: Quare non deféndis.

Lectio II.

Videns, quia illúsus est a magis, dolet impietas se esse illúsam, dilátans se crudélitas fuit, fremit dolósitas se decéptam, et in se fraus revérsa collíditur. Heródes stridit, cadens ipse in láqueum, quem teténdit. Hic iniquitátem, quam condíderat, eváginat, de fide perfídiæ sumit arma. Terréno quærit furóre, quem natum cælitus non credit. Ad sinus matrum mílitum cogit castra, inter úbera arcem pietátis oppúgnat. Tu autem.

Responsorium

Effudérunt sánguinem sanctórum, velut aquam, # in circúitu Ierúsalem, et non erat, qui sepelíret. **V.** Víndica, Dómine, sánguinem sanctórum tuórum, qui effúsus est! In circúitu.

Lectio III.

In téneris ubéribus fratrum durat, lac fundit, ántequam sánguinem. Dat ante mortem sentíre, quam vitam, ténebras íngerit intrántibus lucem. Sic agit magíster mali, mínister doli, iræ ártifex, invéntor scéleris, impietátis auctor, pietátis prædo, inimícus innocéntiæ,

hostis natúræ, malus ómnibus, peior suis, péssimus sibi. Quem Christus non eváderet, sed ne viderétur, aufúgit. In altum tendens, cadit ab alto. Cælum pulsans, intrat profúndum. In se vadit, cum vadit in Deum. Se occídit, qui vitam conátur occídere. Quia cápere non potest prodiçãoem salus, occisióem vita, ætérnitas finem. Tu.

Responsorium



Adoravérunt vivéntem in sæcula sæculórum, # mitténtes corónas suas ante thronum Dómini, Dei sui. **V.** Veniéntes autem, vénient cum exsultatióne, portántes manípulos suos.

In secundo nocturno

Antiphona



Norunt infántes laudáre Dóminum, qui loqui non nóverant; fiunt períti laude, qui fúerant imperíti sermóne. **Ps.** Verba mea áuribus.

Antiphona



Erígitur itaque infántium ætas in laude, quæ delictórum non nóverat crimen. **Ps.** Dómine, Dóminus noster.

Antiphona



Dignus a dignis laudátur, et ínnocens innocéntium testimónio comprobátur. **Ps.** Dómini est terra.

Versiculus: Exsúltent iusti in conspéctu Dei.

Lectio IV.

O, ambítio, quam cæca semper! O, quam præsumptio péssima! O, quam perdit concéssa, qui inconcéssa captat! Heródes, óbsidens terrénium regnum, impúgnat cæléste. Terrénis ínhians, írruit in divína; ipsámque pietátem impietáte sectátur. Audíerat natum regem, quæsíerat, ubi, quando, unde, ad quid, quáliter non quæsívit, quia apud illum peccánda timor, amor, innocéntia · non manébat. Destinátus ad scelus, ad piáculum promptus, parátus ad crimen, causas innocéntiæ non requírit, ius ábnegat, confúndit fasque nefásque. Cui nequítia est sodális, cui odiósa est æquitas, iníquitas est semper amíca. Qui cédibus vivit, qui se munit sángine, qui crudelitátibus sævit. Cui de timóre stat totum, de amóre nihil constat. Tu.

Responsorium



Isti sunt, qui passi sunt propter te, Dómine, víndica eos, # quia clamant ad te cottídie. **V.** Víndica, Dómine, sánguinem sanctórum tuórum, qui effúsus est! Quia clamant.

Lectio V.

Heródes tunc cæcus, sic Christum gládiis quærit. Invéstigat cruórem, crudelitáte rimátur. Successórem timens, incéssit in auctórem. Premit innocétes, volens innocéntiam deperíre. Rector pópuli, morum custos, disciplínæ censor, iustítiæ indágo, æquitátis defénsor, scrutátor innocéntiæ, ampliátor pópuli, innocéntis causam facit innocéntium crimen. Munus nati · natórum vertit in pœnam. Auctóris ortum · oriéntium mandat occásum. Negótium salvántis · salvandórum iubet esse discrímen. Iudex audiétes vocat, intérogat loquétes, negántes árguit, urget reos, percéllit sócios, consócios concárpit, addícit cómplices, sentétiæ dat detéctos infántes. Quid? Quorum lingua tácuit, óculi nihil vidérunt, nihil audierunt aures, manus nihil fecérunt. Et quibus actus nullus est, unde culpæ subiérunt mortem, qui vívere nesciérunt. Non tempus áffuit, non excusávit ætas, siléntium non deféndit. Quibus apud Heródem solum, quod nati sunt, hoc fuit crimen. Tu autem.

Responsorium



Cantábant sancti cánticum novum ante sedem Dei et Agni, # et resonábat terra in voces eórum. **V.** Isti sunt, qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas in ságuine Agni. Et resonábat.

Lectio VI.

Et revéra, quómodo non rédderent natúræ crédito, a quibus causa exhibétur auctóris. Infélix ergo homo, qui sibi ad accusatiónem parávit ómnia, ad excusándum spem non reliquit, sed totum parávit ad pœnam, nihil reservávit ad véniam. Quis excusávit, quem pulsat innocéntia? Infántia ímpetit, lac ut sanguis accúsat. Quid Christus futurórum præscius, cóncius secretórum, cogitatiónum iudex, méntium perscrutátor, quare desérvit, quos sciébat quæréndos esse, propter se non erat occidéndos? Natus rex, et rex cæléstis, quare negléxit mílites innocéntiæ suæ? Coætánum sibi quare contémpsit exércitum? Quare cunábulis suis deputátas excúbias sic reliquit, ut regem solum quæsíturus hostis · totum grassarétur in mílitem? Nam Christus non despéxit suos mílites, sed provéxit, quibus dedit ante triumpháre, quam vívere. Quos fecit cápere sine concertatióne victóriam, quos donávit corónis, ántequam membris, quos vóluit virtútibus vítia præteríre, ante cælum possidére, quam terram, nec ante humánis ínserat, quam divínis. Tu autem.

Responsorium

Coronávit eos Dóminus coróna iustítiæ, # quia passi sunt pro Dómino, et sequúntur Agnum. **V.** Amavérunt Christum in vita sua, imitati sunt eum in morte sua. Quia passi sunt.

In tertio nocturno

Antiphona



Dicunt infántes Dómino laudem trucidáti, ab Heróde occísi prædicant, quod vivi non póterant. **Ps.** Exsultáti iusti in Dómino.

Antiphona



Lícuit sángine loqui, quibus lingua non lícuit, miscent cum Dómino collóquia, quibus humána negáta sunt verba. **Ps.** Te decet hymnus.

Antiphona



Víndica, Dómine, sánguinem sanctórum tuórum, qui effúsus est! **Ps.** Deus, venérunt gentes.

Versiculus

V. Iusti autem in perpétuum vivent.

R. Et apud Dóminum est merces eórum.

Secundum Matthæum

In illo témpore. Angelus Dómini appáruit in somnis Ioseph, dicens: Surge, et áccipe púerum et matrem eius, et fuge in Ægýptum, et esto ibi, úsquedum dicam tibi! Futúrum est enim, ut Heródes quærat púerum, ad perdéndum eum. Et réliqua.

Homélia venerábilis Bedæ presbýteri de eádem lectiône.

Lectio VII.

De morte pretiósá mártýrum Christi innocéntum · sacra nobis est, fratres caríssimi, lectio recitáta, in qua tamen ómnium Christi mártýrum pretiósá est mors designáta. Quia enim párvuli occísi sunt, significat per humilitátis méritum ad martýrii perveniéndum glóriam. Et quia nisi convérsus fúerit quis et efféctus ut párvulus, non possit ánimam dare pro Christo. Quia in Bétlehem et in ómnibus

fínibus eius occísi sunt, osténdit non solum in Iudæa, unde Ecclésiæ cœpit origo, sed in ómnibus eiúsdem Ecclésiæ fínibus, quæcúmque per orbem diffúsa est, persecutió nem sævitúram perfidórum, et piórum patiéntiam esse coronándam, quia bimi occísi sunt, doctrína et operatióne perféctos índicant. Quia vero infra: Símplícēs vel idiótas fídei · non fictæ constántiæ fortes æque denúnciant. Tu autem.

Responsorium



Isti sunt sancti, qui non inquinavérunt vestiménta sua. # Ambulábunt mecum in albis, quia digni sunt. **V.** Hii sunt, qui cum muliéribus non sunt coinquináti, vírgines enim sunt. Ambulábunt.

Lectio VIII.

Quod illi quidem occísi sunt, sed Christus, qui quærebátur, vivens evásit, insínuat córpora quidem ab ímpiis posse périri, sed Christum, pro quo persecútio tota sævit, nullátenuis eis vel vivéntibus vel occísis posse auférrī, sed eos veráciter contestári. Quia sive vívimus, Dómino vívimus, sive mórimur, Dómino mórimur, sive enim vívimus, sive mórimur, Dómini sumus. Tu.

Responsorium



Ecce, vidi Agnum, stantem supra montem Sion, et cum eo sanctórum mília. # Et habébant nomen eius et nomen Patris eius scriptum in fróntibus suis. **V.** Hi sunt, qui cum muliéribus non sunt coinquináti, vírgines enim sunt. Et habébant.

Lectio IX.

Quod iuxta vaticínium Ieremíæ: Vox in Rama, id est, in excélsó audíta est, plorátus et ululátus multus, maniféste denúnciat luctum Ecclésiæ sanctæ, quod de iniústa membrórum suórum nece gemit. Non ut hostes gárrunt in vácuum cédere, sed usque ad sólium supérni ascéndere iúdicis. Et sicut protomártyris Abel, ita étiam sánguinem ceterórum mártýrum de terra clamáre ad Dóminum, iuxta illud viri sapiéntis: Non despíciat preces pupílli, nec víduam, si

effúndat loquélam gémitus. Nonne lácrimæ víduæ ad maxíllam descéndunt, et exclamátio eius super deducéntem eas? A maxílla enim ascéndunt usque ad cælum, et Dóminus, exaudítor non delectábitur in illis. Tu.

Responsorium: Centum quadragínta, *ut supra*. Te Deum laudámus **non dicitur, nec in missa Glória in excélsis Deo, nec Ite, missa est, sed Credo dicitur propter octavam Nativitatis. Et præfatio dicitur de Nativitate cum suo Communicántes, sed si venerit die dominico, tunc omnia dicuntur sollemniter.**

Ad laudes

Antiphona



Heródes, irátus, occídit multos púeros in Bétlehem Iudæ, civitaté David. **Ps.** Dóminus regnávít, decórem.

Antiphona



A bimátu et infra occídit multos púeros Heródes propter Dóminum.

Antiphona



Vox in Rama audíta est plorátus et ululátus, Rachel plorans fílios suos.

Antiphona



Sub throno Dei omnes sancti clamant: Víndica, Dómine, sánguinem nostrum, Deus noster!

Antiphona

Cantábant sancti cánticum novum ante sedem Dei et Agni, et resonábat terra in voces eórum.

Capitulum

In diébus illis. Vidi supra montem Sion Agnum stantem, et cum eo centum quadragínta quáttuor mília, habéntes nomen eius, et nomen Patris eius scriptum in fróntibus suis. Deo.

Hymnus: O, bárbarum spectáculum. **Versiculus:** Iustórum ánimæ.

Ad Benedictus antiphona

Hii sunt, qui cum muliéribus non sunt coinquináti, vírgines enim sunt, et sequúntur Agnum, quocúmque íerit.

Ad sextam**Capitulum**

Et audívi vocem de cælo, tamquam vocem tonítrui magni, et vocem, quam audívi, sicut citharœdórum citharizántium in citharis suis, et cantábant, quasi cánticum novum, ante sedem Dei, et ante quáttuor animália et senióres. Deo grátias.

Ad nonam**Capitulum**

Et nemo póterat dícere cánticum, nisi illa centum quadragínta quáttuor mília, qui empti sunt de terra. Hi sunt, qui cum muliéribus non sunt coinquináti, vírgines enim sunt; hi sequúntur Agnum, quocúmque íerit. Hi empti sunt ex homínibus, primítia Deo et Agno,

et in ore ipsórum non est invéntum mendácium, sine mácula enim sunt ante thronum Dei. Deo.

Ad secundas vesperas

Antiphona: Heródes, irátus. **Ps.** Dixit Dóminus. Beátus vir, qui. In converténdo. Eripe me, Dómine. Lauda, Ierúsalem. **Capitulum, ut supra.** **Responsorium:** Centum quadragínta, **ut supra.** **Hymnus:** Salvéte, flores. **Versiculus:** Lætámini in.

Ad Magnificat antiphona



Hii sunt, qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas, et dealbavérunt eas in sánguine Agni.

DE SANCTO THOMA MARTYRE

Responsorium



Iacet granum, opprēssa pálea, iustus cæsus pravórum frámea, #
cælum domo cómmutans lútea. V. Cadit custos, vitis in vínea, dux in
castris, cultor in área. Cælum domo.

Hymnus: Deus, tuórum.

Versiculus

V. Glória et honóre coronásti eum, Dómine.

R. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Ad Magnificat antiphona



Felix locus, felix ecclésia, in qua Thomæ viget memória, felix terra,
quæ dedit præsulem, felix illa cívitas, quæ fovit éxsulem; felix pater,
succúrre míseris, ut felíces iungámur súperis.

Oratio

Deus, pro cuius Ecclésia gloriósus martyr et póntifex Thomas gládiis
impiórum occúbuit: præsta, quæsumus, ut qui eius implórant
auxílium, petitiónis suæ salutárem consequántur efféctum. Per.

Ad matutinum

Invitatorium



Assunt Thomæ mártiris sollémnia, virgo mater iúbilat Ecclésia. **Ps.**
Veníte.

In primo nocturno

Antiphona



Summo sacerdotio Thomas sublimatus est, in virum alium subito mutatus. **Ps.** Beatus vir.

Antiphona



Monachus sub clerico clam ciliciatus, carne carnis fortior edomat conatus. **Ps.** Quare fremuerunt.

Antiphona



Cultor agri Domini tribulos avellit, et vulpes a vineis arcet et expellit. **Ps.** Domine, quid.

Versiculus: Gloria et honore coronasti.

Lectio I.

Gloriosi martyris Thomae, fratres carissimi, natalem celebrantes, quia totius vitae et conversationis eius insignia recollere non sufficimus, passionis eius modum causamque succinctus sermo percurret. Beatus igitur Thomas, sicut cancellariae vel archidiaconatus officio, in rebus gerendis incomparabiliter existiterat strenuus, ita ut, post susceptum pastorem officium, supra humanam aestimationem factus est Deo devotus. Tu autem.

Responsorium



Stridens livor Thomae supplicio, Thomae genus damnat exsilio, # tota simul exit cognatio. **V.** Ordo, sexus, aetas, condicio nullo gaudet hic privilegio. Tota simul.

Lectio II.

Consecrátus enim, repén-te mutátus est in virum álium, cilícium clam ín-duit, femorálibus étiam usus est usque ad póplices cilicínis, et sub vestis clericális honestáte · hábitum celans monachálem, carnem prorsus coégit servíre spirítui, Deo studens ómnium virtútum exercítio sine intermissióne placére. Sciénsque se cultórem pósito in agro domínico, in vínea custódem, pastórem in caulis, ministérium sibi crédito studiose implévit. Iura et dignitátes Ecclésiæ, quas pública sibi potéstas usurpáverat, resartíre¹ et in statum débitum revocáre conátus est. Tu autem.

Responsorium

Thomas manum mittit ad fórtia, spernit damna, spernit oppróbria, # nulla Thomam frangit iniúria. **V.** Clamat cunctis Thomæ constántia, omne solum est forti pátria. Nulla.

Lectio III.

Unde gravi quæstióne super iure ecclesiástico et regni consuetudínibus inter ipsum et regem Anglórum exórta, coácto concílio, propósitæ sunt consuetúdines illæ, quas idem rex tam archiepíscopi, quam suffraganeórum suórum scripto roborári pertináciter exégit. Negávit constánter archiepíscopus · maniféstam in eis áfferens libertátis ecclesiásticæ subversiónem. Afféctus est ígitur contuméliis imménsis, damnis gravióribus attrítus, et innúmeris lacéssitus iniúriis. Tandem morte sibi inténta, quia causa Ecclésiæ nondum plene innotúerat, et personális videbátur persecútio, cedéndum cénsuit esse malítiæ. Actus ergo in exsílium, a dómno papa Alexándro Senónis honorífice susceptus est, et in monastério Pontiniacénsi studiose commendátus. Tu autem.

¹ Malim resarcíre

Responsorium



Lapis iste sex annis túnditur, sic polítur, sic quadrus rédditur, # minus cædens, quo magis cæditur. **V.** Aurum fornax probat, nec úritur, domus firma ventis non quátitur. Minus.

In secundo nocturno

Antiphona



Nec in agros sústinet lupus desævíre, nec in hortum hólerum tíneam transíre. **Ps.** Cum invocárem.

Antiphona



Exsulat vir óptimus, sacer et insígnis, ne cedat Ecclésiæ dígnitas indígnis. **Ps.** Verba mea áuribus.

Antiphona



Exsulántis prædia, præda sunt indígnis, et in igne pósito, non exúrit ignis. **Ps.** Dómine, Dóminus noster.

Versiculus

V. Posuísti, Dómine, super caput eius.

R. Corónam de lápide pretióso.

Lectio IV.

Quinto vero Domínice nativitátis die, véniunt Cantuáriam áulici quáttuor viri, præclári quidem genere, sed malefáctis famósi. Et ingrési, pontíficem verbis contumeliósis aggrediúntur, tandémque

lacéscunt convíciis, tandémque minas ei graves inténta[n]t. Respóndit vir Dei modéste: Iuxta quod rátio exigébat ad síngula, adiiciens multa sibi et Ecclésiæ Dei post pacis reformatiõnem irrogátas esse iniúrias, non esse, qui erráta corrígeret, dissimuláre se de cétero non posse, nec velle, quin curæ pastorális offíciũm exercéret. Turbáti sunt ígitur insipiéntes corde, et iniquitátem in excélsõ locúti, exiérunt contínuo. Tu.

Responsorium



Post sex annos rediit vir stábilis, dare terræ testæ vas frágilis, # et Christo vasis thesáurum fíctilis. **V.** Ne sit lupis præda grex húmilis, se pro grege dat pastor nóbilis. Et Christo.

Lectio V.

Quibus egréssis, procéssit póntifex in ecclésiã, ut laudes Christo vespertínas absólveret, sequúntur a tergo, gládiis exémpis, Sátanæ satéllites loricáti, armatórum manu multa sequénte. Aditum ecclésiæ, mónachis præcludéntibus, accúrrens Dei sacérdos, et hóstia Christi mox futúrus, hóstibus óstium reserávit. Non est, ínquiens, ecclésiã, ut castrum, obseránda, irrumpéntibus illis et áliis, ubi sit próditor, áliis, ubi sit archiepíscopus, furibúnda voce quæréntibus, procéssit eis óbviã Christi conféssor intrépídu. Intentántibus ei mortem, et ego, inquit, pro Dei Ecclésiã mortem libénter suscípíam. Sed ex Dei parte præcípíõ, ne meórum cúiquã noceátis, Christum vidélicet imitátus in passiõne, dicéntem: Si me quæritis, sínite hos abíre. Tu autem.

Responsorium



Iacet granum, opprésa pálea, iustus cæsus pravórum frámea, # cælum domo cómmutans lútea. **V.** Cadit custos vitis in vínea, dux in castris, cultor in área. Cælum domo.

Lectio VI.

Irruéntes ígitur in pastórem píum lupi rapáces, in patrem própriũm degéneres fílii, in hóstiam Christi crudelíssimi lictóres, consecrátã

cápitis corónam funéstit gládiis amputárunt, et christum Dómini solótenus præcipitántes, cérebrum cum ságuine, quod dictum quoque horréndum est, per paviméntum crudelíssime sparsérunt. Sic itaque granum fruménti opprésit pálea, sic véneæ custos in vénea, dux in castris, in caulis pastor, cultor in área cæsus est. Sic iustus ab iniústis occísus, domum lúteam cælésti palátio commutávit. Passus est autem egrégius Dei athléta Thomas · anno ab incarnatióne Dómini · secúndum Dionýsium · millésimo centésimo septuagésimo quarto, Kaléndas Ianuárii · féria tértia, hora quasi undécima, ut Dómini natális ad labórem · eius fieret natális ad réquiem. Ad quam nos perdúcere dignétur idem Deus et Dóminus noster, Iesus Christus, qui cum Patre et Spíritu Sancto vivit et regnat · per ómnia sáecula sæculórum, amen. Tu autem.

Responsorium



Ex summa rerum lætítia summus fit planctus in ecclésia de tanti patróni abséntia, # sed cum rédeunt mirácula, redit pópulo lætítia. **V.** Cucúrrit turba languidórum, et conséquitur grátiam beneficiórum. Sed cum rédeunt.

In tertio nocturno

Antiphona



Sátanæ satéllites, irrumpéntes templum, inaudítum pépétrant scéleris exéplum. **Ps.** In Dómino confído.

Antiphona



Strictis Thomas ensíbus óbviám procédit, non minis, non gládiis, sed nec morti cædit. **Ps.** Dómine, quis habitábit.

Antiphona



Hosti pandit óstium hóstia futúrus, et pro domo Dómini stat in hostes murus. **Ps.** Dómine, in virtúte tua.

Versiculus: Magna est glória eius. **Homelia:** Ego sum pastor bonus, **require in dominica secunda post Pascha, id est in dominica Misericordia Domini plena est terra.**

Responsorium



Mundi florem a mundo cónteri Rachel plorans iam cessat cónqueri, # Thomas cæsus dum datur fúneri, novus Abel succédit véteri. **V.** Vox cruóris, vox sparsi cérebri, cælum replet clamóre célebri. Thomas cæsus.

Responsorium



Christe Iesu per Thomæ vúlnera, quæ nos ligant, reláxa scélera, # ne captívos ducant ad ínfera hostis, mundus vel carnis ópera! **V.** Per te, Thoma, post lævæ múnera, amplexétur nos Dei délixtera. Ne.

Responsorium



Thomæ cedunt, et parent ómnia, pestes, morbi, mors et dæmónia, # ignis, aer, tellus et mária. **V.** Thomas mundum replévit glória, Thomæ mundus præstet obséquia. Ignis, aer.

Item præfatio dicitur de Nativitate cum Communicántes.

Ad laudes

Antiphona



Granum cadit, cópiam gérminat fruménti, alabástrum frángitur, fragrat vis unguénti. **Ps.** Dóminus regnávít.

Antiphona



Totus orbis mártýris certat in agóne, cuius signa síngulos agunt in stupóre.

Antiphona



Aqua Thomæ, quínquies várians colórem, in lac semel tránsiit, quater in cruórem.

Antiphona



Ad Thomæ memóriam quater lux descéndit, et in sancti glóriam céreos accéndit.

Antiphona



Tu per Thomæ sánguinem, quem pro te impéndit, fac nos, Christe, scándere, quo Thomas ascéndit!

Capitulum: Fratres. Omnis póntífex. **Hymnus:** Martyr Dei. **Versiculus:** Iustus, ut.

Ad Benedictus antiphona

Opem nobis, o, Thoma, pórriqe, rege stantes, iacéntes ériga, mores,
actus · et vitam córrige, et in pacis nos viam díriga!

Oratio, ut supra. Prima de Nativitate.

Ad secundas vesperas

Antiphona: Granum cadit. *Psalmi de uno martyre. Capitulum:* Omnis pón.tifex.

Responsorium: Thomæ cedunt.² *Hymnus:* Deus, tuórum. *Versiculus:* Glória et honóre.

Ad Magnificat antiphona

Salve, Thoma, virga iustítia, mundi iubar, robur Ecclésiæ, plebis
amor, cleri delíciæ, salve, gregis tutor egrégie, salva tuæ gaudéntes
glóriæ!

² Ed. cadunt

SECUNDO DIE NATIVITATIS

ad matutinum

Invitatorium: Christus natus. **Ad nocturnum antiphona:** Dóminus dixit ad me. **Psalmus:** Quare fremuérunt gentes. **Antiphona:** Tamquam sponsus. **Psalmus:** Cæli enarrant. **Antiphona:** Diffúsa est. **Psalmus:** Eructávit. **Versiculus:** Speciósus forma. **Benedictiones dicantur de beata Virgine.**

Lectio I.

In advéntu domínico, fratres caríssimi, cui honórem débitum præsénti festivitáte deférimus, multímota cæléstium mysteriórum grátia revelátur. Hódie enim, hoc est in fine témporum, éditus est ille, cuius æternitátem nulla sæculórum témpora comprehéndunt. Hódie cæli terrarúmque Dóminus pro libertáte servórum, formam índuit servitútis. Hódie novam femínei sexus glóriam péperit Virgo, et quod univérsa Ecclésia nobíscum mirátur, natus est homo, non per hómínem procreátus. Sed quamvis novum videátur, non tamen incrédulum, quod Christus in útero Mariæ sine generánte concéptus est, qui de Deo Patre sine conceptióne processit. Tu autem.

Responsorium: Hódie nobis cælórum.

Lectio II.

Quod Christus Deus est, solúus Patris est Unigénitus; quod homo est, solúus matris est fílius. Atque ídeo illum, qui ex Patre Deus et ex matre homo, hoc est Deum et hómínem unum Deum confitémur. Hoc autem totum factum est, ut et Deus per carnem hómínis mystérium salutáris suscípere passiónis, et homo per virtútem Dei · æternitátis suæ recíperet dignitátem. Násclitur ítaque Christus ex Mariá, ut et sexus femíneus hómínem daret, et Deum próderet intégritas virginális. Násclitur Christus ex fémina, ut sicut Adam decipiéntem per Evam diábolum · non pótuit præcavére, ita diábolus adventántem per Mariám Dóminum · non deprehéndere esse præséntem.

Responsorium: Hódie nobis de cælo.

Lectio III.

Párturit ígitur fémina salútem mundi, ut quæ exstíterat fomes iniquitátis, fieret mínistra iustítiæ. Et per quam mors sibi in hunc

mundum áditum patefécit, per eam vita ad nos habéret ingrèssum, atque ut osténderet creátor húmáni géneris se utriúsque sexus curam habére, et utrúmque velle salváre, vir náscitur, et procédit ex fémina. QuátenuS adverterémus nullam esse apud Deum inter virum ac féminam · in percipiéndá salúte distántiam. Cur autem non tota devotióne credámus salutárem púerum nasci potuísse de Vírgine, qui perféctum hóminem de púlvere crédimus formátum? Exsultémus ergo, fratres, et lætémur, celebrántes natálem Dómini nostri, Iesu Christi, quia in eius nativité · nos omnes natos sentímus ad vitam. Tu autem.

Responsorium: Descéndit de cælis.

Ad laudes

Antiphona: Quem vidístis. **Psalmus:** Dóminus regnávít, cum ceteris. **Capitulum:** Multifárie. **Hymnus:** Corde natus. **Versiculus:** Verbum caro. **Ad Benedictus antiphona:** Glória in excélsis Deo, ut supra. **Oratio:** Concéde, quæsumus, omnípotens Deus, ut nos. **Antiphona:** Glorificámus te. **Versiculus:** Post partum. **Oratio:** Deus, qui salútis. **Prima dicitur de Nativitate.**

Ad tertiam

Hymnus: Eníxa est puérpera. **Antiphona:** Génuít puérpera. **Psalmus:** Ad te levávi. **Capitulum:** Multifárie. **Responsorium:** Speciósus forma, ut supra. **Oratio:** Concéde, quæsumus. **Oratio:** Deus, qui salútis. **Et ita dicuntur tertiæ, sextæ · et nonæ de Nativitate Domini per totam hebdomadam. Et de sanctis videlicet · Stephano, Ioanne, Innocentibus · et Thoma martyre · dicuntur tertiæ, sextæ · et nonæ · cum magnis psalmis · et antiphonæ de laudibus ipsorum.**

Ad secundas vespas

Antiphona: Tecum princípium per totum. **Ad Magnificat antiphona:** Hódie Christus natus est, ut supra. **Oratio:** Concéde, quæsumus, omnípotens Deus, ut supra. **Suffragium:** María intácta. **Versiculus:** Post partum. **Oratio:** Deus, qui salútis.

TERTIO DIE

ad matutinum

Invitatorium: Christus natus. **Psalmus:** Veníte. **Ad nocturnum antiphona:** Suscēpimus, Deus **per ordinem, ut supra, in die Nativitatis.** **Versiculus:** Speciósus forma.

Lectio I.

Factus est enim homo, ut non sibi víveret, qui auctor est vitæ, sed ut morte sua vitam redímeret peccatórum. Tantis enim vínculis humánium genus víxerat inimícus, tantáque mole nos immánium présserat peccatórum, ut nullus nobis esset réditus ad salútem, nisi nascerétur ille, qui virtúte própria ad vitam posset redíre post mortem, Iesus Christus, Dóminus noster. Tu.

Responsorium: Quem vidístis, pastóres.

Lectio II.

Dóminus noster, Iesus Christus, fratres caríssimi, qui in ætérnum est cunctórum creátor, nascéndo de matre, factus est nobis Salvátor. Natus est nobis per Patris voluntátem, ut nos perdúcat ad Patris æternitátem. Factus est homo, ut homo fieret Deus. Ut panem angelórum manducáret homo, Dóminus angelórum factus est homo. Unde impléta est prophétia illa, quæ dicit: "Roráte, cæli, désuper, et nubes pluant iustum! Aperiátur terra, et gérmínet Salvatórem!" Tu.

Responsorium: O, magnum mystérium.

Lectio III.

Factus est ígitur homo, qui hóminem fécerat, ut invenirétur, quod perierat. Sic enim in psalmis homo confitétur: "Priúsqvam humiliárer, ego peccávi." Peccávit homo, et factus est reus. Natus est homo Deus, ut liberarétur reus. Homo ígitur cécidit, sed Deus descéndit. Cécidit homo miserabíliter. Descéndit Deus misericórditer. Cécidit homo per supérbiam. Descéndit Deus per grátiam. Sic namque mater Dómini ab ángelo audívit: "Ave, grátia plena, Dóminus tecum", qui natus est primo sine matre in cælis, nunc natus est sine patre in terris. Tu autem.

Responsorium: Beáta Dei Génitrix.

Ad laudes

Antiphona: Quem vidístis, pastóres. *Cetera, ut supra.*

QUARTO DIE

ad matutinum

Invitatorium: Christus natus est: **Psalmus:** Veníte. **Ad nocturnum antiphona:** Ipse invocávit me, **et cetera, ut supra, de Nativitate Domini.** **Versiculus:** Speciósus forma.

Lectio I.

O, mirácula, o, prodígia, fratres caríssimi, naturæ iura mutántur, Deus in hómine nascitur, virgo sine viro gravidátur. Mox viri nésciam · sermo Dei marítat, simúlque facta est et mater, et virgo. Mater facta, sed incorrúpta, virgo, habens fílium, sed nésciens virum, semper clausa, sed non infecúnda. Solus enim sine peccáto natus est, quem sine compléxu viri non concupiscéntia carnis, sed obædiéntia génuít mentis. Virgo concépit solam vúlneris nostri medicínam, párere vitam pótuit, quæ non ex peccáti vúlneris germen pietátis emísit. Tu autem.

Responsorium: Sancta et immaculáta.

Lectio II.

O, mira et inexquisíta compágo, et nova et inaudíta commíxtio, Deus, qui est, et qui erat, fit creátor creatúra. Qui imménsus est, cápitur, dívites constítuens, pauper effícitur, incorpóreus carne vestítur, vidétur invisíbilis, palpátur impalpábilis, comprehénditur incomprehensíbilis, immortalis occíditur. Quem cælum et terra benedícit, in præsepis ángulo collocátur. Numerátur in sæculo, qui est ante sæcula, Iesus Christus. Mérito in eius nativítate locúti sunt cæli, gratuláti sunt ángeli,³ pastóres iucundáti, magi imitáti,⁴ reges turbáti, mártýres coronáti, dæmónes effugáti. Tu autem.

Responsorium: Beáta víscera.

[Lectio III.]

Igitur cum gáudio dicámus sanctæ Mariæ Vírgini, matri Dómini nostri, Iesu Christi, dicámus, et non confundámur: Lacta, mater, Christum, et Dóminum nostrum, et cibum! Lacta panem, de cælo veniéntem! Lacta eum, qui talem te fecit, ut ipse fieret de te, qui tibi

³ Ed. anguli

⁴ Malim invitati

et munus fecunditatis áttulit concéptus, et donum virginitátis non ábstulit natus. Tu.

Responsorium: Verbum caro factum est. **Laudes et cetera, ut supra.**

QUINTO DIE

ad matutinum

Invitatorium: Christus natus. **Psalmus:** Venite. **Antiphona:** Dóminus dixit ad me, **ut supra.**

Lectio I.

Investigábiles humánis sénsibus dispositiões esse divínas, ipsa óperum Dei altitúdo testátur. Sed eo magis Christi nobis sunt veneránda mystéria, quo magnitúdine sui · capacitatē ingénii mortális excédunt. Et ideo, fratres caríssimi, cum annunciátur nobis sempitérnus ille Unigénitus Dei Patris, cui súbiacent ómnia, et per quem creáta sunt univérsta, sub fine témporum nasci voluísse de fémina, infántiam pérpeti nostræ carnis subíre consórtia, tantæ dignatiónis grátiam non debémus examináre, sed crédere, nec discutere, sed mirári. Quid est enim æquius, quid vetam⁵ cóngruum, quam ut in rebus divínis omnipoténtiam magis sequámur Dei, quam sapiéntiam mundi? Tu autem.

Responsorium: Hódie nobis cælórum.

Lectio II.

Hódie ígitur nobis, sicut decúrta Evangélii lectiõe cognóvimus, secúndum carnem natus est Christus, incípiens quidem esse, quod non erat. Nec enim natívitas hóminis imminúere aut separáre indiscretæ maiestátis póterat unitátem. Quia Deus de Deo Patre procéssit, ineffábilis ac permanéntis est secrétum virtútis. Quia homo est natus ex fémina, nostræ salútis est grátia. Illic glória natúræ, hic mystérium voluntátis. Tu.

Responsorium: Hódie nobis de cælo pax vera.

Lectio III.

Quis ergo, fratres, profúndum hoc cælestis consilii váleat aestimáre, quod immortalitátis Deus incorruptæque substántiæ, ut conditione carnis mortem suscipere pro mortálibus possit? De femíneo útero nulla corpóreæ generatiónis lege concéptus, humana voluit sub lege prodíre, atque ita, ut eum beáta mater, quæ intácta concéperat,

⁵ Malim veritati

invioláta proférret. Obvólvitur prætérea pannis, et pónitur in præsépio. Vitális ista infántis pretiósus Dei est sacraméntum. In pannis enim nostras infirmitátes · nostra se índicat suscepisse peccáta. Quia vero in præsépio, ubi pastus est animálium, sua collocári membra permíttit, intérnam refectiónem, vescéndum a mortálibus, suum corpus osténdit. Tu.

Responsorium: Descéndit de cælis, **ut supra.**

Ad laudes

Antiphona: Quem vidístis, **cetera, ut supra.**

DOMINICA INFRA OCTAVAS NATIVITATIS DOMINI

ad vesp̄eras

Antiphona: Tecum princípium cum ceteris, ut supra. Et imponitur secundo die sancti Thomæ martyris, ita quod secunda vespera cantatur in die sancti Thomæ.

Capitulum

Fratres. Quanto tēpore heres párvulus est, nihil differt a servo, cum sit dóminus ómnium, sed sub tutóribus et actóribus est usque ad præfínitum tempus a patre. Deo.

Responsorium



In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud Deum. # Omnia per ipsum facta est, et sine ipso factum est nihil. **V.** Quod factum est, in ipso vita erat, et vita erat lux hóminum.

Hymnus: A solis ortus. *Versiculus:* Speciósus forma.

Ad Magnificat antiphona



O, Regem cæli, cui tália famulántur obséquia, stábulo pónitur; qui cóntinet mundum, iacet in præsépio, et in núbibus tonat.

Oratio

Omnípotens, sempitérne Deus: dírige actus nostros in beneplácito tuo, ut in nómine dilécti Fílii tui mereámur bonis opéribus abundáre! Per eúndem.

Antiphona

Nato Dómino, angelórum chori canébant, dicéntes: Salus Deo nostro, sedénti super thronum, et Agno!

Versiculus: Notum fecit. **Oratio:** Concéde, quæsumus, omnipotens Deus, ut nos Unigéniti, **ut supra.** **Antiphona:** Mariá intácta. **Versiculus:** Post partum. **Oratio:** Deus, qui salútis.

Ad matutinum

Invitatorium: Christus natus. **Psalmus:** Veníte. **In primo nocturno antiphona:** Dóminus dixit. **Psalmus:** Quare fremuérunt.

Antiphona

In sole pósuit tabernáculum suum, et ipse, tamquam sponsus, procédens de thálamó suo. **Ps.** Cæli enárrant.

Antiphona

Elevámini, portæ æternáles, et introíbit Rex glóriæ. **Ps.** Dómini est terra.

Versiculus: Speciósus forma. **Benedictiones dicuntur de beata Virgine.**

Lectio I.

Semper quidem, dilectíssimi, dívërsis modis, multísque mensúris · humano géneri bónitas dívína consúluit, et plúrima providéntiæ suæ múnera · ómnibus retro sáeculis cleménter impértit. Sed in novíssimis tempóribus omnem abundántiam sólitæ benignitátis excéssit, quando in Christo ipsa ad peccatóres misericórdia, ipsa ad errántes véritas, ipsa ad mórtuos vita descéndit, ut Verbum illud

coaeternum · et coequalle Genitori in unitate deitatis suae, naturam nostrae humilitatis assumeret, et Deus de Deo natus, idem etiam homo de homine nasceretur. Tu.

Responsorium



Ecce, Agnus Dei, ecce, qui tollit peccata mundi, ecce, de quo dicebam vobis: # Qui post me venit, ante me factus est, cuius non sum dignus corrigiam calceamenti solvere. **V.** Hoc est testimonium, quod perhibuit Ioannes. **Q**ui post me.

Lectio II.

Promissum quidem hoc a constitutione mundi, et multis significacionibus rerum atque verborum semper fuerat prophetatum. Sed quantam hominum portionem figurae illae et mysteria obumbrata salvarent, nisi longa et occulta promissa adventu suo Christus impleret. Et quia tunc paucis credentibus profuit faciendum, innumeris iam fidelibus prodesset effectum. Tu.

Responsorium



Benedictus, qui venit in nomine Domini, Deus Dominus, et illuxit nobis, # alleluia. **V.** Lapidem, quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli; a Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris. **A**lleluia.

Lectio III.

Iam ergo nos non signis, neque imaginibus ad fidem ducimur, sed evangelica historia confirmati, quod factum credimus, adoramus, accedentibus ad nostram eruditionem prophetis instrumentis, ut nullo modo habeamus ambiguum, quod tantis oraculis scimus esse praedictum. Hinc enim est, quod Abraham Dominus ait: "In semine tuo benedicentur omnes gentes." Tu autem.

Responsorium



Hic, qui ádvenit, nemo scit nomen eius, nisi ipse solus, vocátur Verbum Dómini, et habens vestem præcláram, # et omnes chori angelórum in albis sequúntur Agnum. **V.** Ecce, advénit dominátor Dóminus, et regnum in manu eius, et potéstas, et impérium. **E**t omnes chori.

In secundo nocturno

Antiphona



Speciósus præ filiis hóminum; diffúsa est grátia in lábiis tuis. **Ps.** Eructávit cor.

Antiphona



Rex omnis terræ Deus, psállite sapiénter! **Ps.** Omnes gentes.

Antiphona: Suscépimus, Deus, misericórdiam, **ut supra.** **Psalmus:** Magnus Dóminus.

Versiculus: Notum fecit Dóminus.

Lectio IV.

Hinc David promissionem Dei prophético spíritu canit, dicens: “Iurávit Dóminus David veritátem, et non frustrábitur eum; de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.” Hinc Dóminus per Isaíam: “Ecce, – inquit – virgo in útero accípiet, et páriet fílium, et vocábitur nomen eius Emmánuel, quod est interpretátum: nobíscum Deus.” Et íterum:⁶ “Exiet virga de radíce lesse, et flos de radíce eius ascéndet.” In qua virga non dúbie · beáta María Virgo prædícta est, quæ de lesse ac David stirpe progénita, et Sancto Spíritu fecundáta,

⁶ Ed. iternm

novum florem carnis humanæ, útero quidem matérno, sed partu est eníxa virgíneo. Tu autem.

Responsorium



Beáta et venerábilis es, Virgo María, quæ sine tactu pudóris invénta es mater Salvatóris. # Iacébet in præsepío, et fulgébat in cælo. **V.** Dómine, audívi auditum tuum, et tímui; considerávi ópera tua, et expávi, in médio duum animálium. **I**acébat in præsepío.

Lectio V.

Exsúltent ergo in laudem Dei corda credéntium, et mirábilia eius confiteántur fílii hóminum. Quóniam in hoc præcípue Dei ópere humílitas nostra cognóscitur, quanti ea suus Cónditor æstimáret, qui cum orígini multum humanæ déderit, quod nos ad imáginem suam fecit, reparatióni nostræ longe ámplius tríbuit cum servíli formæ, ipse se Dóminus coaptávit. Tu autem.

Responsorium



Congratulámini mihi omnes, qui dilígitis Dóminum, # quia cum essem párvula, plácuí Altíssimo, et de meis viscéribus génuí Deum et hóminem. **V.** Beátam me dicent omnes generatiónes. **Q**uia cum essem.

Lectio VI.

Quamvis enim ex una eadémque pietáte sit, quicquid creatúræ creátor impéndit, minus tamen mirum est hóminem ad divína proficere, quam Deum ad humana descéndere. Hoc autem nisi fácere dignarétur Omnípotens, nulla quemquam spes iustítiæ, nulla forma sapiéntiæ a captivitate diaboli · et a profúndo æternæ mortis avérteret. Condemnatio enim ex uno in omnes, cum peccáto tránsiens, permaneret, et letáli vúlnerē labefácta natúra, nullum remédium reperíret, quia conditiónem suam suis iúribus mutáre non posset. Tu autem.

Responsorium



Cóntinet in grémio cælum terrámque regéntem · Virgo, Dei Génitrix, próceres comitántur heríles, # per quos orbis ovans, Christo sub príncipe pollet. **V.** Matérnis véhitur, qui matrem véxerat ulnis, angélici próceres, quem stipant ágmine fido. **P**er quos.

In tertio nocturno

Antiphona



Homo natus est in ea, et ipse fundávit eam Altíssimus. **Ps.** Fundaménta.

Antiphona



Exsultábunt ómnia ligna silvárum ante fáciem Dómini, quóniam venit. **Ps.** Cantáte.

Antiphona: Notum fecit Dóminus, allelúia, **ut supra.** **Psalmus:** Cantáte. **Versiculus:** Benedictus, qui venit.

Secundum Lucam

In illo témpore. Erant pater Iesu · et María, mater eius, mirántes super his, quæ dicebántur de illo. Et réliqua.

Homélia lectiónis eiúsdem.

Lectio VII.

Si quis superióra Evangélii verba, diligénter legéndo, inspíciat, agnóscet non sine causa Ioseph et Mariám super his, quæ dicebántur de púero Iesu, fuísse mirátos. Recolébant enim vírginem concepísse et peperísse, audierant a pastóribus ángelos in eius nativité apparuísse, et gáudium omni pópulo annuntiásse. Viderant enim a

magis cum munéribus adorátum, et a Simeóne in mánibus suscéptum et benedíctum, et étiam de eo Annam prophetásse. Et ideo super his et huiuscémodi rebus admirabántur de illo. Tu.

Responsorium



Confirmátum est cor Vírginis, in quo divína mystéria, ángelo narránte, concépit, et forma præ fíliis hóminum castis concépit viscéribus, # et benedícta in ætérnum Deum nobis prótulit et hóminem. **V.** Domus pudíci péctoris templum repénite fit Dei, intácta, nésciens virum, verbo concépit fílium. **E**t benedícta.

Lectio VIII.

Qui enim in sanctis suis mirábilis est, id est in virtútibus sanctórum, multo magis sanctum in exórdio nativitátis in suis virtútibus mirábilis apparuit, sicut idem evangelísta álibi ait: “Stupébant autem omnes, qui eum audiébant super prudéntia et respónsis eius, et audiéntes admiráti sunt.” Sed forte movet áliquem: Cur iste evangelísta patrem Salvatóris Ioseph appelláverit? Numquid oblítus est, quod supérius scrípserat, ángelum Mariæ dixisse: “Ecce, concípies, et páries fílium, et vocábis nomen eius Iesum. Hic erit magnus, et Fílius Altíssimi vocábitur.” Tu.

Responsorium



O, Regem cæli, cui tália famulántur obséquia, stábulo pónitur, qui cóntinet mundum, # iacet in præsépio, et in núbibus tonat. **V.** Dómine, audívi audítum tuum, et tímui; considerávi ópera tua, et expávi, in médio duum animálium. **I**acet.

Lectio IX.

Non, sed opiniónem ipsórum aliórum secútus est, excépta enim María et Ioseph · et Elízabeth, et qui tales erant, quibus Spíritus Sanctus reveláverat, ab ómnibus Deus fílius Ioseph aestimabátur, non quod vere, iuxta Photiniános scílicet hæréticos, a Phótino appellátos hærético, pater eius fúerit, sed quod ad famam Mariæ conservándam ab ómnibus pater eius fúerit aestimátus. Tu.

Responsorium: In principio, *ut supra*.

Ad laudes

Antiphona: Quem vidístis. **Capitulum:** Quanto tēpore. **Hymnus:** Corde natus.
Versiculus: Verbum caro.

Ad Benedictus antiphona



Dum médium siléntium tenérent ómnia, et nox in suo cursu iter perágeret, omnípotens sermo tuus, Dómine, a regálibus sédibus venit, allelúia.

Oratio: Omnípotens, sempitérne Deus, *ut supra*. **Antiphona:** Nato Dómino. **Oratio:** Concéde, quæsumus, nobis, Dómine. **Antiphona:** Glorificámus te. **Versiculus:** Post partum. **Oratio:** Deus, qui salútis. **Et de sanctis Stephano et Ioanne et Innocentibus fiant suffragia.**

Ad sextam

Capitulum

Ita et nos, cum essémus párvuli, sub eleméntis huius mundi erámus serviéntes, at ubi venit plenitúdo tēporis, misit Deus Fílium suum, natum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redímeret, ut adoptiónem filiórum Dei recipérémus. Deo.

Ad nonam

Capitulum

Quóniam estis fílii Dei, misit Deus Spíritum Fílii sui in corda vestra, clamántem: Abba, Pater; ítaque iam non est servus, sed fílius, quod si fílius, et heres per Deum.

Ad secundas vesperas

Antiphona: Tecum princípium, cum ceteris. **Capitulum:** Quanto tēpore.
Responsorium: In principio erat, ut supra. **Hymnus:** A solis. **Versiculus:** Speciósus forma.

Ad Magnificat antiphona



Omnípotens sermo tuus, Dómine, a regálibus sédibus venit, allelúia.

Antiphona: Nato Dómino. **Versiculus:** Notum fecit. **Oratio:** Concéde, quæsumus, ut supra. **Antiphona:** María intácta. **Versiculus:** Post partum. **Oratio:** Deus, qui salútis. **Et de sanctis Stephano, Ioanne et Innocentibus fiant suffragia.**

SEPTIMO DIE

Invitatorium: Christus natus. **Antiphona:** Ipse invocávit, cum ceteris, ut supra.

Lectio I.

Quid illud dicam, quod in terras angélica multitúdo descéndens, vagiéntem párvulum gloriósa laude proséquitur? Stupet enim omnis creatúra tam grande miráculum, quod unus idémque et Deus regnat in cælo, et homo nutritur in terra. Cuius mystérii beátus David annúntians novitátem, omne hóminum genus ad concéntum cántici spirituális ínvat, dicens: “Cantáte Dómino cánticum novum, cantáte Dómino, omnis terra.” Tu autem.

Responsorium: Sancta et immaculáta, ut supra, de Nativitate.

Lectio II.

Quid tam novum, caríssimi, quam quod Deus omnípotens, maiestátis imménsæ, Patri coetérnus · et perpétui regni Dóminus ad infirmitátes corpóreas, ad humilitátem se inclinávit humanam? Quid tam novum, quam quod in concipiénte et parturiénte fémina, illæsa virgíntas permanéret? Et talis revéra Salvatórem mundi decébat ingræssus, ut qui humáni géneris veniébat peccáta mundáre, præ ceteris mún dius nascerétur. Bene étiam prophéta subiúnxit: “Cantáte Dómino, omnis terra.” Cui enim álii omnis debet cantáre terra, nisi qui unívérso terrárum orbi delictórum véniam · et spem sempitérnæ salútis invéxit. Tu autem.

Responsorium: Beáta víscera, ut supra de Nativitate.

Lectio III.

Magnificémus ergo, fratres caríssimi, Dóminum ac Deum nostrum, psallámus ei atque cantémus! Dignus est enim, ut eórum præcípue láudibus honorétur, quos próprii córporis passióne, et sui sánguinis effusióne salvávit. Cupiéntes áliiquid de huius diéi sollemnitate narráre, simúlque considerántes illud unum Verbum, de quo dícere vólumus, nulla invénimus verba, quibus sufficiénter áliiquid dícere valeámus. Est enim hoc Verbum, non quod désinit prolátum, sed quod pérmanet natum, non transitórium, sed ætérnum, non factum a Deo Patre, sed génitum, nec solum génitum, sed étiam Unigénitum. Unum quippe Verbum Deus Pater genuit de seípso, per quem ómnia creávit ex nihilo. Tu.

Responsorium: Verbum caro. **Cetera, ut supra.**

IN CIRCUMCISIONE DOMINI

ad vesperas

Antiphona: Tecum princípium, **ut supra, per ordinem.**

Capitulum

Caríssimi. Appáruit benígnitas et humánitas Salvatóris Dei nostri, non ex opéribus iustítiae, quæ fécimur nos, sed secúndum suam misericórdiam salvos nos fecit. Deo.

Responsorium: Confirmátum est cor Vírginis, **quære hic supra, in dominica.** **Hymnus:** A solis ortus. **Versiculus:** Post partum Virgo.

Ad Magnificat antiphona



Magnum hereditátis mystérium: templum Dei factus est úterus, nésciens virum, non est pollútus, ex ea carnem assúmens; omnes gentes vénient, dicéntes: Glória tibi, Dómine!

Oratio

Deus, qui salútis aetérnae beátæ Mariæ virginitáte fecúnda · humano géneri præmia præstitisti: tríbue, quæsumus, ut ipsam pro nobis intercédere sentiámus, per quam merúimus auctórem vitæ suscípere, Dóminum nostrum.

Ad completorium

Psalmus: Cum invocárem. **Hymnus:** Corde natus. **Capitulum:** Virgo verbo. **Versiculus:** Gaude, mater.

Ad Nunc dimittis antiphona



Nésciens Virgo virum, péperit sine dolóre Salvatórem sæculórum;
ipsum regem angelórum sola virgo lactábat úbere de cælo pleno.

Oratio: Deus, qui salutis. **Oratio:** Deus, qui illúminas.

Ad matutinum

Invitorium: Christus natus est. **Psalmus:** Veníte.

In primo nocturno

Antiphona: Dóminus dixit. **Psalmus:** Quare fremuérunt. **Antiphona:** In sole pósuit.
Psalmus: Cæli enarrant. **Antiphona:** Elevámini, portæ. **Psalmus:** Dómini est terra.
Versiculus: Speciósá facta es. **Item, benedictiones dicuntur de beatæ Virgine.**

Lectio I.

Circumcísio Dómini nostri, Iesu Christi, sicut et mors et resurréctio, pro nobis facta est, ut, sollémni purgatióne mundáti, nequáquam iam ultérius indigeámus circumcisióne carnáli. Unde apóstolus: Circumcísí, inquit, estis circumcisióne non manu facta. Ritus autem et religio circumcisiónis · a beáto Abraham patriárcha sumpsit exórdium. Tu.

Responsorium: Descéndit de cælis, **ut supra, de Nativitate Domini.**

Lectio II.

Qui cum, pósitus adhuc in præpútio, perfécte Deo credidísset, reputátumque ei esset ad iustítiam, signum accépit circumcisiónis, signáculum iustítiae fidei, quæ est in præpútio, a quo étiam, ut in die circumcisiónis, nomen párvulis aptaréetur, exórtum est, quia et ipse cum testaméntum a Deo circumcisiónis accíperet, eádem prius die cum sua coniúge nóminis augméntum proméruit, ut qui eátenus

Abram, idem:⁷ Pater Excelsus vocabatur, deinceps ob meritum fidei Abraham, hoc est: Pater Multarum Gentium nuncuparetur, Sarai quoque Sara diceretur. Tu autem.

Responsorium: O, magnum mysterium, *ut supra, in Nativitate.*

Lectio III.

Erat autem circumcisionis typus ac figura multiformis. Nam et signaculum, ut dictum est, iustitiae fidei, Abraham et semini eius, et iudicium castigandi eos, qui ad hoc semen hancque fidem pertinerent, ab omni inquinamento carnis et spiritus, et prophetia nascituri. De hoc semine Salvatoris, qui nos et in praesenti per baptismum ab omni mortiferae actionis pollutione mundaret, et in futuro per resurrectionem ab universa mortis corruptione ipsius in perpetuum liberaret, et praecipue donum remissionis, quod solveret a peccato praevagationis Adae. Per hanc id temporis ministrari eidem gratiae · legisque latiori complacuit. Tu.

Responsorium: Sancta et immaculata, *ut supra, in Nativitate.*

In secundo nocturno

Antiphona: Speciosus forma, *quaere in dominica, supra.* **Psalmus:** Eructavit. **Antiphona:** Rex omnis terrae. **Psalmus:** Omnes gentes. **Antiphona:** Suscepimus, Deus. **Psalmus:** Magnus Dominus. **Versiculus:** Dignare me laudare te.

Lectio IV.

Qui enim nunc dicit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*, ipse tunc dicebat: *Masculus, cuius praeputii caro circumcisa non fuerit, peribit anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit.* Non pactum utique circumcisionis, quod non infans, qui necdum valuit discere, sed maiores, qui id servare noverant, poterant ac debuerant, irritum fecerunt verum pactum, quod cum primo homine Deus iniit, quod omnis, qui vel unius diei vitam gessit in terra, praevicasse convincitur, atque ideo remedio salutis aliquo · opus habere non ignoratur. Tu.

Responsorium: Benedicta et venerabilis, *ut supra, in dominica.*

⁷ Malim id est

Lectio V.

Nam qui vel ante témpora circumcóiisionis, vel étiam post datam circumcóiisionem de éxteris géntibus exstitére fidéles, ut extrémplar patiéntiæ Iob, et amíci liberíque illíus sine víctimis hostiárum, se suósque ab origináli peccáto · seu certe sola fide salvábant, quia iustus ex fide vivit, et sine fide impossíbile est placére Deo, verum his atque huiúsmodi remédiis egent, quia de peccáti radíce propagáti, in iniquitátibus concépti, et in delíctis sunt nati. Tu.

Responsorium: Congratulámini mihi, **ut supra, in dominica.**

Lectio VI.

Redémptor ítaque noster, qui ut peccáta nostra tólleret, sine peccáto venit in mundum, sicut suo baptísmate nobis remédia procurávit, idem nostris abluéndis sceléribus, aquarúmque súbiit lavácrum, consecrávit, ita étiam circumcóiisione, quam suscépit, non sua, quæ nulla erant admíssa, purgávit, sed nostræ in se natúræ vetustátem dócuit innovándam, et nunc vidélicet eam per se a vitiórum labe purgándam, et in novíssima die, significans ab ipsa multifáriæ mortalitátis ac mortis peste pénitus esse restaurándam. Tu.

Responsorium: Cóntinet in grémio, **ut supra, in dominica.**

In tertio nocturno

Antiphona: Homo natus est. **Psalmus:** Fundaménta. **Antiphona:** Exsultábunt ómnia.

Psalmus: Cantáte **primum.** **Antiphona:** Notum fecit. **Psalmus:** Cantáte **secundum.**

Versiculus: Elégit eam Deus, et præelégit eam.

Secundum Lucam

In illo témpore. Postquam consummáti essent dies octo, ut circumciderétur puer, vocátum est nomen eius Iesus, quod vocátum est ab ángelo, priúsqvam in útero conciperétur. Et réliqua.

Homélie venerábilis Bédæ presbýteri.

Lectio VII.

Sanctam venerandámque præsentis festi memóriam · paucis quidem verbis evangelísta comprehéndit, sed non pauca cæléstis mystérii virtúte grávidam reliquit. Expósita namque nativité domínica,

cuius gáudia mox ángeli · dignis láudibus extulérunt, pastóres devóta visitatióne celebrárunť, omnes, qui tunc audiére, miráti sunt. Nos quoque pro módulo nostro, prout potúimus, Christo Dómino largiēte, cóngruis missárum hymnorúmque sollémniis exégimus. Subiúnxit atque ait: *Et postquam consummáti sunt dies octo, ut circumciderétur puer, vocátum est nomen eius Iesus, quod vocátum est ab ángelo, priúsqvam in útero conciperétur.* Tu.

Responsorium: Confirmátum est cor Vírginis, **ut supra, in dominica vide.**

Lectio VIII.

Hæc sunt festivitátis hodiérnæ gáudia veneránda. Hæc sacra sollémnitas diéi. Hæc illa supérnæ pietátis múnera sacrosáncta, quæ fidélium córdibus comméndans, apóstolus ait: “Quia ubi venit plenitúdo témporis, misit Deus Fílium suum Unigénitum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redímeret, ut adoptiōnem filiōrum reciperémus.” Tu.

Responsorium



Nésciens Mater Virgo virum, péperit sine dolóre Salvatórem sæculórum, * ipsum regem angelórum sola Virgo lactábat úbere de cælo pleno. **V.** Domus pudíci pectoris templum repénťe fit Dei, intácta, nésciens virum, verbo concépit Fílium. Ipsum regem.

Lectio IX.

Magna namque dispensatióne pietátis · ad redemptiōnem géneris humáni Deus Pater · non ángelum, non archángelum, sed Fílium suum Unigénitum mittere dignátus est. Quem, quia in divinitátis suæ speciéi vidére nequívimus, magna rursus dilectiōnis arte provídít, ut hunc, factum ex muliere, hoc est ex matérnæ carnis substántia sine virili commixtiōne concéptum, ad humános verum hómīnem proférret aspéctus, qui, in divína virtúte ac substántia manens, pro ómnia, quod erat, veram natúræ mortalitátis infirmitátem, quam non habébat, indúeret. Tu autem.

Responsorium: Verbum caro factum est, **ut supra, in Nativitate.**

Ad laudes

Antiphona



O, admirábile commércium, Creátor géneris humáni, animátum corpus sumens, de Vírgine nasci dignátus est, et procedens homo sine sémine, largítus est nobis suam deitátem! **Ps.** Dóminus regnávít.

Antiphona



Quando natus es ineffabíliter de vírgine, tunc implétæ sunt scriptúræ, sicut plúvia in vellus, descendísti, ut salvum fáceres genus humánum: te laudámus, Deus noster.

Antiphona



Rubum, quem víderat Móyses incombústum, conservátam cognóvimus tuam laudábilem virginitátem, Dei Génitrix, intercède pro nobis!

Antiphona



Germinávit radix Iesse, orta est stella ex Iacob, Virgo péperit Salvatórem, te laudámus, Deus noster.

Antiphona



Ecce, María génuít nobis Salvatórem, quem Ioánnes videns, exclamábat, dicens: Ecce, Agnus Dei, ecce, qui tollit peccáta mundi, allelúia.

Capitulum, ut supra. **Hymnus:** Corde natus, **ut supra.** **Versiculus:** Verbum caro.

Ad Benedictus antiphona



Mirabile mystérium declarátur, hódie innovántur natúra, Deus homo factus est, id, quod fuit, permánsit, et quod non erat, assúpsit, non commixtiónem passus, neque divisiónem.

Ad horas antiphonæ de laudibus.

Ad sextam

Capitulum

Per lavácrum regeneratiónis et renovatiónis Spíritus Sancti, quem effúdit in nos abúnde, per Iesum Christum, Salvatórem nostrum. Deo.

Ad nonam

Capitulum

Ut iustificáti grátia ipsíus, herédes simus secúndum spem vitæ ætérnæ in Christo Iesu Dómino nostro. Deo.

In secundis vespers

Antiphona: O, admirábile commércium. **Psalmus:** Dixit Dóminus. **Psalmus:** Confitébor. **Psalmus:** Beátus vir. **Psalmus:** De profúndis. **Psalmus:** Meménto. **Capitulum, ut supra.** **Responsorium:** Verbum caro. **Hymnus:** A solis ortus. **Versiculus:** Post partum, Virgo.

Ad Magnificat antiphona



Qui de terra est, de terra loquitur, qui de caelo venit, super omnes est, et quod vidit et audivit, hoc testatur, et testimonium eius nemo accipit, qui autem acciperit eius testimonium, signavit, quia Deus verax est.

Oratio, ut supra. Suffragium de sancto Stephano tantum:

Antiphona



Sepeliérunt Stéphanum viri timoráti, et fecérunt planctum magnum super eum.

Versiculus: Glória et honóre coronásti eum.

Oratio

Omnípotens, sempitérne Deus, qui primítias mártýrum beáti levítæ Stéphaní sánguine dedicásti: tríbue, quæsumus, ut ipse pro nobis intercëssor exsístat, qui pro suis étiam persecutóribus exorávit Dóminum nostrum.

Completorium, sicut heri, sed antiphona ad Nunc dimittis



Virgo Dei Génitrix, quem totus non capit orbis, in tua se clausit víscera, factus homo. Vera fides Géniti purgávit crímina mundi, ut tibi virgínitas invioláta manet.

Oratio: Deus, qui salútis, et cetera, ut supra.

IN OCTAVA SANCTI STEPHANI

Invitatorium, antiphonæ, psalmi, responsoria, versiculi, omnia, ut in die suo, præter lectiones, quæ infra sequuntur:

Lectio I.

Lectio áctuum apostólorum, quæ nobis hódie lecta est, fratres dilectíssimi, cum plúrimum hábeat in ipsa spem admiratiónis, non minus tamen cóntinet in mystério dignitátis. “Ecce – inquit – beátus Stéphanus dicit: Vídeo cælos apértos, et Fílium hóminis stantem a dextris Dei.” Tu.

Lectio II.

Consideráte attentius, fratres caríssimi, cum beátus martyr Stéphanus · Dóminum nostrum, Iesum Christum ad dexteram Dei Patris stare vidísset, cur se Fílium hóminis vidísse testátus est, et non pótius Fílium Dei, cum útique plus honoris Dómino delatúrus viderétur, si se Dei pótius, quam hóminis Fílium vidísse dixísset. Tu autem.

Lectio III.

Sed certa rátio postulábat, ut hoc ita et ostenderétur in cælo, et prædicarétur in mundo. Omne enim Iudæórum scándalum in hoc erat: cur Dóminus noster, Iesus Christus, qui secúndum carnem est Fílius hóminis, esse étiam Dei Fílius dicerétur. Ideo enim pulchræ divína Scriptúra Fílium hóminis ad dexteram Dei Patris stare memorávit, ut ad confundéndam Iudæórum incredulitátem, ille mártýri ostenderétur in cælo, qui a pérfidis negabátur in mundo. Tu.

Lectio IV.

Et illi testimónium cælestis véritas daret, cui fidem terréna impietas derogáret, vidélicet iuxta psalmum, qui lectus est: “Pretiósá est in conspéctu Dómini · mors sanctórum eius.” Si quid autem distáre inter mártýres potest, præcípuus viderétur esse, qui primus est. Tu autem.

Lectio V.

Iam cum sanctus Stéphanus ab apóstolis diáconus ordinátus sit, apóstolos ipsos beáta ac triumpháli morte præcésit, ac sic, qui erat inférior órdine, primus factus est passióne. Et qui erat discípulus gradu, magíster cœpit esse mártýrio. Complens illud, quod beátus prophéta in psalmo dixit: “Quid retríbuam Dómino · pro ómnibus,

quæ retríbuit mihi?" Rertribúere enim primus vóluit Stéphanus martyr Dómino, quod cum omni génere humano accépit a Dómino. Tu.

Lectio VI.

Mortem enim, quam Salvátor dignátus est pro ómnibus pati, hanc ille primus reddit Salvatóri. Post hæc subiécit Scriptúra sacra, et ait: "Pósisis génibus, clamávit, dicens: Dómine, ne státuas illis hoc peccátum!" Vidéte, dilectíssimi fratres, afféctum beáti viri! Vidéte magnam et mirábilem caritátem! In persecutióne pósitus erat, et pro persecutóribus supplicábat. Tu.

Cetera, ut in die, præter orationem. Kyrie Lætabundus. Præfatio de Nativitate, sine Communicántes. Completorium, ut supra, in die Nativitatis Domini, per totum.

IN OCTAVA SANCTI IOANNIS

Lectio I.

Quia in pectore Iesu sunt omnes thesáuri sapiéntiæ et sciéntiæ absconditi, mérito beátus Ioánnes evangelísta supra pectus eius recúmbit, quem maióre céteris sapiéntiæ et sciéntiæ singuláris múnere donat. Céteros quippe evangelístas nóvimus plura de miráculis nostri Salvatóris, paucióra de divinitáte locútos. Ioánnes autem, per pauca de humánis scribens áctibus, pótius se exponéndis divínæ natúræ índidit arcánis, paténter insínuans, quanta de pectore Iesu fluénta doctrínæ cæléstis, quæ nobis ructáret, háuserit. Tu.

Responsorium: Iste est.

Lectio II.

Nunc ergo, cum vidisset Petrus, dicit Iesu: “Dómine, hic autem quid?” Quia se beátus Petrus audíerat, quod per passiónem crucis clarificáturus esset Deum, vóluit étiam de fratre et condiscípulo cognóscere, qua esset ipse morte · perpétuam transitúrus ad vitam. Tu.

Responsorium: Diligébat autem.

Lectio III.

Dicit ei Iesus: “Sic eum volo manére, donec véniam, quid ad te? Tu me séquere!” Non — inquit — eum per passiónem martýrii volo consummári, sed absque violéntia persecutóris diem exspectáre novíssimum. Quando [ego]⁸ ipse véniens, eum in æternæ beatitúdinis mansióne recípiam. Et, quid hoc ad te: Tu tantum, crucis patíbulum subeúndo, mea te sequi vestígia debére meménto! Tu.

Responsoria, ut supra.

Lectio IV.

Et quidem hanc Dómini responsiónem, fratres, tunc témporis ita tractábant, quasi Ioánnes numquam esset moritúrus. Quod non ita esse intelligéndum ipse Ioánnes admonére curávit. Qui cum præmisísset exísse sermónem istum inter fratres, quia discípulus ille

⁸ In margine

non móritur, sollérter adiécit atque ait: “Et non dixit ei Iesus, non móritur, sed sic eum volo manére, donec véniam, quid ad te.” Tu.

Lectio V.

Non ergo putándum est, quia discípus ille non sit moritúrus in carne, quia nec Dóminus hoc de illo futúrum prædixit. Et psalmísta ait: “Quis est homo, qui vivit, et non vidébit mortem?” Sed ita pótius intelligéndum, quod céteris Christi discíplis per passiónem conservátis, ipse in pace Ecclésiæ advéntum supérnæ vocatiónis expectáverit, et hoc esse, quod ait Dóminus: “Sic eum volo manére, donec vénio.” Tu.

Lectio VI.

Non quia . non et ipse multos ántea labóres pro Dómino pressurásque malórum toleráverit, sed quia últimum in pace sénium finíerit, útpote ecclésiis Christi per Asiam, quam regébat, iam longe latéque fundátis. Nam in áctibus apostolorum cum céteris apóstolis flagellátus invenítur, quando ibant gaudéntes a conspéctu concílii, quóniam digni hábiti sunt pro nómine Iesu contuméliam pati. Et a Domitiáno Cæsare in fervéntis ólei dólum missus, in ecclesiástica narrátur história, ex quo tamen, divína se protegénte grátia, tam intáctus exíerit, quam fúerat a corruptiône concupiscéntiæ carnális extráneus. Tu.

Homelia et cetera, ut supra, in die.

IN OCTAVA SANCTORUM INNOCENTUM

Lectio I.

Dedicátur novus ab infántibus sermo · sanctis láudibus Christi in glóriam Dómini, primam vocem apériunt innocétes, fiunt dissérta laude, qui fúerant imperíti sermóne. Offerunt Dómino primítias linguæ, novos oris ímmolant fructus, verbórum princípia libant. Infántia enim, quæ per ætátem loqui non póterat, glórias Dei cum gáudio resonábat. Tu.

Responsoria, ut supra, in die.

Lectio II.

Norunt laudáre Christum, qui loqui non norant. Fiunt períti laude, qui fúerant imperíti sermóne. Osténdunt láudibus Deum, suffrágiis prædicant Christum. Fiunt intérea púeri sine magistro dissérta, docti sine doctóre, períti sine eruditóre, agnóscunt Christum, prædicant Dóminum, non quem persuásio humána docúerat, sed quem innocéntibus divínitas inspirábat. Tu.

Lectio III.

Cessant enim humána, cum divína tractántur, quia humána ipsa prodésse non póterunt, nisi divinórum solátio sublevéntur. Necesse est enim terréna succúmbere, cum cæléstia prædicántur, naturália silére, cum virtútes loquúntur. Tu.

Lectio IV.

Erígitur itaque infántium ætas in laudem, quæ delictórum non nóverat crimen. Dignus a dignis laudátur, et innocens innocéntium testimonio prædicátur. Accípiunt enim a Christo, et reddunt, consequúntur, et réferunt · uno enim témpore, et qui déderat, récipit, et qui accéperat, reddit. Uno, inquam, témpore sua Christo reddúntur, dum eius laudes illi ab infántibus referúntur. Tu autem.

Lectio V.

Díximus de laude infántium. Quid de lacténtium láudibus proferémus, quorum laudem inveníre non póssumus, nisi eos ípsos, qui laudavérunt, novérimus? Qui sint? Ubi sint? Quam laudem intúlerint, quæro, qui loqui non norant. Neque enim ætas illa póterat posse, quod natúra non déderat, aut celebrári a tálibus póterat, quod institútio denegábat. Tu.

Lectio VI.

Dicunt namque Dómino laudes, trucidáti ab Heróde lacténtes. Loquúntur sáanguine, quod lingua non possunt. Passióne canunt, quod sermóne non norunt. Occísi prædicant, quod vivi non póterant. Nec novum quid dícitur, ut ínnocens sanguis aut Deo réferat laudes, aut suas índicet passiónes, cum Abel sanguis clamet ad cælum, aut occisórum ánimæ ab altári vociferéntur ad Deum. Tu autem.

Homelia et laudes, ut supra. Præfatio de Nativitate, sine Communicántes. Et est sciendum, quod in octava Innocentum aguntur omnia sollemniter. Ad invitatorium et ad responsoria Glória Patri, et in missa Glória in excélsis, et etiam Te Deum laudámus, sive diebus ferialibus, sive dominicis eveniat, dicuntur, et cetera, ut supra.

IN VIGILIA EPIPHANIÆ

Nota, si vigilia Epiphaniarum Domini venerit die dominico, tunc ad primas vespervas antiphona: Tecum princípium, cum ceteris antiphonis et psalmis. Capitulum, responsum, versiculus, hymnus, antiphona ad Magnificat, oratio, scilicet: Omnipotens, sempitérne Deus, dirige actus nostros et cetera, sola. Ista omnia quære supra, in dominica præcedenti. Completorium similiter, ut supra. Ad matutinum invitatorium, antiphonæ, psalmi, versiculi, responsoria · et sex lectiones de dominica præcedenti cum homelia Defúncto Heróde, subscripta. Te, Deum, laudámus dicitur, si etiam venerit diebus ferialibus. Laudes: Quem vidístis, cum ceteris antiphonis et psalmis. Capitulum de vigilia, scilicet: Scimus, quóniam quæcúmque lex lóquitur. Hymnus: Corde natus ex paréntis. Versiculus: Verbum caro. Antiphona: Tolle púerum. Psalmus: Benedíctus. Oratio de vigilia, scilicet: Corda nostra, quæsumus, Dómine et cetera, cum suffragio de dominica. Antiphona: Dum médium siléntium. Versiculus: Notum fecit Dóminus. Oratio: Omnipotens, sempitérne Deus, dirige actus nostros, et dicuntur ad omnes horas · et in missa maiori. Ita tamen, quod prima oratio de vigilia, secunda de dominica, tertia de beata Virgine. Prosa: Grates nunc omnes. Præfatio: Quia per incarnáti, sine Communicántes. Si autem venerit diebus ferialibus, invitatorium: Christus natus est nobis. Psalmus: Veníte. Antiphona: Homo natus est. Psalmus: Fundaménta, ut supra, in dominica præcedenti, cum tribus antiphonis et psalmis. Et dicitur homelia subscripta tantum, videlicet: Defúncto Heróde, cum tribus responsoriis: Ecce, Agnus Dei; Benedíctus, qui venit; Hic, qui ádvenit, ut supra, in dominica præcedenti. Te, Deum, laudámus dicitur. Ad laudes antiphona Quem vidístis cum ceteris antiphonis et psalmis.

Secundum Matthæum

In illo témpore. Defúncto Heróde, ecce, ángelus Dómini appáruit in somnis Ioseph in Ægýpto, dicens: Surge, et áccipe púerum et matrem eius, et vade in terram Israel! Et réliqua.

Homélia lectionis eiúsdem.

[Lectio I.]

Redemptóris nostri, Iesu Christi, in carne ostensiónem veneránda præveniéntes sollemnitate, opportúnum est ex lectione sancti Evangélii verba pauca ad utilitatem vestram proférre. Ait namque evangelísta: *Defúncto enim Heróde, ecce, ángelus Dómini appáruit in somnis Ioseph, dicens: Surge, et áccipe púerum et matrem eius, et vade in terram Israel, defúncti sunt enim, qui quærébant ánimam púeri.* Obitus quippe Heródis términum intentiónis malitiósæ, qua nunc contra Ecclésiám inimíci sæviunt, insínuat. Quia autem, defúncto Heróde, Iesus rédiit ad terram Israel, finem sæculi denúntiat, quando Enoch et Elía prædicántibus, Iudæi sopíta modérnæ invídiæ flamma, fidem veritátis accipient. Sive áliter accipiéndum: quia mórtuo Heróde

Christus vivit, significat persecutores Ecclesiæ deficientes, Ecclesiam Christi tamen semper esse viventem. Ita, mórtuo peccato in corde hóminis, reviviscit homo a consuetúdine peccati per compunctiónem Spíritus Sancti. Recedit de Ægypto, de ténebris p̄venit ad lucem, id est ad Christi fidem et voluntátem conservándam. Accipit Christum in cor suum, et vadit in terram Israel, quia pervenire bonis áctibus meretur ad visiónem Dei, beatitudinem sortitus ætérnam. Tu.

Responsorium: Ecce, Agnus Dei.

Lectio [II.]

Audiens autem Ioseph, quod Archélaus regnaret in Iudæa pro Heróde, patre suo, tímuit illo ire. Archélaus Agnoscens Leo interpretatur, Heródes Pellícus, sive Pellis Glória. Heródes ille, qui cum Piláto póstea amicitiam fécerat, huius Heródis fílius est frater Archélai, quem ipse Tibérius Cæsar Lugdúno, quæ Galliárum civitas est, relegávit, fratremque eius, Heródem, successórem regni fecit. Quia, damnáto Heróde, Ioseph tímóre Archélai in Iudæam ire formídans, ángelo monente, in Náza-reth Galilææ secéssit, última præsentis Ecclesiæ témpora désignat, quando pro ea, quæ nunc est gentis illius cæcitate, christiános in quántum valent perséqui, non desistent, sed ácrior, in eis antichristi persecútio consúrget. Tu autem.

Responsorium: Benedíctus, qui.

Lectio [III.]

Pars ígitur Iudææ, in qua regnabat Archélaus, qui interpretatur Agnoscens Leo, de quo apóstolus ait: “Adversárius vester, diábolus, tamquam leo rúgiens, círcuit, quærens, quem devoret”, p̄fidus antichristi sequáces osténdit. *Et admónitus in somnis Ioseph, secéssit in partes Galilææ, et véniens, habitávit in civiáte, quæ vocátur Náza-reth.* Náza-reth Galilææ, quo Dóminus transfértur, partem gentis eiúsdem, quæ tunc témporis, fidem Christi susceptúra erat, désignat. Unde et bene Galilæa Transmigratio Facta, Náza-reth vero Flos vel Virgúltum eius interpretatur. Quia nimirum sancta Ecclesiá, quo ardentióre desidério ab his, quæ in terris videt, ad cælestia promerénda transmígrat. Tu.

Responsorium: Hic, qui ádvenit.

Capitulum

Fratres. Scimus, quóniam quæcúmque lex lóquitur, his, qui in lege sunt, lóquitur, ut omne os obstruátur, et súbditus fiat omnis mundus Deo, quia ex opéribus legis non iustificábitur omnis caro coram illo. Deo.

Hymnus

Corde natus ex paréntis ante mundi exórdium,
Alpha et O cognominátus, ipse fons et cláusula
omniúm, quæ sunt, fuére, quæque post futúra sunt
sæculórum sæculis.

O, beátus partus ille, Virgo cum puérpera
édidit nostram salútem, feta Sancto Spíritu,
et puer, Redémptor orbis os sacrátum prótulit,
sæculórum sæculis!

Psallat altitúdo cæli, psallant omnes ángeli,
quicquid est virtútis postquam psallat in laudem Dei,
nulla linguárum siléscat, vox et omnis cónsonet,
sæculórum sæculis!

Ecce, quem vates vetústis concinébant sæculis,
quem prophetárum fidéles páginæ spopónderant,
émicat promíssus olim, cuncta colláudent eum,
sæculórum sæculis.

Te senes et te iuventus, parvulórúmque chorus,
turba mártýrum virginúmque, simplices puéllulæ
voce concórdes pudíci pèrstrepent concéntibus,
sæculórum sæculis.

Tibi, Christe, sit cum Patre Aióque Spíritu *et cetera.*

Ad Benedictus antiphona

Tolle púerum et matrem eius, et vade in terram Iuda!

Oratio

Corda nostra, quæsumus, Dómine, ventúræ festivitátis splendor illústret, quo et mundi huius ténebris carére valeámus, et perveniámus ad pátriam claritátis ætérnæ. Per.

Ad horas antiphonæ de laudibus, et responsoria de Nativitate.

Ad sextam**Capitulum**

Iustítia autem Dei per fidem Iesu Christi in omnes et super omnes, qui credunt, non enim est distínctio Iudæi et Græci, omnes enim peccavérunt, et egent grátia Dei, iustificáti gratis per grátiam ipsíus per redemptiónem, quæ est in Christo Iesu, Dómino nostro. Deo.

Ad nonam**Capitulum**

Quem propósuit Deus propitiatióem per fidem in ságuine ipsíus, ad ostensióem iustítie suæ, propter remissionem præcedéntium delictórum in sustentatióem Dei, ad ostensióem iustítie eius in hoc témpore, ut ipse iustus et iustificans eum, qui ex fide est Iesu Christi, Dómini nostri.

[IN FESTO EPIPHANIÆ]

ad primas vesperas

Antiphona: O, admirábile. *Psalmus:* Laudáte, púeri.

Capitulum

Surge, illumináre, Ierúsalem, quia venit lumen tuum, et glória Dómini super te orta est, quia, ecce, ténebræ opérient terram · et calígo pópulos, super te autem oriétur Dóminus, et glória eius in te vidébitur. Deo.

Responsorium

Illumináre, illumináre, Ierúsalem, quia venit lux tua, # et glória Dómini super te orta est. **V.** Et ambulábunt gentes in lúmine tuo, et reges in splendóre ortus tui. Et.

Hymnus

Hostis Heródes ímpie,
Christum veníre quid times?
Non árripit mortália,
qui regna dat cæléstia.

Ibant magi, quam víderant,
stellam sequéntes prævíam,
lumen requírunt lúmine,
Deum faténtur múnere.

Lavácrá puri gúrgitis
cæléstis Agnus áttigit,
peccáta, quæ non détulit,
nos abluéndo sústulit.

Novum genus poténtiæ:
aquæ rubéscunt hýdriæ,
vinúmque iussa fúndere,
mutávit unda oríginem.

Glória tibi, Dómine,
 qui apparuísti in terris,
 cum Patre et Sancto Spíritu ·
 in sempitérna sæcula.



Amen.

Versiculus: Reges Tharsis et ínsulæ múnera **et cetera.**

Ad Magnificat antiphona



Magi, vidéntes stellam, dixerunt ad ívicem: Hoc signum magni regis est. Eámus, et inquirámus eum, et offerámus ei múnera: aurum, tus et myrrham, allelúia!

Oratio

Deus, qui hodiérna die Unigénitum tuum géntibus, stella duce, revelásti: concéde propítius, ut qui iam te ex fide cognóvimus, usque ad contemplándam spéciem tuæ celsitúdinis perducámur! Per eúndem.

Ad completorium

Psalmus: Cum invocárem. **Hymnus:** Ibant magi.

Alius hymnus:



Quem non prævalent própria magnitúdine ·
 cæli, terræ atque mária amphisépíre,
 de virgíneo natus útero,
 pónitur in præsépio.
 Ut prophéticus sermo núnciat,
 stant simul bos et ásinus,

sed oritur stella lúcida,
 præbitúra Dómino obséquia.
 Quam Bálaam ex Iudáica
 oritúram díxerat prosápi·n·a.
 Hæc magórum óculos
 fulguránti lúmine
 præstrínxit próvidos.
 Atque ipsos prævia ·
 Christi ad cunábula,
 perdúxit vília.
 Illic exíguis
 adórant óbsitum pánnulis,
 offeréntes regi
 aurum, tus et myrrham múnera.
 Ipsa sed tamen mýsticis
 non carent múnera figúris.
 Aurum, ut regi, tus, ut Deo
 et mag[n]o ófferunt sacerdoti,
 atque myrrham in sepultúram.



Amen.

Capitulum

Omnes de Saba vénient, aurum et tus deferéntes, et laudem Dómino annuntiántes. Deo.

Versiculus

V. Vénient ad te, qui detrahébant tibi.

R. Et adorábunt vestigia pedum tuórum.

Ad Nunc dimittis antiphona



Stella ista, sicut flamma, corúscat, et regem regum Deum demónstrat, magi eam vidérunt, et Christo regi múnera obtulérunt.

Oratio

Deus, illuminátor ómnium géntium: da pópulis tuis perpétua pace gaudére, et illud lumen spléndidum infúnde córdibus nostris, quod trium magórum méntibus inspirásti!

Oratio: Deus, qui illúminas.

Ad matutinum

Dómine, lábia mea, Deus, in adiutórium **dicuntur**. **Invitatorium non dicitur, sed tantum incipitur:**

Antiphona

Afférte, Dómino, fílii Dei, adoráte Dóminum in aula sancta eius! **Ps. Ipsum.**

Antiphona

Psállite Deo nostro, psállite, psállite regi nostro, psállite sapiénter! **Ps. Omnes gentes.**

Antiphona

Omnis terra adóret te, Deus, et psallat tibi, psalmum dicat nómini tuo, Dómine! **Ps. Iubiláte Deo, omnis terra.**

Versiculus: Reges Tharsis.

Lectio I.

Omnes sitiéntes, veníte ad aquas, et qui non habétis argéntum, properáte, émite et comédite! Veníte, émite absque argénto, et absque ulla commutatíone vinum et lac! Quare appénditis argéntum

non in pánibus, et labórem vestrum non in saturitáte? Audíte audiéntes me, et comédite bonum, et delectábitur in crassitúdine ánima vestra! Inclínáte aurem vestram, et veníte ad me; audíte, et vivet ánima vestra! Hæc.

Responsorium



Hódie in Iordáne, baptizáto Dómino, apérti sunt cæli, et, sicut colúmba, super eum Spíritus mansit, et vox Patris audíta est: Hic est Fílius meus diléctus, in quo mihi complácuí. **V.** Cæli apérti sunt super eum, et vox Patris audíta est: Hic est.

Lectio II.

Et fériam vobíscum pactum sempitérnum, misericórdias David fidélis. Ecce, testem pópulis dedi eum, ducem ac præceptórem géntibus. Ecce, gentem, quam nesciébas, vocábis, et gentes, quæ non cognovérunt te, ad te current · propter Dóminum Deum tuum · et Sanctum Israel, quia glorificávit te. Quærite Dóminum, dum inveníri potest; invocáte eum, dum prope est! Derelínquat ímpius viam suam, et vir iníquus cogitatiónes suas, et revertátur ad Dóminum, et miserébitur eius, et ad Deum nostrum, quóniam multus est ad ignoscéndum. Hæc.

Responsorium



Omnes de Saba vénient, aurum et tus deferéntes, # et laudem Dómino annuntiántes, allelúia, allelúia, allelúia. **V.** Reges Tharsis et ínsulæ múnera ófferent, reges Arabum et Saba dona addúcent. Et.

Lectio III.

Non enim cogitatiónes meæ cogitatiónes vestræ, neque viæ meæ viæ vestræ, dicit Dóminus; quia sicut exaltántur cæli a terra, sic exaltátæ sunt viæ meæ a viis vestris, et cogitatiónes meæ a cogitatióibus vestris. Et quómo do descéndit imber et nix de cælo, et illuc ultra non revértitur, sed inébríat terram, et infúndit eam, et germináre eam facit, et dat semen serénti, et panem comedénti, sic erit verbum meum, quod egrediétur de ore meo. Hæc.

Responsorium



Stella⟨m⟩, quam víderant magi in oriénte, antecedébat eos, donec venírent ad locum, ubi puer erat. # Vidéntes autem eam, gavísi sunt gáudio magno. **V.** Et intrántes domum, invenérunt púerum cum María, matre eius, et procidéntes, adoravérunt eum. Vidéntes.

In secundo nocturno

Antiphona



Reges Tharsis et ínsulæ múnera ófferent regi Dómino. **Ps.** Deus, iudícium.

Antiphona



Omnes gentes, quascúmque fecísti, vénient, et adorábunt coram te, Dómine. **Ps.** Inclína, Dómine.

Antiphona



Veníte, adorémus eum, quia ipse est Dóminus Deus noster! **Ps.** Veníte, exsultémus Dómino.

Versiculus: Omnis terra adóret te, Deus.

Lectio IV.

Nostis, fratres caríssimi, quia dies iste, qui a nobis in honórem Dómini per annos síngulos celebrátur, ore cunctórum fidélium Epiphánia nuncupátur. Epiphánia vero interpretátur Manifestátio. Tráditum autem tenémus a pátribus, quod Unigénitus Deus hódie

magis est manifestátus, a quibus est, oblátis munéribus, suppliciter adorátus. Nam quia ipse est Deus, qui sibi in véteri testaméto primitias offérrí mandávit, idem Deus, homo natus, géntium primitias suo cúltoi dedicávit. Tu.

Responsorium



Magi véniunt ab oriénte Ierosólymam, quæréntes et dicéntes: # Ubi est, qui natus est, cuius stellam vídimus, et vénimus adoráre Dóminum? **V.** Magi véniunt ab oriénte, inquiréntes fáciem Dómini, et dicéntes: Ubi est.

Lectio V.

Apostólica vero testátur auctóritas, quia unus est Deus, qui iustificat circumcisiónem ex fide · et præpútium. Circumcisiónis nómine Iudæos, præpútii nómine gentes indubitánter osténdens. Isti sunt duo paríetes, qui ex díverso venérunt in lápidem, qui factus est in caput ánguli, in unitáte fídei convenérunt. Unus páries venit ex Iudæis, alter venit ex géntibus. Longe a se divísi erant, quando díversa credébant. Pósitus est in médio lapis anguláris, qui ad se utrúmque paríetem dúceret, et utrúmque uno nómine nuncupáret, esséntque unum communióne vocábuli, qui fíerent in una grátia sacraménti. Tu.

Responsorium



Interrogábat magos Heródes: Quod signum vidístis super natum regem? Stellam magnam fulgéntem, cuius splendor illúminat mundum. # Et nos cognóvimus, et vénimus adoráre Dóminum. **V.** Magi véniunt ab oriénte, inquiréntes fáciem Dómini, et dicéntes: Et nos.

Lectio VI.

Per Christum, caríssimi fratres, qui est pax nostra, fáciens utrúmque unum, Iudæi et géntiles facti sunt unum, quibus fídei únitas índidit nóminis christiáni vocábulum. Ad lápidem ergo angulárem utérque páries venit, et verum ángulum fídei únitas fecit. Horum duórum

pariétum unus adductus est, quando pastóribus Iudæis Christum natum ángelus nuntiávit; alter páries adductus est, quando gentílibus magis novum sidus appáruit. Illi fuérunt primitiæ Iudæórum, isti facti sunt primitiæ géntium. Illi de próximo adducti, isti de longínquo redúcti. Prope enim erant Iudæi, qui Deum colébant, longe erant gentes, quæ idólis serviébant. Tu.

Responsorium



Tria sunt múnera pretiósá, quæ obtulérunt magi Dómino in die ista, et habent in se divína mystéria. # In auro, ut ostendátur regis poténtia, in ture sacerdotem magnum considera, et in myrrha domínica sepultúram. **V.** Salútis nostræ auctórem magi veneráti sunt in cunábulis, et de thesáuris suis mýsticas ei múnerum spécies obtulérunt. In.

In tertio nocturno

Antiphona



Flúminis ímpetus lætíficat, allelúia, civitátem Dei, allelúia. **Ps.** Deus noster.

Antiphona



Adoráte Dóminum, allelúia, in aula sancta eius, allelúia! **Ps.** Cantáte **primum.**

Antiphona



Adoráte eum, allelúia, omnes ángeli eius, allelúia! **Ps.** Dóminus regnávít **primum.**

Versiculus: Omnes gentes, quascúmque fecísti. Vénient **et cetera.**

Secundum Matthæum

Cum natus esset Iesus in Bétlehem Iudæ, in diébus Heródis regis. Ecce, magi ab oriénte venérunt Ierosólymam, dicéntes: Ubi est, qui natus est, rex Iudæórum? Vídimus enim stellam eius in oriénte, et vénimus adoráre eum. Et réliqua.

Homélia beáti Gregórii papæ.

Lectio VII.

Sicut lectiónem evangélicam, fratres, audístis, cæli rege nato, rex terræ turbátus est, quia nimirum terréna altitúdo confúnditur, cum celsitúdo cæléstis aperítur. Sed quæréndum nobis est, quidnam sit, quod, Redemptóre nato, pastóribus in Iudæa ángelus appáruit, atque ad adorándum hunc ab oriénte magos · non ángelus, sed stella perdúxit, quia vidélicet Iudæis, tamquam ratióne uténtibus, ratióne ánimál, id est ángelus, prædicáre débuit. Géntiles vero, quia ratióne caréntes, et uti nesciébant ad cognoscéndum Dóminum, non per vocem, sed per signa deducúntur. Quia et illis prophétia, tamquam fidélibus, et non infidélibus, et istis signa, tamquam infidélibus, et non fidélibus data sunt. Tu.

Responsorium: Illumináre, illumináre, Ierúsalem, **ut supra.**

Lectio VIII.

Et notándum, quod Redemptórem nostrum, cum iam perféctæ esset ætátis, eisdem géntibus apóstoli prædicant, eúmque párvulum, et necdum per humáni córporis offícia loquéntem, stella géntibus denúntiat, quia nimirum ratiónis ordo poscébat, ut et loquéntem iam Dóminum, loquéntes nobis prædicatóres innotéscerent, et necdum loquéntem, eleménta muta prædicárent. Tu.

Responsorium



Dies sanctificátus illúxit nóbis, veníte gentes, et adoráte Dóminum, #
quia hódie appáruit lux magna in terris! **V.** Veníte, adorémus eum,
quia ipse est Dóminus Deus noster! Quia.

Lectio IX.

Sed in ómnibus signis, quæ vel nascénte Dómino, vel moriénte demonstráta sunt, considerándum nobis est, quanta fúerit in quorúndam Iudæórum corde durítia, quæ hunc neque per prophétiae donum, nec per mirácula agnóvit. Omnia quippe eleménta auctórem suum venísse testáta sunt. Ut enim de eis quiddam usu humáno loquar, Deum hunc cæli esse cognóverunt, quia prótinus stellam misérunt. Mare cognóvit, quia sub plantis eius se calcábile præbuit. Terra cognóvit, quia, eo mórtuo, contrémuit. Sol cognóvit, quia lucis suæ rádios abscondit. Saxa et paríetes cognóverunt, quia témpore mortis eius scissa sunt. Inférnus cognóvit, quia hos, quos tenébat mórtuos, vivos réddidit. Et tamen hunc, quem Deum ómnia eleménta insensibília sensérunt, adhuc infidélium Iudæórum corda · Deum esse mínime cognóscunt, et, durióra saxis, scindi ad pæniténtiam nolunt, eúmque confitéri ábnegant, quem eleménta, ut díximus, aut signis, aut scissionibus Deum clamant. Qui étiam ad damnatiónis suæ cúmulum, eum, quem natum despíciunt, nascitúrum longe ante præscivérunt, et non solum, quia nascerétur, nóverant, sed étiam ubi nascerétur. Nam, ab Heróde requisíti, locum nativitátis eius éxprimunt, quem Scriptúræ auctoritáte didicérunt. Et testimónium próferunt, quod Béthlehem honorári nativitate novi ducis osténditur, ut ipsa eórum sciéntia · et illis fieret in testimónium damnatiónis, et nobis ad adiutórium credulitátis. Quos profécto, bene Isaac cum Iacob, fílium suum benedíceret, designávit, qui et calígínans óculis, et prophétans, in præsénti fílium non vidit, cui tamen multa in pósterum prævidit. Quia nimirum Iudáicus pópulus, prophétiae spírítu plenus et cæcus, eum, de quo multa in futúrum prædixit, in præsénti pósito non agnóvit. Tu.

Responsorium



In colúmbæ spécie Spíritus Sanctus visus est, patérna vox audíta est:
Hic est Fílius meus diléctus, in quo mihi bene complácui, ipsum
audíte! **V.** Cæli apérta sunt super eum, et vox Patris audíta est: Hic.

Te Deum laudámus. **Præfatio dicitur:** Quia Unigénitus **cum** Communicántes **et cetera**
per totam octavam.

Ad laudes

Antiphona



Ante lucíferum génius, et ante sæcula, Dóminus, Salvátor noster
hódie mundo apparuit. **Ps.** Dóminus regnávít.

Antiphona



Venit lumen tuum, Ierúsalem, et glória Dómini super te orta est, et
ambulábunt gentes in lúmine tuo, allelúia.

Antiphona



Apértis thesáuris suis, obtulérunt magi Dómino aurum, tus et
myrrham, allelúia.

Antiphona

Mária et flúmina, benedicite Dómino, hymnum dícite, fontes, Dómino, allelúia!

Antiphona

Magi vidéntes stellam, obtulérunt Dómino aurum, tus et myrrham.

Capitulum: Surge, illumináre, **ut supra.** **Hymnus:** Ibant magi **vel** Quem non prævalent. **Versiculus:** Vénient ad te, qui detrahébant tibi.

Ad Benedictus antiphona

Hódie cælésti sponso iuncta est Ecclésia, hódie in Iordáne lavit Christus eius crímina, currunt cum munéribus magi ad regáles nuptias, et ex aqua facto vino lætántur convívæ, allelúia.

Ad primam

Hymnus: Iam lucis orto.

Antiphona

Lux de luce apparuísti, Christe, cui magi múnera ófferunt, allelúia.

Ps. Deus, in nómine tuo salvum me.

Capitulum: Omnes de Saba. **Responsorium:** Iesu Chiste. **V.** Qui apparuísti in terris. **Versiculus:** Vénient ad te. **Oratio:** Deus, illuminátor ómnium géntium. **Oratio:** Dómine, sancte.

Ad tertiam

Antiphona: Venit lumen. **Psalmus:** Legem pone. **Capitulum:** Surge, illumináre.

Responsorium



Reges Tharsis et ínsulæ múnera ófferent. **V.** Reges Arabum et Saba dona addúcent.

Versiculus: Omnis terra adóret.

Ad sextam

Antiphona: Apértis thesáuris suis. **Psalmus:** Defécit.

Capitulum

Et ambulábunt gentes in lúmine tuo, et reges in splendóre ortus tui. Leva in circúitu óculos tuos, et vide, omnes isti congregáti sunt, venérunt tibi, filii tui de longe vénient, et fíliæ tuæ de látere surgent! Deo.

Responsorium



Omnis terra adóret te, Deus, # et psallat tibi. **V.** Psalmum dicat nómini tuo, Dómine. Et.

Versiculus: Omnes gentes, quascúmque fecísti.

Ad nonam

Capitulum

Tunc vidébis, et áfflues, et mirábitur et dilatábitur cor tuum, quando convérsa fúerit ad te multitúdo maris, fortitúdo géntium vénerit tibi, inundátio camelórum opériet te, dromedárii Má dian et Epha. Omnes de Saba véniént, aurum et tus deferéntes, et laudem Dómino annuntiántes. Deo.

Responsorium



Omnes gentes, # quascúmque fecísti, vénient. **V.** Et adorábunt coram te, Dómine. Quascúmque.

Versiculus: Vénient ad te, qui detrahébant tibi. Et adorábunt.

In secundis vesperis

Antiphona: Ante lucíferum. **Psalmus:** Dixit Dóminus. **Antiphona:** Venit lumen tuum. **Psalmus:** Confitébor. **Antiphona:** Apértis thesáuris. **Psalmus:** Beátus vir.

Antiphona



Vídimus stellam eius in oriénte, et vénimus cum munéríbus, adoráre Dóminum. **Ps.** De profúndis.

Antiphona: Magi vidéntes. **Psalmus:** Meménto. **Capitulum:** Surge, illumináre.

Responsorium



Vidéntes stellam magi, gavísi sunt gáudio magno, et intrántes domum, invenérunt púerum cum Maríá, matre eius, et procidéntes,

adoravérunt eum, et, apértis thesáuris suis, # obtulérunt ei múnera, aurum, tus et myrrham. **V.** Aquárum pallens stúpuit unda in vini hac die rubóre mutáta; cursus mirántur Iordánis, quod retrovértitur amnis; magi novo ducti sídere mýstica ferunt múnera regi cæli terræque. Obtulérunt.

Hymnus: Hostis Heródes. **Versiculus:** Reges Tharsis.

Ad Magnificat antiphona



Tribus miráculis ornátum diem sanctum cólimus: hódie stella magos duxit ad præsépium, hódie vinum ex aqua factum est ad núptias, hódie a Ioánne Christus baptizári vóluit, ut salváret nos, allelúia.

Oratio, ut supra.

SECUNDO DIE

Ad matutinum

Invitorium



Christus apparuit nobis, # veníte, adorémus! Ps. Veníte.

In primo nocturno

Antiphona



Afférte, Dómino, fílii Dei, adoráte Dóminum in aula sancta eius! **Ps. Ipsum.**

Antiphona



Flúminis ímpetus lætíficat, allelúia, civitátem Dei, allelúia. **Ps.** Deus noster.

Antiphona



Psállite, Deo nostro, psállite, psállite regi nostro, psállite sapiénter! **Ps.** Omnes gentes.

Versiculus: Reges Tharsis et ínsulæ.

Lectio I.

Celebráto próximo die, quo intemeráta virgíntas humáni géneris édidit Salvatórem, Epiphániaē nobis, dilectíssimi, veneránda

festívitás dat perseverántiam gaudiórum, ut inter cognatárum sollemnitátum vicína sacraménta exsultatiónis vigor et fervor fidei non tepéscat. Tu.

Responsorium



Reges Tharsis et insulæ múnera ófferent, reges Arabum et Saba dona # Dómino Deo addúcent. **V.** Omnes de Saba vénient, aurum et tus deferéntes. Dómino.

Lectio II.

Ad ómnium enim hóminum spectat salútem, quod infántia medi[at]atóris Dei et hóminum iam univérso declarabátur mundo, cum adhuc exíguo detinerétur oppídulo. Quamvis enim Israelíticam gentem, et ipsíus gentis unam familiam delegísset, de qua natúram univérsæ humanitátis assúmeret. Tu.

Responsorium



Hic est dies præclárus, in quo Salvátor mundi appáruit, quem prophétæ prædixerunt, quem ángeli adoravérunt, # cuius stellam magi vidéntes gavísi sunt, et múnera ei obtulérunt. **V.** Dies sanctificátus illúxit nobis, veníte gentes, et adoráte Dóminum! Cuius stellam.

Lectio III.

Nóluit tamen intra matérnæ habitatiónis angústias ortus sui latére primórdia, sed mox ab ómnibus vóluit cognósci, qui dignátus est pro ómnibus nasci. Tribus ígitur magis in regióne oriéntis stella novæ claritátis appáruit, quæ illústrior céteris pulchriórque sidéribus · fáci­le in se intuéntium óculos animósque convérteret, ut conféstim adverterétur non esse otíósum, quod tam insólitum videbátur. Tu.

Responsorium: Vidéntes stellam, *ut supra.*

In secundo nocturno

Antiphona



Omnis terra adóret te, Deus, et psallat tibi, psalmum dicat nómini tuo, Dómine! **Ps.** Iubiláte Deo.

Antiphona



Reges Tharsis et ínsulæ · múnera ófferent regi Dómino. **Ps.** Deus, iudícium.

Antiphona



Omnes gentes, quascúmque fecísti, vénient, et adorábunt coram te, Dómine. **Ps.** Inclína, Dómine.

Versiculus: Omnis terra adóret te, Deus.

Lectio IV.

Dedit ergo aspiciéntibus intelléctum, qui præstitit signum, et quod fecit intélligi, fecit inquíri, et se inveniéndum óbtulit requisítus. Sequúntur tres viri supérni lúminis ducátum, et, prævii fulgóris indícium inténta contemplatióne comitántes, ad agnitiónem veritátis grátiae splendóre ducúntur, qui humáno sensu significátum sibi regis ortum aestimavérunt in civitaté régia esse quæréndum. Sed qui servi suscepérat formam, et non iudicáre vénerat, sed iudicári, Bétlehem præelégit nativitáti, Ierosólymam vero passióni. Tu.

Responsorium: Magi véniunt, *et cetera.*

Lectio V.

Heródes vero, aúdiens Iudæórum príncipem natum, successórem suspicátus expávit, et molítus necem salutis auctóri · falsum spondet obséquium. Quam felix foret, si magórum imitarétur fidem, et

convérteret ad religiõnem, quod disponébat ad fraudem. O, cæca stultæ æmulatiõnis impietas, quæ perturbândum putas divinum tuo furõre consilium! Dóminus mundi · temporále non quærit regnum, qui præstat ætérnum. Tu.

Responsorium: Interrogábat.

Lectio VI.

Quid incommutábilem est dispositárum rerum órđinem vérttere, et aliórum fácinus præoccupáre conáris? Mors Christi non est témporis tui, ante condéndum est Evangélium, ante prædicándum est Dei regnum, ante sanitátes donándæ, ante sunt faciéndá mirácula. Consummant ergo magi desidérium suum, et ad púerum, Dóminum nostrum, Iesum Christum, eádem stella præeúnte, pervéniunt. Adórant in carne Verbum, in infántia sapiéntiam, in infirmitáte virtútem, et in hóm̄inis veritáte Dóminum maiestátis, utque sacraméntum fidei suæ intelligentiæque manifestent, quod córdibus credunt, munéribus protestántur: tus Deo, myrrham hóm̄ini, aurum offerunt regi, sciénter divínam humanámque natúram in unitáte venerántes, quia quod erat in substántiis próprium, non erat in potestáte divérsum. Tu.

Responsorium: Tria sunt múnera, *ut supra.*

In tertio nocturno

Antiphona



Adoráte Dóminum, allelúia, in aula sancta eius, allelúia! **Ps.** Cantáte **primum.**

Antiphona



Adoráte eum, allelúia, omnes ángeli eius, allelúia! **Ps.** Dóminus regnáv̄it, exsúltet.

Antiphona

Notum fecit Dóminus, allelúia, salutáre suum, allelúia. **Ps.** Cantáte **secundum**.

Versiculus: Omnes gentes, quascúmque. **Homelia:** Cum natus esset, **ut supra, cum responsoriis et laudibus.**

[Ad laudes]**Ad Benedictus antiphona**

Ab oriénte venérunt magi in Bétlehem, adoráre Dóminum, et, apértis thesáuris suis, pretiósá múnera obtulérunt: aurum, sicut regi magno, tus, sicut Deo vero, myrrham sepultúræ eius.

Ad secundas vesperas

Ut supra.

Ad Magnificat antiphona

Tria sunt múnera, quæ obtúlerant magi Dómino: aurum, tus et myrrham Filio Dei, regi magno, allelúia.

TERTIO DIE

Lectio I.

Gaudete in Dómino, dilectíssimi, íterum dico, gaudete, quóniam brevi intervállo témporis post sollemnitétem Nativitátis Christi · festívas declaratiónis eius illúxit, et quem in illo die Virgo péperit, in hoc mundus agnóvit; Verbum enim caro factum, sic susceptiúnis nostræ temperávit exórdia, ut Iesus natus et credéntibus maniféstus, et persecúentibus esset occúltus. Tu.

Responsorium: Hódie in Iordáne.

Lectio II.

Iam tunc ergo cæli enarravérunt glóriam Dei, et in omnem terram sonus veritátis exívit, quando et pastóribus exércitus angelórum, Salvatóris édití annuntiátor, appáruit, et magos ad eum adorándum prævia stella perdúxit, ut a solis ortu usque ad occásum, veri regis generátio coruscáret, cum rerum fidem et regna Oriéntis per magos díscerent, et Románum impérium non latéret. Tu.

Responsorium: Omnes de Saba véniunt.

Lectio III.

Nam et sævítia Heródis, volens primórdia suspécti sibi regis exstíngere, huic dispensatióni nésciens serviébat, ut dum, atróci inténtus facínori, ignótum sibi púerum indiscreta infántium cæde perséquitur, annuntiátum cælitus dominatóris ortum, insígnior ubíque fama loquerétur, quam promptiorem ad narrándum diligentiorémque faciébat, et supérnæ signifiatiúnis nóvitas, et cruentíssimi persecutóris impíetas. Tu.

Responsorium: Stella, quam.

Lectio IV.

Tunc autem étiam Ægýpto Salvátor illátus est, ut gens antíquis erroribus dédita, iam ad vicínam salútem per occúltam grátiam vocarétur, et quæ nondum ab ánimo eíecerat superstitiónem, iam hospítio recíperet veritátem. Mérito ígitur, dilectíssimi, dies iste, manifestatióne Dómini consecrátus, speciálem in toto mundo obtínuit dignitátem, qui in córdibus nostris digno debet splendóre

claréscere, ut rerum gestárum órđine · non solum credéndo, sed étiam intelligéndo venerémur. Tu.

Responsorium: Magi.

Lectio V.

Quantam enim gratiárum actiónem debeámus Dómino pro illuminatióne géntium, probat obcæcátio Iudæórum. Quid enim tam cæcum, quid tam lucis aliénium, quam illi sacerdótes et scribæ Israelitárum fuérunt? Qui, percunctántibus magis, et Heróde quærénte, ubi Christus secúndum testimónium scripturárum nascerétur, hoc responderunt de prophético elóquio, quod indicábat stella de cælo. Tu.

Responsorium: Interrogábat.

Lectio VI.

Tuæ útiq̄ue póterat magos, Ierosólymis prætermíssis, usque ad cunábula púeri, sicut póstmodum fecit sua significatióne perdúcere, nisi ad confutándam Iudæórum durítiam pertinuíssset, ut non solum ductu síderis, sed étiam ipsórum professiÓne innotésceret natívitás Salvatóris. Iam ergo ad eruditiónem géntium prophéticus sermo transíbat, et prænuntiátum antíquis oráculis Christum alienigenárum corda discébant, cum Iudæórum infidélitas veritátem ore proférret, et mendácium ó[pe]re retinéret. Tu.

Responsorium: Tria sunt múnera. **Homelia et laudes, ut supra.**

[Ad laudes]

Ad Benedictus antiphona



Cæli apérti sunt super eum, et vox Patris audíta est de cælo, dicens:
Hoc est Fílius meus diléctus, in quo mihi complácuí.

[Ad vesperas]

Ad Magnificat antiphona



Vox de cælo sônuit, et vox Patris audíta est: Hic est Fílius meus
diléctus, in quo mihi complácui, ipsum audíte!

QUARTO DIE

Lectio I.

Noluérunt enim agnoscere óculis, quem de sacris indicáverant libris, ut quem non adorábant in infántiæ infirmitáte húmilem, póstea crucifigerent in virtútum sublimitáte fulgéntem. Quæ ista, Iudæi, tam imperíta in vobis sciéntia est, et tam indócta doctrína? Interrogáti, ubi Christus nascerétur, veráciter et memóriter dicitis, quod legístis: “In Béthlehem Iudæ. Sic enim dictum est per prophétam: Et tu, Béthlehem, terra Iuda, non es mínima inter príncipes Iuda, ex te enim éxiet princeps, qui regat pópulum meum, Israel.” Tu.

Responsorium: Hódie, *ut supra*.

Lectio II.

Hunc príncipem natum, et pastóribus ángeli, et nobis nuntiavére pastóres. Hunc príncipem natum longínque orientálium géntium nátiónes · in insólito novi síderis splendóre didicérunt, et ne de loco édití regis ambígerent, vestra eruditío pródidit, quod stella non dócuit. Cur vobis viam, quam áliis aperítis, obstrúitis? Cur in vestra infidelitáte résidet dúbium, quod ex vestra fit responsióne maniféstum? Locum nativitátis de Scripturárum testimónio demonstrátis, præséntiam témporis de cæli et terræ attestatióne cognóscitis, et tamen ubi ad persecúendum ánimus Heródis exársit, ibi ad credéndum vester sensus obdúruit. Tu.

Responsorium: Omnes de Saba, *et cetera*.

Lectio III.

Felícior ergo ignorántia infántium, quos persecútor occídit, quam vestra sciéntia, quos in sua perturbatióne consúluit. Vos noluístis eius regnum recíperé, cuius óppidum potuístis osténdere; illi potuérunt pro eo mori, quem nondum póterant confitéri. Ita Christus, ne ullum ei esset tempus absque miráculo, ante usum linguæ potestátem verbi táctus exercébat, et quasi iam diceret: “Sínite párvulos veníre ad me, tálium est enim regnum cælórum.” Tu.

Lectio IV.

Nova glória coronábat infántes, et de iníitiis suis parvulórum primórdia consecrábat, ut discerétur néminem hóminum divíni incapácem esse sacraménti, quando étiam illa ætas glóriæ esset apta martýrii. Agnoscámus ergo, dilectíssimi, in magis adoratóribus · vocatiónis nostræ fideíque primítias, et exsultántibus ánimis beatæ spei inítia celebrémus! Exínde enim in ætérnam hereditátem cœpimus introíre, exínde nobis Christum loquéntia scripturárum arcána patuérunt, et véritas, quam Iudæórum obcæcátio non récipit, ómnibus natió nibus suum lumen invéxit. Tu.

Lectio V.

Honorétur itaque a nobis sanctíssimus dies, in quo salúti nostræ auctor appáruit, et quem magi infántem veneráti sunt in cunábulis, nos omnipoténtem adorémus in cælis! Ac sicut illi de thesáuris suis mýsticas Dómino múnerum spécies obtulérunt, ita et nos de córdibus nostris, quæ Deo sunt digna, promámus! Quamvis enim ómnium bonórum sit ipse largítor, nostræ tamen quærit fructum indústriæ. Tu.

Lectio VI.

Non enim dormiéntibus próvenit regnum cælórum, sed in mandátis Dei laborántibus atque vigilántibus, ut si dona ipsíus non írrita fecerimus, per ea, quæ dedit, mereámur accíperere, quæ promísit. Unde cohortámur dilectiÓNem vestram, ut abstinéntes ab omni ópere malo, quæ sunt casta et iusta, sectémini. Fílii enim lucis abiícere debent ópera tenebrárum. Itaque ódia declináte, mendácium abiícite, supérbiam humilitáte destrúite, avarítiam largitáte deléte! Tu.

[Ad laudes]**Ad Benedictus antiphona**

Vénient ad te, qui detrahébant tibi, et adorábunt vestígia pedum tuórum.

[Ad vesperas]

Ad Magnificat antiphona



Videntes stellam magi, gavisi sunt gaudio magno, et intrantes domum, obtulerunt Domino aurum, tus et myrrham.

QUINTO DIE

Lectio I.

Quamvis sciam, dilectissimi, quod sanctitatem vestram hodiernae festivitatis causa non lateat, eamque secundum consuetudinem evangélicus nobis reserávit, tamen ut nostri nihil desit officii · loqui de eadem, quod Dóminus donáverit, audébo, ut in commúni gáudio tanto religiósior sit ómnium píetas, quanto magis fúerit intellécta sollémnitas.

Lectio II.

Providéntia misericórdiæ Dei, dispósitum habens pereúnti mundo in novíssimis tempóribus subveníre, salvatiónem ómnium géntium præfinívit in Christo, ut quia et cunctas natiónes a veri Dei cultu ipsíus error dudum avérterat, et ipse peculiáris Dei pópulus ab institútis legálibus pæne totus excíderat, conclúsis ómnibus sub peccáto, ómnium miserétur. Tu.

Lectio III.

Deficiente enim ubique iustítia, et toto mundo in vana et malígna prolápso, nisi iudícium suum potéstas divína différret, univérsitas hómínium senténtiam damnatiónis excíperet, sed in indulgéntiam ira transláta est. Et ut clárior fieret exercénde grátiae magnítudo, tunc plácuít aboléndis peccátis hómínium, sacraméntum remissiónis afférrí, quando nemo póterat de suis méritis gloriári. Tu.

Lectio IV.

Huius autem, dilectissimi, ineffábilis misericórdiæ manifestátio · facta est Heróde apud Iudæos tenénte ius régium, ubi legítima successióne cessánte, et pontíficum potestáte destrúcta, alienígena obtínuit principátum, ut veri regis ortus illíus prophétiae probarétur voce, quæ díxerat: “Non deficiet princeps ex Iuda, neque dux de femóribus eius, donec véniat, cui repromíssum est, et ipse erit expectátio géntium.” Tu.

Lectio V.

Ad creándam ergo promíssam posteritatem herédis in sidéribus designáti, ortus novi síderis excitátur, ut cui cæli adhíbitum fúerat testimónium, cæli famularétur obséquium. Commóvit magos, habitatóres remotióriis oriéntis, stellis céteris stella fulgéntior, et de mirándi lúminis clarítate · viri ad hæc expectánda · non íncii

magnitudinem significati6nis int6elligunt, agente hoc sine d6bio in e6rum c6rdibus inspirati6ne div6na, ut eos tant6 visi6nis myst6rium non lat6ret, et quod ostendeb6tur ins6litum, 6nimis non esset obs6curum. Tu.

Lectio VI.

D6nique off6cium suum cum religi6ne disp6nunt, et his se 6nstruunt donis, ut, adorat6ri unum, tria se credid6sse dem6nstrent. Auro honor6ntes pers6nam r6giam, myrrha hum6nam, ture div6nam. Tu.

Antiphona: Ab ori6nte, **ut supra.** **Psalmus:** Bened6ctus. **Super Magnificat antiphona:** Tria sunt m6nera.

SEXTO DIE

Lectio I.

Ingrediúntur itaque Iudáici regni præcípua civitátem, et in urbe osténdi sibi póstulant, quem ad regnándum didícerant natum. Conturbátur Heródes, timet salúti suæ, potestáti métuit, requírit a sacerdotibus et doctóribus legis, quid de ortu Christi Scriptúra prædíxerit. In notítiam venit, quod fúerat prophetátum, véritas illúminat magos, infidélitas obcæcat magistros.

Lectio II.

Carnális Israel non intelléxit, quod legit, non vidit, quod osténdit, útitur pagínis, quarum non credit elóquiis. Ubi est, o, Iudæe, gloriátio tua? Ubi est de Abraham patre ducta nobílitas? Ecce, maior servis minóri, et, alienígenis in sortem tuæ hereditátis intrántibus, eius testaménti, quod in sola tenes líttera, recitatióne famuláris. Tu.

Lectio III.

Intret patriarchárum famíliam géntium plenitúdo, et benedictiónem in sémine Abraham, qua se filii carnis ábdicant, filii promissiónis accípiant. Adórent in tribus magis omnes pópuli universitátis auctórem, et non in Iudæa tantum Deus, sed in toto orbe notus. Tu autem.

Lectio IV.

Et ubíque, et non solum in Israel, sit magnum nomen eius, quóniam hanc elégit géneris dignitátem, ut sicut infidélitas in suis pósteris convícit esse se degénerem, ita fides ómnibus se facit esse commúnem. Tu.

Lectio V.

Adoráto ergo Dómino, magi, et omni devotióne compléta, secúndum admonitiónem sómni, non eódem, quo vénerant, itínere convertúntur. Oportébat enim, ut iam in Christo credétes, non per antiquæ conversatiónis sémitas ambulárent, sed novam ingrési viam a relíctis erróribus abstinérent. Tu.

Lectio VI.

Hunc étiam Heródis vacuaréntur insídiæ, qui in Dóminum Iesum impietátem doli per simulatiónem disponébat officíi, unde quia spes illíus erat solúta comménti, in maiórem furórem iracúndia regis ardéscit. Tu.

DOMINICA INFRA OCTAVAS

Antiphona: Ante lucíferum. **Psalmus:** Dixit⁹ Dóminus.

Capitulum

Fratres. Obsecro vos per misericórdiam Dei, ut exhibeátis córpora vestra · hóstiam vivéntem, sanctam, Deo placéntem, rationábile obséquium vestrum. Deo.

Responsorium: Tria sunt múnera. **Hymnus:** Hostis Heródes. **Versiculus:** Reges Tharsis.

Antiphona



Christo datus est principátus et honor regni, omnis pópulus, tribus et linguæ sérvient ei, allelúia. **Ps.** Magníficat.

Oratio

Vota, quæsumus, Dómine, supplicántis pópuli cælésti pietáte proséquere, ut ea, quæ agénda sunt, vídeant, et ad implénda, quæ víderint, convaléscant. Per.

Antiphona: Tribus miráculis. **Versiculus:** Omnis terra. **Oratio:** Deus, qui hodiérna die, **ut supra.** **Invitatorium:** Christus appáruit nobis. **Psalmus:** Veníte. **Antiphona:** Afférte Dómino, **cum ceteris.**

Lectio I.

Iustum et rationábile, dilectíssimi, vere pietátis obséquium est · in diébus, quibus divínæ misericórdiæ ópera protestántur, toto corde gaudére, et honorífice ea, quæ ad salútem nostram gesta sunt, celebráre, vocánte nos ad hanc devotiónem ipsa recurréntium témporum lege, quæ nobis post illum diem, in quo coætérmus Patri Fílius Dei natus ex Vírgine est, brevi intervállo Epiphániaé íntulit festum, ex apparitióne Dómini consecrátum. Tu.

⁹ Ed. dicit

Responsorium



Hódie in Iordáne, baptizáto Dómino, apérti sunt cæli, et, sicut colúmba, super eum Spíritus mansit, et vox Patris audíta est: # Hic est Fílius meus diléctus, in quo mihi complácuí. **V.** Cæli apérti sunt super eum, et vox Patris audíta est: Hic est.

Lectio II.

In quo quidem magnum fidei nostræ præsidium · providéntia divína constituit, ut dum sollémni veneratióne recólitur · adoráta in exórdiis suis Salvatóris infántia, per ipsa originália documénta · probarétur veri in ipso hómínis orta natúra. Tu.

Lectio III.

Hoc est enim, quod iustificat ímpios, hoc est, quod ex peccatóribus facit sanctos, si in uno eodémque Dómino, Iesu Christo, et vera déitas, et vera credátur humánitas: déitas, qua ante ómnia sácula in forma Dei æquális est Patri, humánitas, qua novíssimis diébus in forma servi uníтус est hómíni.

Lectio IV.

Ad roborándam ergo hanc fidem, quæ contra omnes præmuniebátur erróres, ex magna factum est divíni pietáte consílii, ut gens, in longínqua orientális plagæ regióne consistens, quæ spectandórum síderum arte pollébat, signum nati púeri, qui in Israel esset regnatúrus, accíperet. Nova étenim cláritas apud magos stellæ illustriórís apparuit, et intuéntium ánimos ita admiratióne sui splendóris implévit, ut nequáquam sibi créderent negligéndum, quod tanto nuntiabátur indício. Tu autem.

Lectio V.

Redúcti ígitur, dilectíssimi, in Bétlehem magi · stellæ præcedéntis obséquo, gavísi sunt gáudio magno valde, sicut evangelísta narrávit: “Et intrántes domum, invenérunt púerum cum María, matre eius, et procidéntes, adoravérunt eum, et, apértis thesáuris suis, obtulérunt ei múnera: aurum, tus · et myrrham.” Tu.

Lectio VI.

Véniunt itaque Chaldæi, ut lectum est, ab oriénte, sequúntur præviam stellam, non mágica arte recógnitam, sed sui novitate

mirábilem. Idcirco autem magi apud Israel natum regem requirunt, quia Bálaam, ille ariolus et sacerdos quondam gentium, cuius asina locuta perhibetur, stellam ex Iacob oriundam, etiam hominem ex Israel prophetaverat esse venturum. Ait enim inter cetera, sicut legitur: “Orietur stella ex Iacob, et exsurget homo de Israel.” Tu autem.

Secundum Lucam

In illo tempore. Cum factus esset Iesus annorum duodecim, ascendentibus illis Ierosolymam secundum consuetudinem diei festi, consummatisque diebus, cum redirent, remansit puer Iesus in Ierusalem, et non cognoverunt parentes eius. Et reliqua.

Homelia venerabilis Bedae presbyteri.

Lectio VII.

Aperta est nobis, fratres carissimi, sancti Evangelii lectio recitata, neque opus est, ut in ea quid exponendo loquamur. Describit namque infantiam pueritiamque nostri Redemptoris, qua nostrae particeps humanitatis dignatus est fieri. Commemorat aeternitatem divinae maiestatis, in qua Patri mansit ac manet semper aequalis, ut videlicet, incarnationis eius humilitate ad memoriam revocata, et ipsi contra omnium vulnera peccatorum medicamentum vere humilitatis curamus exercere. Tu.

Lectio VIII.

Pio semper animo recolentes, quantum nos pro Domino amore, quantum pro nostra salute oporteat humiliari, qui terra sumus et cinis, si tantum illa potestas pro nobis humiliari non respuit, ut ad suscipienda nostrae humilitatis infirma descenderet. Tu.

Lectio IX.

Item audita, credita est · et confessa divinitas Domini Salvatoris, quae Patri et Spiritui Sancto et consubstantialis semper et coaeternus perseverat. Speremus nos per humanitatis eius sacramenta, quibus imbuiti sumus, usque ad contemplandam divinitatis eiusdem gloriam posse pertingere, quam ipse ad contemplationem fidelibus suis servis · fideli pietate pollicetur: “Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est, qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum.” Tu.

Ad laudes

Antiphona: Ante lucíferum. **Capitulum:** Obsecro vos. **Hymnus:** Ibant magi.
Versiculus: Vénient ad te.

Antiphona



Fili, quid fecísti nobis sic? Ego et pater tuus doléntes quærebámus te. Et quid est, quod me quærebátis? Nesciebátis, quia in his, quæ Patris mei sunt, opórtet me esse, allelúia? **Ps.** Benedíctus.

Oratio, ut supra.

Ad sextam

Capitulum

Nolíte conformári huic sáeculo, sed reformámini in novitáte sensus vestri, ut probétis, quæ sit volúntas Dei bona · et benéplacens et perfécta. Deo.

Ad nonam

Capitulum

Sicut enim in uno córpoꝛe multa membra habémus, ómnia autem membra non eúndem actum habent, ita multi unum corpus sumus in Christo, sínguli autem alter altérius membra · in Christo Iesu, Dómino nostro. Deo.

Ad secundas vesp̄as

Antiphona: Ante lucíferum. **Psalmus:** Dixit Dóminus, **ut supra.** **Capitulum:** Obsecro vos. **Responsorium:** In colúmbe. **Hymnus:** Hostis Heródes. **Versiculus:** Reges Tharsis.

Antiphona

Quid est, quod me quærebátis? An nesciebátis, quia in his, quæ Patris mei sunt, opórtet me esse, allelúia? **Ps.** Magnificat.

Oratio: Vota, quæsumus. **Antiphona:** Tribus miráculis. **Versiculus:** Omnis terra.

Oratio: Deus, qui hodiérna.

IN OCTAVA EPIPHANIÆ

Antiphona: Ante lucíferum. **Psalmus:** Dixit Dóminus.

Capitulum

Dómine, Deus meus, honorificábo te, laudem tríbuam nómini tuo, qui facis mirábiles res, consílium tuum antíquum verum fiat! Deo.

Responsorium: Vidéntes stellam. **Hymnus:** Hostis Heródes. **Versiculus:** Reges Tharsis.

Antiphona



Fontes aquárum sanctificáti sunt, Christo apparénte, in glória orbi terrárum. Hauríte aquas de fonte Salvatóris, sanctificávit enim nunc omnem creatúram Christus, Deus noster. **Ps.** Magnificat.

Oratio

Deus, cuius Unigénitus in substántia nostræ carnis apparuit: præsta, quæsumus, ut per eum, quem símilem nobis foris agnóvimus, intus reformári mereámur. Per eúndem.

[Ad matutinum]

Invitorium, antiphonæ, responsoria, versiculi et cetera, ut supra.

Lectio I.

Hodiérnam festivitátem, dilectíssimi, apparitio Dómini et Salvatóris nostri, sicut nostis, illústrat. Et hic est ille dies, quo ad cognoscéndum adorándumque Dei Fílium, tres magos prævia stella perdúxit. Cuius facti memóriam mérito plácuít honóre ánnuo celebrári, ut dum evangélica história incessabíliter recensétur, semper se intelligéntium sénsibus ínferat salutíferum mystérium · per insigne miráculum. Tu.

Lectio II.

Præcésserant quidem multa documénta, quæ corpóream nativitátem Dómini manifestis indíciis declarárent, sive cum beáta Virgo María fecundándam se Spíritu Sancto · pariturámque Dei Fílium audívit et

crédidit, sive cum salutatióne ipsíus, in útero Elísabeth nondum natus Ioánnes prophética exsultatióne commótus est, quasi étiam intra matris víscera clamáret: “Ecce, Agnus Dei, ecce, qui tollit peccáta mundi.” Tu.

Lectio III.

Vel cum ortum Dómini, ángelo annuntiánte, pastóres caeléstis exercitus sunt claritáte circúdati, ut non ambígerent de potestáte púeri, quem erant in præsépe visúri, nec putárent, quod in sola natúra hómínis esset éditus, cui supérnæ militiæ famularétur occúrsus. Sed hæc atque ália huiúsmodi paucis tunc vidéntur innotuísse persónis, quæ vel ad cognatióem Mariæ Vírginis, vel ad sancti Ioseph famíliam pertinébant. Tu.

Lectio IV.

Hoc autem signum, quod magos, in longínquo pósito, et effícaciter mónuit, ad Dóminum Iesum perseveránte attráxit, illíus sine dúbio grátiae sacraméntum, et illíus fuit vocatiónis exórdium, qua non in Iudæa tantum, sed étiam in toto mundo Christi erat evangélium prædicándum, ut per illam stellam, quæ magórum vísui splénduit, Israelitárum vero óculis non refúlsit, et illuminátio significáta sit géntium, et cæcitas Iudæórum. Tu.

Lectio V.

Pérmanet ígitur, dilectíssimmi, sicut evidénte appáret mysticórum forma gestórum, et quod imáGINE inchoabátur, veritáte complétur. Rádiat e cælo stella per grátiam, et tres magi coruscatióne evangélici fulgóris accíti, in ómnibus cottídie natióibus, ad adorándam poténtiam summi regis accúrrunt. Heródes, quoque in diábolo fremít, et auférri sibi iniquitátis suæ regnum, in his, qui ad Christum tránseunt, ingemíscit. Tu.

Lectio VI.

Unde si párvulos interficiat, Iesum sibi vidétur occídere, quod útique sine cessatióne molítur, dum primórdiis renatórum Spíritum Sanctum erípere, et quandam ténere[m] fidei infántiam tentat exstínguere. Iudæi vero, qui extra regnum Christi esse voluerunt, adhuc quodam modo sub Heródis sunt principátu, et, dominánte sibi Salvatóris inimíco, alienígenæ sérviant potestáti, quasi nesciéntes prophetátum, dicente Iacob: “Non deficiet princeps ex

Iuda, et dux de femóribus eius, donec venit, cui repósite sunt, et ipse erit exspectátio géntium." Tu.

Secundum Matthæum

In illo témpore. Venit Iesus a Galilæa in Iordánem ad Ioánnem, ut baptizarétur ab eo. Et réliqua.

Homélie venerábilis Bedæ presbýteri.

Lectio VII.

Lectio sancti Evangélie, quam modo, fratres, audívimus, magnum nobis et in Dómino, et in servo dat perféctæ humilitátis exéplum. In Dómino quidem, quia cum sit Dóminus, non solum ab hómine servo baptizári, sed étiam ipse ad hunc baptizandum venire dignátus est. In servo autem, quia cum sciret præcursórem se ac baptístam sui Salvatóris destinátum, memor tamen próprie fragilitátis, iniúctum sibi humíliter excusávit officium, dicens: "Ego a te débeo baptizári, et tu venis ad me?" Tu.

Lectio VIII.

Venit Fílius Dei baptizári ab hómine, non ánxia necessitáte abluénde alicúius sui peccáti, qui peccátum non fecit ullum, nec invéntus est dolus in ore eius, sed pia dispensatióne abluénde omnem nostri contagióne peccáti, quia in multis offéndimus omnes. Et si dixérimus, quóniam peccátum non habémus, nos ipsos sedúcimus, et véritas in nobis non est. Venit baptizári in aquis, ipsárum cónditor aquárum, ut nobis, qui in iniquitatibus concépti, et in delictis sumus generáti, secúndæ nativitátis, quæ per aquam et Spíritum celebrátur, appeténdum insinuáret mystérium. Tu.

Lectio IX.

Dignátus est lavári aquis Iordánicis, qui erat mundus a sórdibus cunctis, ut abluéndo nostrórum sordes scélerum, ómnium fluénta sanctificáret aquárum. Sed quia humíllimam Dómini dispensatióne · ex lectiáne evangélica cognóvimus, étiam servi humíllimam obeditiáne sollícita intentiáne videámus! Séquitur: "Ioáannes autem prohibébat eum, dicens: Ego a te débeo baptizári, et tu venis ad me?" Tu.

Ad laudes

Antiphona



Véterem hóminem rénovans Salvátor, venit ad baptísmum, ut natúram, quæ corrúpta est, per aquam recuperáret, incorruptíbili veste circumamíctans nos.

Antiphona



Te, qui in spírítu et igne puríficas humána contágia, Deum ac Redemptórem omnes glorificámus.

Antiphona



Baptísta contrémuit, et non audet tângere sanctum Dei vérticem, sed clamat cum tremóre: Sanctífica me, Salvátor!

Antiphona



Caput dracónis Salvátor contrívit in Iordánis flúmine, ab eius potestáte omnes erípiens.

Antiphona



Magnum mystérium declarátur hódie, quia creátor ómnium in Iordáne expúrgat nostra facínora.

Capitulum: Dómine, Deus meus. **Hymnus:** Ibant magi. **Versiculus:** Vénient ad te.

Ad Benedictus antiphona

Præcúrsor Ioánnes exsúltat cum Iordáne, baptizáto Dómino, facta est orbi terrárum exsultátio, facta est peccatórum nostrórum remíssio, sanctíficans aquas, ipsi omnes clamémus: Miserére nobis!

Ad horas antiphonæ de laudibus.

Ad sextam**Capitulum**

Dómine, excésum est bráchium tuum, Deus Sábaoth, coróna spei, quæ ornáta est glória; exsúltet desértum, et exsúltent solitúdines Iordánis, et pópulus meus vidébit altitúdinem Dómini · et maiestátem Dei, et erit congregátus et redemptus per Deum. Deo.

Ad nonam**Capitulum**

Notas fácite in pópulis virtútes eius, mementóte, quóniam excésum est nomen eius, cantáte Dómino, quia mirabília fecit, annuntiáte hoc in univérsa terra, dicit Dóminus omnípotens. Deo.

Ad secundas vespas

Antiphona: Véterem hóminem. **Psalmi:** Dixit Dóminus; Confitébor; Beátus vir; De profúndis; Meménto, Dómine. **Capitulum:** Dómine, Deus meus. **Responsorium:** Vidéntes stellam. **Hymnus:** Hostis Heródes. **Versiculus:** Reges Tharsis.

Ad Magnificat antiphona



Baptizátur Christus, et sanctificátur omnis mundus, tríbuens nobis remissionem peccatórum, aqua et spírítu omnes vivíficans.

Ad completorium et ad primam capitulum et oratio dicuntur de Epiphania Domini, usque ad dominicam, qui sequitur.

DOMINICA PRIMA POST OCTAVAS EPIPHANIÆ

ad vesp̄as

Antiphona: Benedíctus. *Psalmus ipsum.*

Capitulum

Fratres. Habéntes donatiónes secúndum grátiam, quæ data est nobis differéntes, sive prophétiam secúndum ratióem fidei, sive ministérium in ministrándo, sive, qui docet in doctrína. Deo.

Responsorium



Deus, qui sedes super thronum, et iúdicas æquitátem, esto refúgium páuperum in tribulatióne, # quia tu solus labórem et dolórem consíderas! **V.** Tibi enim derelíctus est pauper, pupílo tu eris adiútor. Quia.

Hymnus

Deus, creátor ómnium,
políque rector, véstiens
diem decóro lúmine,
noctem sopóris grátia.

Artus solútos, ut quies,
reddat labóres úsui,
mentésque fessas állevet,
luctúsque solvat ánxios.

Grates perácto iam die,
et noctis ex orti preces,
votis reos, ut ádiuves,
hymnum canéntes, sólvimus.

Te cordis ima cóncinant,
 te vox canóra cóncrepet,
 te díligat castus amor,
 te mens adóret sóbria!

Ut cum profúnda cláuserit
 diem calígo nóctium,
 fides ténebras nésciat,
 et nox fidéi lúceat!

Dormíre mentem ne sinas,
 dormíre culpa nóverit,
 castos fides refrígeret,
 somni vapórem témperet!

Exúta sensu lúbrico,
 te cordis alta sómnient,
 ne hostis ínvidi dolo ·
 pavor quiétos súscitet!

Christum rogémus et Patrem,
 Christi Patrísque Spíritum,
 unum poténs per ómnia,
 fove præcántes Trínitas!



Amen.

Versiculus: Vespertína orátio.

Ad Magnificat antiphona



Peccáta mea, Dómine, sicut sagíttæ, infíxa sunt in me, sed ántequam
 vúlnera génerent in me, sana me, Dómine, medicaménto pœniténtiæ,
 Deus!

Oratio

Omnípotens, sempitérne Deus, qui cæléstia simul et terréna
 moderáris: supplicatiónes pópuli tui cleménter exáudi, et pacem
 tuam nostris concéde tempóribus! Per.

Oratio sola. Completorium ut in aestate, per totum.

Ad matutinum

Invitatorium



Præoccupémus faciém Dómini in confessióne, # et in psalmis iubilémus ei! **Ps.** Veníte.

In primo nocturno

Antiphona: Servíte Dómino, ut in psalterio.

Lectio I.

Paulus, servus Iesu Christi, vocátus apóstolus, segregátus in Evangélium Dei, quod ante promiserat per prophétas suos in scriptúris sanctis de Filio suo, qui factus est ei ex sémine David secúndum carnem, qui prædestinátus est Fílius Dei in virtúte, secúndum Spíritum sanctificatiónis ex resurrectione mortuórum Iesu Christi, Dómini nostri, per quem accépimus grátiam et apostolátum, ad obædiéndum fidei in ómnibus géntibus pro nómine eius, in quibus estis et vos vocáti Iesu Christi, Dómini nostri, ómnibusm qui sunt Romæ, diléctis Dei, vocátis sanctis. Grátia vobis, et pax a Deo, Patre nostro, et Dómino, Iesu Christo. Tu.

Responsorium



Dómine, ne in ira tua árguas me, neque in furóre tuo corrípias me. # Miserére mihi, Dómine, quóniam infírmus sum. **V.** Timor et tremor venérunt super me, et contexérunt me ténebræ, et dixi: **M**iserére mihi.

Lectio II.

Primum quidem grátias ago Deo meo per Iesum Christum pro ómnibus vobis, quia fides vestra annuntiátur in univérso mundo. Testis enim mihi est Deus, cui sérvio in spírítu meo, in Evangélio Fílii eius, quod sine intermissióne memóriam vestri fácio semper in oratió nibus meis, obsécrans, si quómodo? tandem aliquándo pró sperum iter hábeam in voluntáte Dei, veniéndi ad vos. Tu.

Responsorium: Deus, qui sedes, **ut supra.**

Lectio III.

Desídero enim vidére vos, ut áliquíd impértiar vobis grátiae spírítalis, ad confirmándos vos, id est símilis? consolári vobíscum, per ea, quæ ínvicem est fidem vestram atque meam. Nolo autem vos ignoráre, fratres, quia sæpe propósui veníre ad vos, et prohibítus sum usque adhuc, ut áliquem fructum hábeam in vobis, sicut et in céteris géntibus, Græcis et bárbaris, sapiéntibus et insipiéntibus; débitor sum ita, quod in me promptum est, et vobis, qui Romæ est evangelizáre. Tu.

Responsorium



A dextris est mihi Dóminus, ne commóvear, # propter hoc dilatátum est cor meum, et exsultávit lingua mea. **V.** Consérva me, Dómine, quóniam sperávi in te; dixi Dómino, Deus meus es tu. **P**ropter.

In secundo nocturno

Antiphona: Bonórum meórum. **Psalmus:** Consérva.

Lectio IV.

Non enim erubésco Evangélium, virtus enim Dei est in salútem ómnium credéti, Iudæo primum et Græco. Iustítia enim Dei in eo revelátur ex fide in fidem, sicut scriptum est: “Iustus autem meus ex fide vivit.” Revelátur enim ira Dei de cælo super omnem impietátem et iniustítiam hóminum, eórum, qui veritátem Dei iniustítia détinent, quia quod notum est Dei, maniféstum est illis. Tu.

Responsorium



Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplébis me lætítia cum vultu tuo, # delactatiónes in dextera tua usuq̄ in finem. **V.** Consérva, ut supra.

Lectio V.

Deus enim illis revelávit, invisibília enim ipsíus a creatúra mundi, per ea, quæ facta sunt intellécta, conspiciúntur, sempitérna quoque illíus virtus et divínitas, quia cum cognovíssent Deum, non, sicut Deum glorificavérunt aut grátias egérunt, sed evanuérunt in cogitatió nibus suis. Tu.

Responsorium



Díligam te, Dómine, virtus mea, # Dóminus firmaméntum meum et refúgium meum. **V.** Laudans invocábo Dóminum, et ab inimícis meis salvus ero. **D**óminus.

Lectio VI.

Et obscurátum est insípiens cor eórum, dicétes enim se esse sapiétes, stulti facti sunt, et mutavérunt glóriam incorruptíbilis Dei in similitúdinem imáginis corruptíbilis hóminis, et vólucrum et quadrupédum et serpéntium, propter quod trádidit illos Deus in desidéria cordis eórum, in immundítiam, ut contuméliis afficiant córpora sua in semetípsis, qui commutavérunt veritátem Dei in mendácium, et coluérunt, et serviérunt creatúræ pótius, quam Creatóri, qui est benedíctus in sæcula. Amen. Tu.

Responsorium



Dómini est terra, et plenitúdo eius, # orbis terrárum, et univérsi, qui hábitant in eo. **V.** Ipse super mária fundávit eum, et super flúmina præparávit eum. [**O**rbis.]

In tertio nocturno

Antiphona: Non sunt loquélæ.

Secundum Ioannem

In illo témpore. Núptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, et erat Mater Iesu ibi; vocátus est autem et Iesus et discípli eius ad núptias. Et réliqua.

Homélia venerábilis Bedæ presbýteri.

Lectio VII.

Quod Dóminus noster atque Salvátor ad núptias vocátus non solum veníre, sed et miráculum íbide, quo convívas lætificáre fácere dignátus est, excéptis cæléstium sacramentórum figúris, étiam iuxta lítteram, fidem rectæ credéntium confirmat. Porro Tratiáni et Martiáni, ceterorúmque, qui núptiis détrahunt perfídiam, quam sit damnábilis, insínuat. Tu.

Responsorium



Ad te, Dómine, levávi ánimam meam, # Deus meus, in te confído, non erubéscam. **V.** Neque irrídeant me inimíci mei, étenim univérsi, qui sústinent te, non confundéntur. **D**eus meus.

Lectio VIII.

Si enim thoro? immaculáto, et núptiis débita castitáte celebrátis, culpa inésset, néquaquam eas signórum suórum inítiis consecráre voluísset. Nunc autem, quia bona est cástitas coniugális, mélior continéntia viduális, óptima perféctio virgínalis. Tu.

Responsorium



Audiam, Dómine, vocem laudis tuæ, # ut enárrem univérsa mirabília tua! **V.** Dómine, diléxi decórem domus tuæ, et locum habitatiónis glóriæ tuæ. **Ut.**

Lectio IX.

Ad comprobándam omnem electiōnem gráduum, discernéndum tamen méritum singulórum ex intemeráto Mariæ Vírginis útero nasci dignátus est, a prophético Annæ víduæ ore, mox natus benedícitur. A nuptiárum celebratió nibus iam iúvenis invitátus, et hos præséntia suæ virtútis honórat, sed ad altiórem cæléstium lætítiam figurárum. Tu.

Responsorium

Peccáta mea, Dómine, sicut sagíttæ, infíxa sunt in me, sed ántequam vúlnera génerent in me, # sana me, Dómine, medicaménto pæniténtiæ, Deus. **V.** Quóniam iniquitátem meam ego agnósco, et delíctum meum coram me est semper; tibi soli peccávi. **Sana.**

Te Deum laudámus **dícitur.**

Ad laudes

Antiphona: Indútus est. **Psalmus:** Dóminus regnávít, ut in psaltério. **Capitulum:** Habéntes donatiónes. **Hymnus:** Ecce, iam noctis. **Versiculus:** Dóminus regnávít.

Ad Benedictus antiphona

Núptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, et erat ibi Iesus cum Mariá, mater eius.

Ad primam, ut in psalterio.

Ad sextam

Capitulum

Fratres. Caritátem fraternitátis ívicem diligétes, honóre ívicem præveniétes, idípsum ívicem sentiétes, non alta sapiétes sollicitúdine non pigri, spírítu fervétes, Dómino serviétes. [Deo.]

Ad nonam

Capitulum

Fratres. Gaudéte cum gaudéntibus, flete cum fléntibus, idípsum ívicem sentiétes, non alta sapiétes, sed humílibus consentiétes. Deo.

Ad vespervas

Antiphona: Sede a dextris. **Psalmus:** Dixit Dóminus, **per ordinem.** **Capitulum:** Dóminus autem dírigat. **Responsorium:** Quam magnificáta. **Hymnus:** Lucis creátor. **Versiculus:** Dirigátur, Dómine.

Ad Magnificat antiphona



Deficiénte vino, iussit Iesus implére hýdrias aquæ, quæ in vinum convérsæ sunt, allelúia.

FERIA SECUNDA

Invitatorium: Veníte, exultémus Dómino. **Psalmus:** *Ipsum.* **Ad nocturnum antiphona:** Dóminus, defénzor, **ut supra, in psaltério.**

Lectio I.

Scimus, quóniam quæcúmque lex lóquitur his, qui in lege sunt, lóquitur, ut omne os obstruátur, et súbditus fiat omnis mundus Deo, quóniam ex opéribus legis non iustificábitur omnis caro coram illo. Tu.

Responsorium



Adiútor meus esto, Deus, # ne derelínquas me! **V.** Neque despicias me, Deus salutáris meus! **Ne.**

Lectio II.

Per legem enim cognitio peccáti. Nunc autem sine lege iustítia Dei manifestáta est, testificáta a lege et prophétis. Iustítia autem Dei per fidem Iesu Christi · in omnis et super omnes, qui credunt. Non enim distíctio, omnes enim peccavérunt, et egent glória Dei. Iustificáti gratis per grátiam ipsíus, per redemptiónem, quæ est in Christo Iesu. Tu.

Responsorium



Quia magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine, # quam abscondísti tíméntibus te. **V.** Perfecísti eis, qui sperant in te, in conspéctu filiórum hóminum. **Q**uam.

Lectio III.

Quem propósuit Deus propitiatióem per fidem in sángine ipsíus, ad ostensióem iustítiae suæ, propter remissióem præcedéntium delictórum, in sustentatióem Dei, ad ostensióem iustítiae eius in hoc témpore, ut sit ipse iustus et iustificans eum, qui ex fide est Iesu Christi. Tu.

Responsorium



Benedícam Dóminum in omni témpore, # semper laus eius in ore meo. **V.** In Dómino lætábitur ánima mea, áudiant mansuétí, et læténtur! **S**emper.

Nota, quodcumque de feria agitur tunc, responsoria de dominica non dicuntur, sicut in æstate, sed de feria debent dici usque ad dominicam septuagesimæ. Et capitulum in secundis vesperis: Dóminus autem dírigat, ut supra. Ad matutinum vero et ad alias horas, ut in psalterio continentur.

FERIA TERTIA

Lectio I.

Ubi est gloriatio tua, exclusa est? Per quam legem factorum? Non, sed per legem fidei. Arbitramur enim iustificari hominem per fidem, sine operibus legis. An Iudaeorum Deus tantum, nonne et gentium? Immo et gentium. Tu.

Responsorium



Auribus percipe, Domine, lacrimas meas, ne sileas a me, mitte mihi, # quoniam incola ego sum apud te et peregrinus. **V.** Dixi: custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. [**Quoniam.**]

Lectio II.

Quoniam quidem unus Deus, qui iustificavit circumcisionem ex fide, et praputium per fidem. Legem ergo destrumus per fidem? Absit, sed legem statumus. Quid ergo dicemus invenisse Abraham, patrem nostrum secundum carnem? Tu.

Responsorium



Statuit Dominus supra petram pedes meos, et direxit gressus meos, # et immisit in os meum canticum novum. **V.** Expectans expectavi Dominum, et respexit me, et exaudivit deprecationem meam. **Et.**

Lectio III.

Si enim Abraham ex operibus legis iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum. Quid enim scriptura dicit? "Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad iustitiam." Tu.

Responsorium



Ego dixi: Domine, miserere mei, # sana animam meam, quia peccavi tibi! **V.** Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripas me! **Sana.**

Laudes de psalterio.

FERIA QUARTA

Lectio I.

Si autem, qui operátur merces, non imputátur secúndum grátiam, sed secúndum débitum. Et vero, qui non operátur, credénte autem in eum, qui iustificat ímpium, reputátur fides eius ad iustítiam secúndum propósitum grátiae Dei, sicut et David dicit beatitúdinem hóminis, cuius Deus accépto fert iustítiam sine opéribus. [Tu.]

Responsorium



Ne perdíderis me, Dómine, cum iniquitátibus meis, # neque in finem irátus resérves mala mea! **V.** Misérére mei, Deus, miserére mei, quóniam in te confídit ánima mea! **Ne.**

Lectio II.

“Beáti, quorum remíssæ sunt iniquitátes, et quorum tecta sunt peccáta. Beátus vir, cui non imputávit Dóminus peccátum, nec est in spírítu eius dolus.” Beatitúdo ergo hoc in circumcisióne tantum manet, an étiam in præpútio? Dícimus enim, quia reputáta est Abrahæ fides ad iustítiam. Quómo do ergo, reputáta est in circumcisióne, an in præpútio? Non in circumcisióne, sed in præpútio. [Tu.]

Responsorium



Parátum cor meum, Deus, parátum cor meum, # cantábo, et psalmum dico Dómino. **V.** Exsúrge, glória mea, exsúrge, psaltérium et cíthara, exsúrgam dilúculo. **Cantábo.**

Lectio III.

Et signum accépit circumcisiónis, signáculum iustítiae fidei, quæ est in præpútio, ut sit pater ómnium credéntium per præpútium, ut reputétur et illis ad iustítiam, et sit pater circumcisiónis. Tu.

Responsorium



Adiutor meus, tibi psallam, quia Deus susceptor meus es, # Deus meus, misericordia mea. **V.** Eripe me de inimicis meis, Deus meus, et ab insurgentibus in me libera me! **D**eus.

FERIA QUINTA

Lectio I.

Non his tantum, qui sunt ex circumcisióne, sed et his, qui sectántur eius vestígia, quæ est in præpútio fidei patris nostri Abrahæ. Non enim per legem promíssio Abrahæ aut sémini eius, ut heres esset mundi, sed per iustítiam fidei. [Tu.]

Responsorium



Deus, in te sperávi, Dómine, non confúndar in ætérnum, # in tua iustítia líbera me, et éripe me! **V.** Esto mihi in Deum protectórem et in locum munitum, ut salvum me fácias! **I**n.

Lectio II.

Si enim, qui ex lege hii tantum herédes sunt, exinaníta est fides, abolíta est promíssio, lex enim iram operátur. Ubi enim non est lex, nec prævaricátio. Ideo ex fide, ut secúndum grátiam firma sit promíssio omni sémini. Tu.

Responsorium



Repleátur os meum laude, et hymnum dicam glóriæ tuæ, tota die magnificéntiæ tuæ; noli me proiícere in témpore senectútis, # cum defécerit virtus mea, ne derelínquas me! **V.** Gaudébunt lábia mea, cum cantávero tibi, et ánima mea, quam redemísti. **C**um.

Lectio III.

Non enim, qui ex lege est solum, sed ei, qui ex fide est Abrahæ, qui est pater ómnium nostrum. Sic scriptum est, quia patrem multárum géntium pósui te ante Dóminum, cui credidísti, qui vivificat mórtuos, et vocat ea, quæ non sunt, tamquam ea, quæ sunt. Tu.

Responsorium



Gaudébunt lábia mea, cum cantávero, # et ánima mea, quam redemísti. **V.** Sed et lingua mea meditábitur iustítiam tuam, tota die laudem tuam. **Et.**

FERIA SEXTA

Lectio I.

Qui contra spem in spem crédidit, ut fieret pater géntium multárum, secúndum, quod dictum est ei: “Sic erit semen tuum, sicut stellæ cæli · et aréna maris, et non infirmátus est in fide, nec considerávit corpus suum emórtuum, cum iam fere centum annórum esset, et emórtuam vulvam Saræ.” Tu.

Responsorium



Confitébor tibi, Dómine Deus, in toto corde meo, et honorificábo nomen tuum in ætérnum, # quia misericórdia tua, Dómine, magna est super me. **V.** Et eripuísti ánimam meam ex inférno inferióri. **Quia.**

Lectio II.

In repromissióne étiam Dei non hæsitávit diffídens, sed confortátus est fide, dans glóriam Deo pleníssime, sciens, quia quæcúmque promísit Deus, potens est fácere, ideóque reputátum est illi ad iustítiam. Tu.

Responsorium



Misericórdia tua magna est super me, # et liberásti ánimam meam ex inférno inferióri. **V.** Deus, iníqui insurrexérunt in me, et fortes quæsiérunt ánimam meam. **Et.**

Lectio III.

Non est autem scriptum tantum propter ipsum, quia reputátum est illi ad iustítiam, sed et propter nos, quibus reputábitur credéntibus in eum, qui suscitávit Iesum Christum, Dóminum nostrum a mórtuis, qui tráditus est propter delícta nostra, et resurrexit propter iustificatióem nostram. Tu.

Responsorium



Factus est mihi Dóminus in refúgium, # et Deus in adiutórium spei meæ. **V.** Deus ultiónum Dóminus, Deus ultiónum líbere egit. **Et.**

Laudes de psalterio.

SABBATO

Lectio I.

Iustificáti ígitur ex fide, pacem habeámus ad Deum per Dóminum nostrum, Iesum Christum, per quem et accersíri habémus per fidem in grátia ista, in qua stamus et gloriámur in spe glóriæ filiórur Dei. Tu.

Responsorium



Misericórdiam et iudícium cantábo tibi, Dómine, psallam et intélligam # in via immaculáta; quando vénies ad me? **V.** Perambulábam in innocéntia cordis mei in médio domus meæ. **In.**

Lectio II.

Non solum autem, sed et gloriámur in tribulatió nibus, sciéntes, quod tribulatio patiéntiam operátur, patiéntia autem probatió nem, probatio vero spem. Tu.

Responsorium



Dómine, exáudi oratió nem meam, et clamor meus ad te pervéniat, # quia non spernis, Deus, preces páuperum! **V.** De profúndis clamávi ad te, Dómine, Dómine, exáudi oratió nem meam! **Quia.**

Lectio III.

Spes autem non confúndit, quia cáritas Dei diffúsa est in córdibus nostris · per Spíritum Sanctum, qui datus est nobis. Tu.

Responsorium



Velóciter exáudi me, Dómine, # quia defecérunt, sicut fenum, dies mei! **V.** Dies mei, sicut umbra, declinavérunt, ego autem, sicut fenum, áruí. [**Quia.**]

DOMINICA SECUNDA

ad vesperas

Antiphona: Benedíctus. **Psalmus:** *Ipsum.*

Capitulum

Fratres. Nolíte esse prudéntes apud vosmetípsos, nulli malo pro malo reddéntes, providéntes bona, non tantum coram Deo, sed étiam coram ómnibus homínibus. Deo.

Responsorium: Deus, qui sedes. **Hymnus:** Deus, creátor. **Versiculus:** Vespertína orátio.
Ad Magnificat antiphona: Peccáta mea, Dómine.

Oratio

Omnípotens, sempitérne Deus; infirmitátem nostram propítius réspice, atque ad protegéndum nos, déxteram tuæ maiestátis exténde! Per.

Sola.

Ad matutinum

Invitatorium: Præoccupémus, *ut supra.* Totam historiam de dominica precedenti.

Lectio I.

Paulus apóstolus Iesu Christi · per voluntátem Dei, et Sósthenes, frater ecclésiæ Dei, quæ est Corínthi, sanctificátis in Christo Iesu, vocátis sanctis, cum ómnibus, qui ínvocant nomen Dómini nostri Iesu Christi, in omni loco ipsórum et nostro, grátia vobis et pax a Deo, Patre nostro, et Dómino nostro, Iesu Christo. Tu autem.

Lectio II.

Grátias ago Deo meo semper pro vobis in grátia Dei, quæ data est vobis in Christo Iesu, quia in ómnibus dívites facti estis in illo, in omni verbo et in omni sciéntia. Sicut testimónium Christi confirmátum est in vobis in ulla grátia, exspectántibus revelatiónem Dómini nostri, Iesu Christi, qui et confirmábit vos usque in finem sine crímine, in die advéntus Dómini nostri, Iesu Christi. [Tu.]

Lectio III.

Fidélis autem Deus, per quem vocáti estis in societátem Fílii eius, Iesu Christi, Dómini nostri. Obsecro autem vos, fratres, per nomen Dómini nostri, Iesu Christi, ut idípsum dicáti omnes, et non sint in vobis schísmata. Sitis autem perfécti in eódem sensu, et in eádem sciéntia! Tu.

Lectio IV.

Significátum est enim mihi de vobis, fratres mei, ab his, qui sunt Chloes, quia contentiónes sunt inter vos; hoc autem dico, quod unusquísque vestrum dicit: Ego quidem sum Pauli, ego autem Apóllo, ego vero Cephæ, ego autem Christi. Tu autem.

Lectio V.

Divísus est Christus? Numquid Paulus crucifíxus est pro vobis, aut in nómine Pauli baptizáti estis? Grátias ago Deo meo, quod néminem vestrum baptizávi, nisi Crispum et Caium. Ne quis dicat, quod in nómine meo batizáti estis! Tu.

Lectio VI.

Baptizávi autem et Stéphanæ domum, céterum néscio, si quem vestrum álium baptizáverim. Non enim misit me Christus baptizáre, sed evangelizáre, non enim in sapiéntia verbi, ut non evacuétur crux Christi. Fratres, verbum crucis pereúntibus quidem stultítia est. His autem, qui salvi fiunt, id est nobis, virtus Dei est. Tu.

Secundum Matthæum

In illo témpore. Cum descendísset Iesus de monte, secútæ sunt eum turbæ multæ, et ecce, leprósus véniens, adorábat eum, dicens: Dómine, si vis, potes me mundáre. Et réliqua.

Homélia Origénis.

Lectio VII.

Docénte in monte Dómino, discípuli eius venérunt ad eum, sicut álacres, sicut doméstici, sicut próximi, sicut amíci vel fratres, ídeo et Dóminus ait ad illos: "Vos estis sal terræ, et vos estis lux mundi." Nunc vero, descendénte eo de monte, turbæ secútæ sunt eum, quæ in montem ascéndere non potuérunt, ut pigri pópuli, ut negligétes, ut imperfécti. Tu.

Lectio VIII.

Ita et filii Israel primitus in monte ascendere non valuerunt, ad obviandum Deo pergere non potuerunt propter suam irreligiositatem et impietatem, sed solus Moyses ascendit, et pauci cum eo seniorum Israel. Ita et cum Domino discipuli soli in montem ascenderunt, et tardiores deorsum steterunt. Tu.

Lectio IX.

Sic et modo vigilantes et alacres, et fideles animae Deum timentes, Dominum diligentes, regna caelorum desiderantes, Dominum semper sequentes, post Dominum in illum caelestem montem ascendant, audientes apostolum, dicentem: "Quae sursum sunt, quaerite! Quae sursum sunt, sapite, ubi Christus est in dextera Dei sedens!" Descendente nunc Domino, hoc est inclinante se ad infirmitatem et impotentiam ceterorum, miserto imperfecti eorum vel infirmitati, secutae sunt eum turbae multae, aliquanti propter caritatem, aliquanti propter doctrinam, aliquanti propter admirationem et curationem. Tu.

Ad laudes

Antiphona: Indutus est, **ut supra.**

Ad Benedictus antiphona



Cum autem descendisset Iesus de monte, ecce, leprosus veniens, adorabat eum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare. Et extendens manum, tetigit eum, dicens: Volo mundare.

Ad sextam

Capitulum

Fratres. Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes, non vosmetipsos defendentes, carissimi, sed date

locum iræ! Scriptum est enim: Mihi vindictam, et ego retribuam, dicit Dóminus. Deo.

Ad nonam

Capitulum

Si esúerit inimícus tuus, ciba illum, si sitit, potum da illi; hoc enim fáciens, carbónes ignis cóngeres super caput eius. Noli vinci a malo, sed vince in bono malum! Deo.

Ad secundas vespervas

Antiphona: Sede a dextris. **Psalmus:** Dixit Dóminus, **per ordinem, ut supra.**

Capitulum: Dóminus autem dírigat. **Rersponsorium:** Quam magnificáta. **Hymnus:**

Lucis creátor. **Versiculus:** Dirigátur, Dómine.

Ad Magnificat antiphona



Dómine, puer meus iacet paralýticus in domo, et male torquétur. Amen dico tibi, ego véniam, et curábo eum.

PER HEBDOMADAM

Lectio I.

Fratres. Tamquam non venturus sim ad vos, sic inflati sunt quidam, veniam autem cito ad vos, si Dominus voluerit, ut cognoscam, non sermonem eorum, qui inflati sunt, sed virtutem. [Tu.]

Lectio II.

Non enim sermone est regnum Dei, sed in virtute. Quid vultis, in virga veniam ad vos, an in caritate et spiritu mansuetudinis? Tu.

Lectio III.

Omnino auditur inter vos fornicatio, et talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris aliquis habeat. Et vos inflati estis, et non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestrum, qui hoc opus fecit. [Tu.]

FERIA QUARTA

Lectio I.

Fratres. Non est bona gloriatio vestra. Nescitis, quia modicum fermentum totam massam corrumpit? Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi. Etenim pascha nostrum immolatus est, Christus. Itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiae et nequitiae, sed in azymis sinceritatis et veritatis! Tu.

Lectio II.

Scrpsi vobis in epistola: Ne commisceamini fornicariis, non utique fornicariis huius mundi aut avaris, aut rapacibus, aut idolis servientibus. Alioquin debueratis iam de hoc mundo exisse. Tu.

Lectio III.

Nunc autem scrpsi vobis: Non commisceri fornicariis. Si quis autem frater nominatur inter vos, et est fornicator aut avarus · aut idolis serviens · aut malédicus · aut ebriosus · aut rapax, cum huiusmodi nec cibum sumere. Tu.

FERIA SEXTA

Lectio I.

Quid enim mihi de his (vagy iis?), qui foris sunt, iudicáre? Nonne de his, qui intus sunt, vos iudicátis? Nam eos, qui foris sunt, Deus iudicábit. Auférte malum ex vobisípsis! Tu.

Lectio II.

Audet áliquis vestrum, habens negótium advérsus álterum, iudicáre apud iníquos, et non apud sanctos? An nescítis, quóniam sancti de hoc mundo iudicábunt? Et si in vobis iudicábitur hic mundus, indígni estis, qui de mínimis iudicétis? Tu.

Lectio III.

Nescítis, quóniam ángelos iudicábimus? Quanto magis sæculária! Sæculária ígitur iudícia si habuéritis, contemptíbiles, qui sunt in ecclésia, illos constitúite ad iudicándum! Ad verecúndiam vestram dico: Sic non est sápiens inter vos quisquam, qui posset iudicáre inter fratrem suum. Tu.

DOMINICA TERTIA

ad vespervas

Antiphona: Benedíctus, ut supra.

Capitulum

Fratres. Némini quicquam debeátis, nisi ut ínvicem diligátis; qui enim díligit próximum, legem implévit. Deo.

Responsorium: Deus, qui sedes. *Hymnus:* Deus, creátor. *Versiculus:* Vespertína. *Ad Magnificat antiphona:* Peccáta mea.

Oratio

Deus, qui nos in tantis perículis constitútos, pro humána scis fragilitáte non posse subsistere: da nobis salútem mentis et córporis, ut ea, quæ pro peccátis nostris pátimur, te adiuvánte, vincámus! Per. Sola.

Lectio I.

Paulus, apóstolus Iesu Christi · per voluntátem Dei, et Timótheus, frater ecclésiæ Dei, quæ est Corínthi, cum sanctis ómnibus, qui sunt in univérſa Acháia: grátia vobis, et pax a Deo, Patre nostro, et Dómino, Iesu Christo. Tu.

Responsorium: Dómine, ne in ira.

Lectio II.

Benedíctus Deus, et Pater Dómini nostri, Iesu Christi, Pater misericordiárum, et Deus totíus consolatiónis, qui consolátur nos in omni tribulatióne nostra, ut possímus et ipsi consolári eos, qui in omni pressúra sunt, per exhortatióne, qua exhortámur et ipsi a Deo, quóniam sicut abúndant passiónes Christi in nobis, ita et per Christum abúndat consolátio nostra. Tu.

Lectio III.

Sive autem tribulámur pro vestra exhortatióne et salúte, sive consolámur pro vestra consolatióne, sive exhortámur pro vestra exhortatióne et salúte, quæ operátur tolerántiam earúndem passiónum, quas et nos pátimur, ut spes nostra firma sit pro vobis.

Sciéntes, quóniam sicut sócii passiónum estis, sic éritis et consolatiónis. Tu autem.

Lectio IV.

Fratres, non vólumus vos ignoráre de tribulatióne nostra, quæ facta est in Asia, quóniam supra modum graváti sumus, supra virtútem, ita ut tæderet nos étiam vívere. Tu.

Lectio V.

Sed ipsi in nobismetípsis respónsum mortis habúimus, ut non simus fidéntes in nobis, sed in Deo, qui súscitat mórtuos, qui de tantis perículis erípuit nos, et éruet, in quem sperámus, quóniam et adhuc erípiet, adiuvántibus et vobis in oratióne pro nobis, ut ex multárum persónis faciérum eius, quæ in nobis est, donatiónis per multos grátiae reddántur pro nobis. Tu.

Lectio VI.

Nam glória nostra hæc est: Testimónium consciéntiæ nostræ, quod in simplicitáte cordis et sinceritáte Dei, et non in sapiéntia carnáli, sed in grátia Dei conversáti sumus in hoc mundo, abundántius autem ad vos. Tu.

Secundum Matthæum

In illo témpore. Ascendénte Iesus in navículam, secúti sunt eum discípuli eius, et ecce, motus magnus factus est in mari, ita ut navícula operirétur flúctibus. Et réliqua.

Homélia Orígenis de eádem lectiόne.

Lectio VII.

Ingrédiénte Dómino in navículam, secúti sunt eum discípuli eius, non imbecílles, sed firmi et stábiles in fide, mansuétí · et pii, spernéntes mundum, non dúplici corde, sed símplici; hi ergo secúti sunt eum, non tantum gressus eius sequéntes, sed magis sanctitátem eius comitántes, et iustítiam eius consecrántes. Tu autem.

Lectio VIII.

Et ecce, tempésta magna facta est in mari, ita ut navícula operirétur flúctibus. Cum enim multa magna et miránda ostendísset in terra, tránsiit ad mare, ut et ibídem adhuc excellentióra ópera demonstráret, quátenus terræ marisque Dóminum se esse cunctis osténderet. Tu.

Lectio IX.

Ingréssus ergo navículam, fecit turbári mare, commóvit ventos, concitávit fluctus. Cur hoc? Ideo, ut discípulos mitteret in timórem, et suum auxiliúm postulárent, suámque poténtiam rogántibus manifestáret. Illa tempésta non ex se obórta est, sed potestáti páruit imperántis; eius, qui edúcit ventos de thesáuris suis, qui términum mari constítuit. Dixit enim ei: Usque huc vénies, et non supergrediéris, sed in temetípso confringéntur fluctus tui. Huius ergo iussióne et præcépto orta est tempésta in mari · propter occasiónes supérius memorátas. Tu.

Ad Benedictus antiphona

Ascendénte Iesu in navículam, ecce, motus magnus factus est in mari, et suscitavérunt eum discípuli eius, dicéntes: Dómine, salva nos, perímus!

Ad sextam**Capitulum**

Non adulterábis, non occídes, non mœcháberis, non falsum testimónium dices, non concupísces rem próximi tui, et, si quid est áliud mandátum, in hoc verbo instaurátur. [Deo.]

Ad nonam**Capitulum**

Díliges próximum tuum, sicut teípsum; diléctio próximi malum non operátur, plenitúdo ergo legis est diléctio. Deo.

Ad Magnificat antiphona

Dómine, salva nos, perímus; ípera, et fac, Deus, tranquillitátem magnam! Porro hómínes, cum vidissent, quod fécerat signum, dicébant: Qualis est hic, quia ventis íperat et mari, et obœdiunt ei?

FERIA SECUNDA

Lectio I.

Fratres. Scimus, quóniam si terréstris domus nostra huius habitatiónis dissolvátur, quod ædificatiónem habeámus domum non manufactam, sed ætérrnam in cælis. Nam et in hoc ingemíscimus habitatiónem nostram, quæ de cælo est, superíndui cupiéntes, si tamen vestíti, et non nudi inveniámur. Tu.

Lectio II.

Nam et qui sumus in hoc tabernáculo, ingemíscimus graváti, eo quod nólumus exspoliári, sed supervestíri, ut absorbeátur, quod mortále est, a vita. Qui autem éfficit nos in hoc ipsum, Deus, qui dedit nobis pignus Spíritus. Tu autem.

Lectio III.

Audiéntes ígitur semper, et sciéntes, quóniam dum sumus in córpore, peregrinámur a Dómino, per fidem enim ambulámus, et non per spem. Audémus, et bonam voluntátem habémus magis peregrinári a córpore, et præséntes esse ad Deum! Tu.

FERIA QUARTA

Lectio I.

Omnes enim nos manifestári oportet ante tribunal Christi, ut recípiat unusquísque própria córporis, prout gessit, sive bonum, sive malum. Tu autem.

Lectio II.

Sciéntes ergo timórem Dómini homínibus suadémus, Deo autem manifésti sumus. Spero autem et in consciéntiis vestris maniféstos vos esse. Tu.

Lectio III.

Non íterum nos commendámus vobis, sed occasiόνem damus vobis gloriándi pro nobis, ut habeátis ad eos, qui in fácie gloriántur, et non in corde, sive enim mente excédimus Deo, sive sóbrii sumus vobis, cáritas enim Christi urget nos. Tu.

FERIA QUINTA

Lectio I.

Æstimántes hoc, quóniam si unus pro ómnibus mórtuus est, ergo omnes mórtui sunt, et pro ómnibus mórtuus est Christus, ut, et qui vivunt, iam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mórtuus est, et resurréxit. Tu.

Lectio II.

Itaque et nos ex hoc néminem nóvimus secúndum carnem. Et si cognóvimus secúndum carnem Christum, sed nunc iam non nóvimus. Si qua ergo in Christo nova creatúra, vétera transiérunt, et ecce, facta sunt nova ómnia. Tu.

Lectio III.

Omnia autem ex Deo, qui reconciliávit nos sibi per Christum, et dedit nobis ministérium reconciliatiónis. Quóniam quidem Deus erat, in Christo mundum reconcilians sibi, non réputans illis delícta ipsórum, et pósuit in nobis verbum reconciliatiónis. Tu autem.

DOMINICA QUARTA

ad vesperas

Antiphona: Benedíctus, ut supra.

Capitulum

Fratres. Indúite vos, sicut elécti Dei et dilécti, víscera misericórdiæ, benignitátem, humilitátem, modéstiam, patiéntiam, supportántes ínvicem, et donántes vobismetípsis! Si quis advérsus áliquem habet quærélam, sicut (et) Christus donávit vobis, ita et vos! Deo.

Responsorium: Deus, qui sedes.

Oratio

Famíliam tuam, quæsumus, Dómine, contínua pietáte custódi, ut quæ in sola spe grátiae cæléstis innítitur, tua semper protectióne muniátur! Per.

Lectio I.

Paulus apóstolus non ab homínibus, neque per hóminem, sed per Iesum Christum, et Deum Patrem, qui suscitávit eum a mórtuis, et qui mecum sunt, omnes fratres ecclésiis Galátiae: grátia vobis, et pax a Deo Patre, et Dómino nostro, Iesu Christo, qui dedit semetípsum pro peccátis nostris, ut eríperet nos de præsénti sáeculo nequam, secúndum voluntátem Dei et Patris, cui est glória in sáecula sáeculórum, amen. Tu autem.

Lectio II.

Mirror, quod tam cito transferímmini ab eo, qui vos vocávit in grátia Christi, in áliud evangélium, quod non est áliud, nisi sunt áliqui, qui vos contúrbant, et volunt convértere Evangélium Christi. Sicut prædíximus, et nunc prædico: Si quis vobis evangelizáverit præter id, quod accepístis, anáthema sit! Tu.

Lectio III.

Sed licet nos aut ángelus de cælo evangelízet vobis, præterquam, quod evangelizávimus vobis, anáthema sit! Modo enim homínibus suádeo aut Deo, aut quæro homínibus placére. Si adhuc homínibus plácerem, Christi servum non essem. Tu.

Lectio IV.

Fratres. Notum vobis fácio evangélium, quod evangelizátum est a me, quia non est secúndum hóminem, neque enim ego ab hómine accépi illud, neque dídici, sed per revelatiónem Iesu Christi. Tu autem.

Lectio V.

Audístis enim conversatiónem meam aliquándo in Iudaísmo, quóniam supra modum persecuébar Ecclésiám Dei, et expugnábam illam, et proficiébam in Iudaísmo super multos coætáneos meos in génere meo; abundántius enim æmulátor exístens paternárum meárum traditiónum. Tu.

Lectio VI.

Cum autem complácuit ei, qui me segregávit de útero matris meæ, et vocávit per grátiam suam, ut reveláret in me Fílium suum, ut evangelizárem illum in géntibus, contínuo non acquiévi carni et sánguini, neque veni Ierosólymam ad antecessóres meos apóstolos, sed ábii in Arábiam, et inde íterum revérsus sum Damáscum. Tu.

Homelia: Ascendénte Iesu in navículam. **Quære in dominica præcedenti.**

Ad laudes

Antiphona: Indútus est, ut supra.

Ad sextam

Capitulum

Et pax Dei vígeat in córdibus vestris, in qua et vocáti estis in uno córpore, et grati estóte: verbum Dei abúndet in vobis abundánter. Deo.

Ad nonam

Capitulum

Omne, quodcúmque fácitis in verbo aut in ópere, ómnia in nómine Dómini Iesu Christi [fácite], grátias agéntes Deo et Patri per Iesum Christum, Dóminum nostrum. Deo.

Ad secundas vesperas

Antiphona: Sede a dextris. *Psalmus:* Dixit Dóminus, *per ordinem.* *Ad Magnificat antiphona:* Dómine, salva nos, perimus. *Quære in dominica præcedenti.*

PER HEBDOMADAM

Lectio I.

Paulus apóstolus Christi Iesu · per voluntátem Dei, sanctis ómnibus, qui sunt Ephesi, et fidélibus in Christo Iesu: grátia vobis et pax a Deo, Patre nostro, et Dómino, Iesu Christo. Tu.

Lectio II.

Benedíctus Deus et Pater Dómini nostri, Iesu Christi, qui benedíxit nos in omni benedictióne spiritali in cælestibus in Christo. Sicut elégit nos in ipso ante mundi constitutióne, ut essémus sancti et immaculáti in conspéctu eius in caritaté. [Tu.]

Lectio III.

Qui prædestinávit nos in adoptiÓnem filiÓrum per Iesum Christum in ipsum, secúndum propósitum voluntátis suæ, in laudem glóriæ et grátiae suæ, in qua gratificávit nos in dilécto Fílio suo. Tu.

Lectio I.

In quo habémus redemptiÓnem per sánguinem eius, remissiÓnem peccatórum, secúndum divítias glóriæ eius, quæ superabundávit in nobis in omni sapiéntia et prudéntia. Tu autem.

Lectio II.

Et notum fáceret nobis sacrum voluntátis suæ · secúndum beneplácitum eius, quod propósuit in eo in dispensatiÓnem plenitúdinis témporum, instauráre ómnia in Christo, quæ in cælis et quæ in terris sunt in ipso. Tu.

Lectio III.

Fratres, in quo étiam sorte vocáti sumus, prædestináti secúndum propósitum eius, quia ómnia operátur secúndum consílium voluntátis suæ, ut simus in laudem glóriæ eius, qui ante sperávimus in Christo. Tu autem.

Lectio I.

In quo et vos, cum audissétis verbum veritátis, Evangélium salútis vestræ, in quo et credéntes, signáti estis Spírиту promissiÓnis Sancto, quæ est pignus hereditátis nostræ, in redemptiÓnem acquisitiÓnis, in laudem glóriæ ipsíus. Tu autem.

Lectio II.

Propterea et ego, áudiens fidem vestram, quæ est in Dómino Iesu Christo, et dilectiónem in omnes sanctos. Non cesso grátias agens pro vobis, memóriam vestri fáciens in oratióibus meis. Tu.

Lectio III.

Et Deus Dómini nostri, Iesu Christi, Pater glóriæ, det vobis spíritum sapiéntiæ et revelatiónis, in agnitióem eius, illuminátos óculos cordis vestri. Tu.

DOMINICA IN SEPTUAGESIMA

ad vesperas

Antiphona



Allelúia, allelúia, allelúia. **Ps.** Benedíctus.

Similiter ad psalmos singulos.

Capitulum

Fratres. Nescítis, quod hii, qui in stádio currunt, omnes quidem currunt, sed unus áccipit bráviúm. Sic cúrrite, ut comprehendátis! [Deo.]

Responsorium



Formávit ígitur Dóminus hómínem de limo terræ, et inspirávit in fáciem eius spiráculum vitæ, # et factus est homo in ánimam vivéntem. **V.** In princípío fecit Deus cælum et terram, et plasmávit in ea hómínem. **Et.**

Hymnus



Dies absolúti prætereunt, dies observábiles rédeunt, tempus adest sóbriúm, quærámus puro corde Dóminum!

In hymnis et confessiónibus ·
Iudex complacábiter,
Dóminus non negat hic véniam,
qui vult, ut homo quærat grátiam.

Post iugum servíle Pharaónis,
post caténas diræ Babyiónis,
liber homo pátriam quærit,
cæléstem Ierosólymam.

Fugiámus de hoc exílio,
habitémus cum Dei Fílio!
Hoc decus est fámuli,
si sit cohéres sui Dómini.

Sis, Christe, nobis dux huius vitæ,
meménto, quod sumus oves tuæ,
pro quibus ipse tuam ·
pastor ponébas morte ánimam.

Glória sit Patri et Fílio,
Sanctóque simul Paráclyto,
sicut erat páriter in princípío,
et nunc et semper. Amen.

Vel Hymnus: Deus, creátor ómnium, **ut supra.** **Versiculus:** Vespertína orátio.

Ad Magnificat antiphona



Plantáverat autem Dóminus Deus paradísium voluptátis a princípío,
in quo pósuit hóminem, quæ formáverat.

Oratio

Preces pópuli tui, quæsumus, Dómine, cleménter exáudi, ut qui iuste
pro peccátis nostris affligimur, pro tui nóminis glória misericórditer
liberémur! Per.

Sola. Benedicámus Dómino **cum** allelúia. **Ad completorium non dicitur** allelúia, **sed**
Laus tibi Dómine, Rex ætérnæ glóriæ.

Ad matutinum

Invitatorium



Adorémus Dóminum, # qui fecit nos. **Ps.** Veníte.

In primo nocturno

Antiphona



Ite et vos in víneam meam, et quod iustum fúerit, dabo vobis. **Ps.**
Beátus vir.

Versiculus: Memor fui nocte nóminis tui, Dómine.

Lectio I.

In princípío creávit Deus cælum et terram. Terra autem erat inánis et vácuá, et ténebræ erant super fáciem abyssi, et spíritus Dei ferabátur super aquas. Dixítque Deus: Fiat lux! Et facta est lux. Et vidit Deus lucem, quod esset bona, et divísit lucem a ténebris. Appellavítque lucem diem, et ténebras noctem. Factúmque est vespere et mane, dies unus. Tu.

Responsorium



In princípío fecit Deus cælum et terram, et creávit in eam hómínem # ad imágínem et similitúdinem suam. **V.** Formávit ígitur Dóminus hómínem de limo terræ, et inspirávit in fáciem eius spiráculum vitæ. **A**d imágínem.

Lectio II.

Dixitque Deus: Fiat firmaméntum in médio aquárum, et dividat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmaméntum, divisitque aquas, quæ erant sub firmaménto ab his, quæ erant super firmaméntum. Et factum est ita. Vocavitque Deus firmaméntum cælum, et factum est vespere et mane, dies secúndus. Tu.

Responsorium

In princípío creávit Deus cælum et terram, et spíritus Dómini ferebátur super aquas. # Et vidit Deus cuncta, quæ fécerat, et erant valde bona. **V.** Igitur perfécti sunt cæli et terra, et omnis ornátus eórum. **Et.**

Lectio III.

Dixit vero Deus: Congregéntur aquæ, quæ sub cælo sunt, in locum unum, et appáreat árida! Factúmque est ita. Et vocávit Deus áridam terram. Congregationésque aquárum appellávit mária. Et vidit Deus, quod esset bonum. Et ait: Gérminet terra herbam viréntem, et faciéntem semen, et lignum pomíferum, fáciens fructum iuxta genus suum, cuius semen in semetípso sit super terram! Et factum est ita. Tu.

Responsorium: Formávit ígitur, **ut supra.**

In secundo nocturno

Antiphona

Quid hic statis tota die otíosi? Respondérunt et dixérunt: Nemo nos condúxit. Ps. Consérva me.

Versiculus: Quóniam tu illúminas.

Lectio IV.

Dignitas humanæ originis facile agnoscitur, considerata sublimitate auctoris. Nec enim facile poterat esse, nec leve, quod manus sacra confixit, et cælestis flatus in vitalem substantia animavit, maxime cum idem artifex Deus · potestatem suam in omnem fabricam eidem homini fuerat traditurus, ut quem secundum præsidem post se facere disponebat, eundem faceret plenum atque perfectum. Tu.

Responsorium



Tulit ergo Dominus hominem, et posuit eum in paradysum voluptatis, # ut operaretur, et custodiret illud. **V.** Plantaverat autem Deus paradysum voluptatis a principio, in quo posuit hominem, quem formaverat. **Ut.**

Lectio V.

Habentem in sese dignitatem, quæ præcelleret, et potestatem, qua cunctis animantibus imperaret, soli serviens illi, a quo ei cuncta fuerant subiugata, ut imperaret mundo, serviret Deo, Creatorem susciperet, creaturam sibi parere compelleret, tantumque ditionis sese Domino debere prospiceret, quantum ipse a creatura exigeret, habens in propria potestate, et obediëntiam, qua viveret, et contemptum, quo digne pro meritis interiret. Tu autem.

Responsorium



Dixit Dominus Deus: Non est bonum hominem esse solum, # faciamus ei adiutorium simile sibi! **V.** Adæ vero non inveniebatur adiutor similis eius. Dixit vero Deus: **Faciamus.**

Lectio VI.

Unde effectum est, ut contemnendo mortem, incideret, qui obediendo vivere potuisset. Unde potestatem concessam, dum in contemptum protulit, et vitæ privilegium perdidit, et mortis sibi sententiam acquisivit, et tamen creatura adhuc eius servat imperium, licet ipse creatori suo suum degeneravit obsequium. Tu.

Responsorium



Immísit Deus sopórem in Adam, et tulit unam de costis eius, et ædificávit costam, quam túlerat Dóminus de Adam in mulíerem, et addúxit eam ad Adam, ut vidéret, quid vocáret eam. # Et vocávit nomen eius virágo, quia de viro suo sumpta est. **V.** Hoc nunc os ex óssibus meis, et caro de carne mea. **Et.**

Secundum Matthæum

In illo témpore. Dixit Iesus discípulis suis parábolam hanc: Símile est regnum cælórum hómīni patrifamílias, qui éxiit primo mane, condúcere operários in víneam suam. Et réliqua.

Homélia beáti Gregórii papæ.

Lectio VII.

In explanatióne sua multa ad loquéndum sancti Evangélii léctio póstulat, quam volo, si possum, sub brevitate perstríngere, ne vos et exténsa procéssio et prolíxa expositio videátur oneráre. Regnum cælórum patrifamílias símile esse dícitur, qui, ad excoléndam víneam suam, operários condúcit. Tu.

Responsorium



Dum deambuláret Dóminus in paradíso ad auram post merídiem, clamávit, et dixit: Adam, ubi es? Audívi, Dómine, vocem tuam, # et abscondí me. **V.** Vocem tuam audívi, Dómine, in paradíso, et tímui, eo quod nudus essem. **Et** abscondí.

Lectio VIII.

Quis vero patrifamílias similitúdinem réctius tenet, quam Cónditor noster, qui regit, quos cóndidit, et eléctos suos sic in hoc mundo póssidet, quasi subiéctos dóminus in domo? Qui habet víneam, univérsam sanctam Ecclésiā, qui ab Abel iusto usque ad últimum eléctum, qui in fine mundi nascitúrus est, quot sanctos prótulit, quasi tot pálmītes misit. Tu.

Responsorium



In sudóre vultus tui vescéris pane tuo, dixit Dóminus ad Adam; cum operátus fúeris terram, non dabit fructus suos, # sed spinas et tríbulos germinábit tibi. **V.** Pro eo, quod obœdísti voci uxóris tuæ plus, quam meæ, maledícta terra in ópere tuo. **Sed.**

Lectio IX.

Hic ítaque paterfamílias, ad coléndam víneam suam, mane hora tértia, sexta, nona · et undécima operários condúcit, quia a mundi huius inítio usque ad finem eius, ad erudiéndam plebem fidélium, prædicatóres congregáre non desútit. Mane étenim mundi fuit ab Adam usque ad Noe. Hora vero tértia a Noe usque ad Abraham. Sexta quoque ab Abraham · usque ad Móysen. Nona autem a Móyse usque ad advéntum Dómini. Undécima vero ab advéntu Dómini usque ad finem mundi, in qua prædicatóres sancti apóstoli missi sunt, qui mercédem plenam et tarde veniéntes accepérunt. Tu.

Responsorium



Ecce, Adam, quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum et malum. # Vidéte, ne forte sumat de ligno vitæ, et vivat in ætérnum! **V.** Eiecítque Dóminus Deus Adam de paradíso, et collocávit ante paradísum voluptátis chérubim · et flámmeum gládium atque versátilem ad custódiam. **Vidéte.**

Te, Deum, laudámus **non dicitur.** **Versiculus:** Hæc est dies, quam fecit.

Ad laudes

Antiphona



Miserére mei, Deus, et a delícto meo munda me, quia tibi soli peccávi. **Ps. Ipsum.**

Antiphona



Confitébor tibi, Dómine, quóniam exaudísti me. **Ps.** Confitémini Dómino.

Antiphona



Deus, Deus meus, ad te de luce vígilo, quia factus es adiútor meus. **Ps.** Deus, Deus meus.

Antiphona



Benedíctus es in firmaménto cæli, et laudábilis in sáecula, Deus noster. **Canticum:** Benedícite.

Antiphona



Laudáte Dóminum de cælis! **Ps. Ipsum.**

Capitulum: Nescítis, quod, **ut supra.** **Versiculus:** Dóminus regnávít.

Ad Benedictus antiphona



Símile est enim regnum cælórum hómini patrifamílias, qui éxiit primo mane, condúcere operários in víneam suam, dicit Dóminus.

Ad primam

Antiphona



Hii novíssimi una hora fecérunt, et pares illos nobis fecísti, qui portávimus pondus diéi et aestus. **Ps.** Deus, Deus meus, réspice.

Cum ceteris psalmis. Sed loco Confitémini dicitur: Dóminus regnávít, decórem. **Dominicis diebus usque ad dominicam ramispalmarum inclusive, capitulum:** Regi autem.

Ad tertiam

Antiphona: Ite et vos. **Psalmus:** Legem pone mihi. **Capitulum:** Nescítis, **ut supra.**
Responsorium: Inclína cor meum.

Ad sextam

Antiphona: Quid hic statis tota die.

Capitulum

Omnis enim, qui in agóne conténdit, ab ómnibus se ábstinet, et illi quidem, ut corruptíblem corónam accípiant, vos autem incorrúptam. Deo.

Ad nonam

Antiphona: Voca operários.

Capitulum

Nolo enim vos ignoráre, fratres, quóniam patres nostri omnes sub nube fuérunt, et omnes mare transiérunt, et omnes in Móyse baptizáti sunt in nube et in mari, et omnes eándem escam spiritálem manducavérunt, et omnes eúndem potum spiritálem bibérunt; bibébant autem de spiritáli consequénte eos petra. Petra autem erat Christus. [Deo.]

Ad secundas vesperas

Antiphona: Sede a dextris meis. **Ps.** Dixit Dóminus, **per ordinem.** **Capitulum:** Nescítis.

Responsorium: Ecce, Adam. **Hymnus:** Lucis creátor.

Ad Magnificat antiphona



Dixit paterfamílias operáriis suis: Quid hic statis tota die otíosi? At illi, respondéntes dixerunt: Quia nemo nos condúxit. Ite in víneam meam, et quod iustum fúerit, dabo vobis!

FERIA SECUNDA

Lectio I.

Et prótulit terra herbam viréntem, et afferéntem semen iuxta genus suum, lignúmque fáciens fructum, et habens unumquódque seméntem secúndum spéciem suam. Et vidit Deus, quod esset bonum. Factúmque est véspere et mane, dies tértius. Tu.

Nota hic, quando agitur de feria, tunc responsoria dicuntur de dominica, et etiam capitulum et orationes, antiphonæ ad Benedictus dicuntur similiter de dominica. Et etiam, quando agitur de aliquo festo, tunc pro suffragio tam in matutinis, quam in secundis vesperis, antiphona dicitur de dominica usque ad dominicam quinquagesimæ inclusive.

Lectio II.

Dixit autem Deus: Fiant luminária in firmaménto cæli, ut dívidant diem ac noctem, et sint in signa et témpora · et dies · et annos, ut lúceant in firmaménto cæli, et illúminent terram! Et factum est ita. Tu.

Lectio III.

Fecítque Deus duo luminária magna; lumináre maius, ut præéset diéi, lumináre minus, ut præéset nocti, et stellas. Et pósuit eas in firmaménto, ut lúcerent super terram, et præéssent diéi ac nocti, et divíderent lucem a ténebras. Et vidit Deus, quod esset bonum. Et factum est véspere et mane, dies quartus.

Laudes dicuntur de psalterio, ut supra.

FERIA TERTIA

Lectio I.

Dixit étiam Deus: Prodúcant aquæ réptile ánimæ vivéntis, et volátile super terram sub firmaménto cæli! Creavítque Deus cete grándia, et omnem ánimam vivéntem atque motábilem, quam prodúxerant aquæ, in spécies suas, et omne volátile secúndum genus suum. Tu.

Lectio II.

Et vidit Deus, quod esset bonum; benedíxit eis, dicens: Créscite, et multiplicámini, et repléte aquas maris, avésque multiplicéntur super terram! Et factum est véspere et mane, dies quintus. Tu.

Lectio III.

Dixítque Deus: Prodúcat terra ánimam vivéntem in génere suo! Iuménta et reptília et béstias terræ secúndum spécies suas! Factúmque est ita. Et fecit Deus béstias terræ iuxta spécies suas, et iuménta, et omne réptile terræ in génere suo. Tu.

FERIA QUARTA

Lectio I.

Et vidit Deus, quod esset bonum, et ait: faciámus hóminem ad imáginem et similitúdinem nostram, et præsit pískibus maris . et volatílibus cæli et béstiis terræ, universéque creatúræ, omníque réptili, quod movétur in terra! Tu.

Lectio II.

Et creávit Deus hóminem ad imáginem et similitúdinem suam, ad imáginem Dei creávit illum; másculum et féminam creávit eos. Tu.

Lectio III.

Benedixítque illis Deus, et ait: Créscite et multiplicámini, et repléte terram, et subiícite eam, et dominámini pískibus maris et volatílibus cæli, et univérsis animántibus, quæ movéntur super terram! Tu.

FERIA QUINTA

Lectio I.

Dixítque Deus: Ecce, dedi vobis omnem herbam afferéntem semen super terram, et univérſa ligna, quæ habent in semetípsis seméntem géneris sui, ut sint vobis in escam, et cunctis animántibus terræ, omníque vólucrí cæli, et univérſis, quæ movéntur in terra, et in quibus est ánima vivens, ut hábeant ad vescéndum. Et factum est ita. Vidítque Deus cuncta, quæ fécerat, et erant valde bona. Et factum est véspere et mane, dies sextus. Tu.

Responsoria, ut supra.

Lectio II.

Igitur perfécti sunt cæli et terra, et omnis ornátus eórum. Complevítque Deus die séptimo opus suum, quod fécerat, et requiévit die séptimo ab univérſo ópere, quod patrát. Tu.

Lectio III.

Et benedíxit diéi séptimo, et sanctificávit illum, quia in ipso cessáverat ab omni ópere suo, quod creávit Deus, ut fáceret. Istæ sunt generatiónes cæli et terræ, quando creatæ sunt in die, quo fecit Dóminus Deus cælum et terram, et omne virgúltum agri, ántequam orirétur in terra, omnémque herbam regiónis, priúsqvam germináret. Non enim plúerat Dóminus Deus super terram, et homo non erat, qui operarétur terram, sed fons ascendébat de terra, írrigans univérſam superfíciam terræ. Tu.

FERIA SEXTA

Lectio I.

Formávit igitur Deus hóminem de limo terræ, et inspirávit in fáciem eius spiráculum vitæ, et factus est homo in ánimam vivéntem. Plantáverat autem Dóminus Deus paradísium voluptátis a princípío, in quo pósuit hóminem, quem formáverat. Tu.

Lectio II.

Produxitque Dóminus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, et ad vescéndum suáve. Lignum étiam vitæ in médio paradísi, lignúmque sciéntiæ boni et mali, et flúvius egrediebátur de loco voluptátis, ad irrigándum paradísium. Tu autem.

Lectio III.

Qui inde dividitur quáttuor cápita. Nomen uni Physon. Ipse est, qui circuit omnem terram Evilath, ubi náscitur aurum, et aurum terræ illíus óptimum est. Ibíque invénitur bdéllium, et lapis pretiósus onychínus. Et nomen flúvii secúndi Geon. Ipse est, qui circuit omnem terram Ethiópiæ. Nomen vero flúminis tértii Tigris. Ipse vadit contra Assírios. Flúvius autem quartus, ipse est Eufrátes. Tu.

SABBATO

Lectio I.

Tulit ergo Dóminus Deus hóminem, et pósuit eum in paradíso voluptátis, ut operarétur et custodíret illum, præcepítque ei, dicens: Ex omni ligno paradísi cómede, de ligno autem sciéntiæ boni ac mali ne cómedas! In quacúmque enim die coméderis ex eo, morte moriéris. Tu.

Lectio II.

Dixit quoque Dóminus Deus: Non est bonum hóminem esse solum; faciámus ei adiutórium símile sibi! Formátis ígitur Dóminus Deus de humo cunctis animántibus terræ, et univérsis volatílibus cæli, addúxit ea ad Adam, ut vidéret, quid vocáret ea; omne enim, quod vocávit Adam ánimæ vivéntis, ipsum est nomen eius. [Tu.]

Lectio III.

Appellavítque Adam nomínibus suis cuncta animántia, et univérsa volatília cæli, et omnes béstias terræ. Adæ vero non inveniebátur adiútor símilis eius. Immísit ergo Dóminus Deus sopórem in Adam. Cumque obdormísset, tulit unam de costis eius, et replévit carnem pro ea, et ædificávit Dóminus Deus costam, quam túlerat de Adam, in mulíerem, et addúxit eam ad Adam. Dixítque Adam: Hoc nunc os ex óssibus meis, et caro de carne mea. Hæc vocábitur virágo, quóniam de viro sumpta est. Tu autem.

DOMINICA SEXAGESIMÆ

ad vesp̄eras

Antiphona: Benedíctus.

Capitulum

Fratres. Libénter suffértis insipiéntes, cum sitis ipsi sapiéntes, sustinétis enim, si quis vos in servitútem rédigít, si quis dévorat, si quis áccipit, si quis extóllitur, si quis in fáciem vos cædit. Deo.

Responsorium



Benedíctens ergo Deus, Noe ait: Nequáquam ultra maledícam terræ propter hóminem, # ad imáginem quippe Dei factus est homo. **V.** Hoc erit signum fœderis inter me et terram: ponam arcum meum in núbibus cæli. **A**d imáginem.

Hymnus: Dies absolúti prætereunt, **vel:** Deus, créator géntium [sic].

Versiculus

V. Vespertína orátio ascéndat ad te, Dómine!

R. Et descéndat super nos misericórdia tua!

Ad Magnificat antiphona



Loquens Dóminus ad Noe, dixit: Ponam arcum meum in núbibus cæli, et erit signum fœderis inter me et inter terram.

Oratio

Deus, qui cónspicis, quia ex nulla nostra actióne confídimus: concéde propítius, ut contra advérsa ómnia doctóris géntium¹⁰ protectióne muniámur! Per.

¹⁰ Javítva kézzel: ómnia] tua semper, majd ugyanez az oráció kibóvívte a margón, utána másik kézzel: contra] ómnia mundi perícúla et diáboli tentatiónes tua benignitáte muniámur. Per Iesum etc.

Sola.

Ad matutinum

Invitatorium



Adorémus Dóminum, # qui fecit nos. **Ps.** Veníte.

In primo nocturno

Antiphona



Si vere fratres dívites esse cúpitis, veras divítias amáte! **Ps.** Beátus vir.

Versiculus

V. Memor fui nocte nóminis tui, Dómine.

R. Et custodívi legem tuam.

Lectio I.

Noe, cum quingentórum esset annórum, genuit Sem, Cham · et Iapheth. Cumque cœpíssent hómnes multiplicári super terram, et filios procreássent, vidéntes fílii Dei fílias hómnum, quod essent pulchræ, acceperunt sibi uxóres, quas elégerant. Dixítque Deus: Non permanébit spíritus meus in hómine in ætérnum, quia caro est, erúntque dies illíus centum vigínti annórum.

Responsorium



Dixit Dóminus ad Noe: Finis univérsæ carnis venit coram me, # repléta est terra iniquitáte eórum, et ego dispérdam eos cum terra. **V.** Fac tibi arcam de lignis levigátis, mansiúnculas in ea fácies! **R**epléta.

Lectio II.

Gigántes autem erant super terram in diébus illis. Postquam autem ingrési sunt filii Dei ad filias hóminum, illæque genuérunt; isti sunt poténtes a sáeculo viri famósi. Videns autem Deus, quod multa malítia hóminum esset super terram, et cuncta cogitátio cordis inténta esset ad malum omni témpore, pænítuit eum, quod hóminem fecísset in terra. Tu autem.

Responsorium



Quadráginta dies et noctes apérti sunt cæli, et ex omni carne habéntes spíritum vitæ # ingrési sunt in arcam, et clausit a foris óstium Dóminus. **V.** Noe vero et uxor eius et filii eius, et uxóres filiórum eius. **I**ngrésse.

Lectio III.

Et præcavens in futúrum,¹¹ et tactus dolore cordis intrínsecus: Delébo, inquit, hóminem, quem creávi, a fácie terræ, ab hómine usque ad animántia, a reptíli usque ad vólucres cæli, pænitet enim me fecísse eos. Tu autem.

Responsorium



Facto dilúvio super terram quadráginta diébus, multiplicátæ sunt aquæ, # et elevavérunt arcam in sublíme a terra. **V.** Obtinuerúntque aquæ terram centum et quadráginta diébus. **E**t.

¹¹ A Clementinából hiányzik.

In secundo nocturno

Antiphona



Si culmen veri honóris quæritis, ad illam cælestem pátriam quantótius properáte! **Ps.** Consérva.

Versiculus: Quóniam tu illis.

Lectio IV.

Dénique Dóminus Deus: Ubi es, inquit, Adam? Ad confessiónem próvocat, dum intérogat; vult eum fatéri peccátum, dum ab eo inquirit admissum. Quærit miseréri, dum cum eo de culpa collóquitur. Véniam cógitat, qui causam contéptæ legis incúsat. Obiúrgat culpam, ut possit retribuere véniam, ut quos formáre instruendo non pótuit, eos possit confitendo purgáre. Tu.

Responsorium



Arcæ ferebátur super terram, et, aqua nímium prævalénte, opérti sunt montes excélsi # sub univérso cælo. **V.** Quíndecim cúbitis áltior fuit aqua super montes, quos operúerat. **S**ub.

Lectio V.

Accípiunt induménta pellíceæ, ut qui conféssi delíctum iam fúerant, véniam cultus in humilitáte percíperent. Osténdit Dóminus, quibus officiis possi[n]t delícta purgári, osténdit confessióne et deformitáte cultus véniam facíllime posse impetráre. Ut enim contumácia est celáre, quod Deo teste commiseris, sic periculósum, si splendóre cultus ánimi innocéntiam mentiáris. Tu autem, Dómine.

Responsorium



Delétis cunctis substántiis super terram, # remánsit solus Noe, et qui cum eo erant in arca. **V.** Inundavérunt veheménter aquæ, et ómnia replevérunt in superfície terræ. **R.** Remánsit solus.

Lectio VI.

Nemo itaque peccátor vítia, desperáta lætítia, cóntegat. Nemo in fœtóre delícti ánimo dissimulatiónis virus infúndat. Animi vítia córporis mæróre monstréntur. Si vexátur ánimo, lúgeat corpus, quóniam quótiens corpus in causa est, ánimo condoléscit. Certe, quale est córporis vítia sine ánimo compassióne esse non posse, tale est ánimo vítia córporis compassióne priváti [sic]. Tu autem.

Responsorium



Peráctis centum quadragínta diébus, Dóminus aquas immínuit, fontes abýssi et cataráctas cæli clausit, pluviásque de cælo cessáre fecit. **V.** Recordátus Dóminus Noe, et eórum, qui erant cum eo in arca. **P.** Pluviásque.

In tertio nocturno

Antiphona



Si glóriam dignitátum dilígitis, in illa supérna angelórum cúria ascríbi festináte! (Egyáltalán milyen szövegek ezek, és honnan jönnek? Utánanézttem. Szent Gergely homíliájából.) **Ps.** Cæli enárrant glóriam.

Versiculus: Exaltáre.

Secundum Lucam

In illo témpore. Cum turba plúrima conveníret ad Iesum, et de civitatibus properárent ad eum, dixit per similitúdinem: Exiit, qui séminat, semináre semen suum, et dum séminat, áliud cecídít secus viam, et conculcátum est, et vólucres cæli comedérunt illud. Et réliqua.

Homélia beáti Gregórii papæ.

Lectio VII.

Lectio sancti evangéllii, quam modo, fratres caríssimi, audístis, expositióne non índiget, sed admonitíone. Quam enim per semetípsam véritas expósuit, hanc discútere humána fragílitas non præsumit. Sed est áliquíd, quod sollícite in hac ipsa expositíone domínica pensáre debémus. Quia si nos semen, verbum, agrum, mundum, vólucres, dæmónia, spinas, dinítias significáre dicerémus, ad credéndum nobis, mens fórsitan vestra dubitáret. Tu autem, Dómine.

Responsorium



Requievit arca mense séptimo super montes Arménia, # et aquæ ibant, et decrescébant usque ad décimum mensem. **V.** Décimo enim mense, prima die mensis, cacúmina móntium apparuérunt. **Et** aquæ.

Lectio VIII.

Unde idem Dóminus per semetípsum dignátus est expónere, quod dicébat, ut sciátis rerum significatiónes quærere, in his étiam, quæ per semetípsum vóluit explanáre. Exponéndo ergo, quod dixit figuráre se loqui innótuit, quátenus certos nos rédderet, cum nostra nobis fragílitas verbórum illíus figúras aperíret. Tu.

Responsorium



Volens Noe scire, si iam cessássent aquæ, emísit colúmbam, quæ ramum viréntis olívæ in ore suo # déferens ad arcam, revérsa est. **V.** Hoc ergo signum clemétia Dei, colúmba in ore suo. **D**éferens ad.

Lectio IX.

Quis enim mihi umquam créderet, si spinas divítias interprætári voluíssem, máxime, cum illæ pungant, istæ deléctent, et tamen spinæ sunt, quæ cogitátionum suárum compunctióne mentem lácerant, et cum usque ad peccátum pértrahunt, quasi inflicto vulneráre cruéntant. Quas bene hoc in loco álio, evangelísta testánte, nequáquam Dóminus divítias, sed falláces divítias appéllat. Falláces enim sunt, qui nobíscum diu permanére non possunt. Falláces sunt, quia mentis nostræ inópiam non expéllunt. Solæ autem divítia vere sunt, quæ non dívites virtútibus faciunt. Tu autem, Dómine.

Responsorium

Benedícens ergo Deus Noe, ait: Nequáquam ultra maledícam terræ propter hóminem; # ad imáginem quippe Dei factus est homo. **V.** Hoc erit signum fœderis inter me et inter terram: ponam arcum meum in núbibus cæli. **A**d imáginem.

Te, Deum, laudámus **non dicitur.** **Versiculus:** Hæc est dies.

Ad laudes

Antiphona: Miserére mei, Deus, **ut in præcedenti dominica.**

Ad Benedictus antiphona

Cum turba plúrima conveníret ad Iesum, et de civitátibus properárent ad eum, dixit per similitúdinem: Exiit, qui séminat, semináre semen suum.

Ad primam

Antiphona



Semen cecidit in terram bonam, et obtulit fructum; aliud centésimum, aliud sexagésimum. **Ps.** Deus, Deus meus, respice.

Ad tertiam

Antiphona: Si vere fratres. **Psalmus:** Legem pone mihi. **Capitulum de dominica.**

Ad sextam

Antiphona: Si culmen. **Psalmus:** Déficit.

Capitulum

Et ne magnitúdo revelatiónum extóllat me, datus est mihi stímulus carnis meæ, ángelus sátanæ, ut me coláphizet. [Deo.]

Ad nonam

Capitulum

Propter quod ter Dóminum rogávi, ut discéderet a me, et dixit mihi: Súfficit tibi grátia mea. Nam virtus in infirmitáte perfícitur, libénter ígitur gloriábor in infirmitátibus meis, ut inhábitet in me virtus Christi. Deo.

Ad secundas vesperas

Antiphona: Sede a dextris, **per ordinem.** **Capitulum:** Libénter suffértis. **Responsorium:** Benedícens. **Hymnus:** Lucis creátor. **Versiculus:** Dirigátur.

Ad Magnificat antiphona

Exiit, qui séminat, semináre semen suum, et dum séminat, áliud cécidit in terram bonam, et fecit fructum céntuplum.

FERIA SECUNDA

Lectio I.

Dixit Dóminus ad Noe: Fac tibi arcam de lignis levigátis, mansículas in ea fácies, et bitúmine liníes intrínsecus et extrínsecus! Et sic fácies eam: Trecentórum cubitórum erit longitúdo arcæ, quinquagínta cubitórum latitúdo, et trigínta cubitórum altitúdo illíus. Tu autem.

Responsorium



Ponam arcum meum in núbibus cæli, dixit Dóminus ad Noe, # et recordábor fœderis mei, quod pépigi tecum. **V.** Cumque obdúxero núbibus cælum, apparébit arcus meus in núbibus. **E**t recordábor.

Lectio II.

Dixítque Dóminus Deus: Fenéstram in arca fácies, et in cúbito consummábis summitátem eius; óstium autem arcæ pones ex látere deórsum! Cenácula et trístega fácies in ea! Ecce, ego addúcam dilúvium aquas super terram, ut interficiam omnem carnem, in qua spíritus vitæ est subter cælum, et univérsa, quæ in terra sunt, consuméntur. Tu autem.

Responsorium



Per memetípsum iurávi, dicit Dóminus, non adiíciam ultra aquas dilúvii super terram. # Pacti mei recordábor, ut non perdam aquis dilúvii omnem carnem. **V.** Ponam arcum meum in núbibus cæli, et iurábo per dexteram meam: **P**acti mei recordábor.

Lectio III.

Dixítque Dóminus Deus: Fœdus meum ponam tecum, et ingredieris arcam tu et filii tui, uxor tua et uxóres filiórurum tuórum tecum, et ex cunctis animántibus univérse carnis bina indúces in arcam, ut vivant tecum masculíni sexus et femínini. Tu.

Responsorium



Ædificávit Noe altáre Dómino, ófferens super illud holocáustum; odorátus est Dóminus odórem suavitátis, et benedíxit eis: # Créscite et multiplicámini, et repléte terram! **V.** Ecce, ego státuam pactum meum vobíscum, et cum sémine vestro post vos. **Créscite.**

FERIA TERTIA

Lectio I.

Et volúcribus iuxta genus suum, et de iumentis in género suo, et de omni réptili terræ secúndum genus suum. Bina de ómnibus ingrediéntur tecum, ut possint vívere! Tolles ígitur tecum de ómnibus escis, quæ mandi possunt, et comportábis apud te, et erunt tam tibi, quam illis in cibum. Tu autem.

Responsorium



Arca ferebátur super terram, et aqua nímium prævalénte, opéрти sunt montes excélsi # sub univérso cælo. **V.** Quíndecim cúbitis áltior fuit aqua super montes, quos operúerat. **Sub.**

Lectio II.

Noe ergo fecit ómnia, quæ præcéperat illi Dóminus Deus. Dixítque Dóminus ad illum: Ingrédere tu et omnis domus tua in arcam! Te enim vidi iustum coram me in generatióne hac, ex ómnibus enim animántibus mundis tolle septéna et septéna, másculum et féminam! Tu.

Lectio III.

De animántibus vero non mundis duo et duo, másculum, et féminam. Sed et de volatílibus cæli septéna et septéna, másculum et féminam, ut salvétur semen super fáciem univérsæ terræ. Tu.

FERIA QUARTA

Lectio I.

Dixit Dóminus Deus: Post septem dies ego pluam super terram quadragínta diébus et quadragínta nóctibus, et delébo omnem substántiam, quam feci, de superfície terræ. Fecit ergo Noe ómnia, quæcúmque mandáverat ei Dóminus Deus. Tu.

Lectio II.

Erátque sexcentórum annórum, quando dilúvii aquæ inundavérunt super terram. Noe ingrèssus est, et fílii eius et uxor eius, et uxóres filiórum eius in arcam cum eo, propter aquas dilúvii. Tu.

Lectio III.

De animántibus quoque mundis et immúndis, et de volúcribus, et de omni, quod movétur super terram, duo et duo ingrèssi sunt ad Noe in arcam; másculus et fémina, sicut præcéperat Dóminus Noe. Cumque transíssent septem dies, aquæ dilúvii inundavérunt super terram. Tu autem.

FERIA QUINTA

Lectio I.

Anno sexcentésimo vitæ Noe, mense secúndo, septimodécimo die mensis, rupti sunt omnes fontes abýssi magnæ, et cataráctæ cæli apértæ sunt, et facta est plúvia super terram quadragínta diébus et quadragínta nóctibus. Tu.

Lectio II.

In artículo diéi illíus, ingræssus est Noe, Sem, Cham · et Iapheth, filii eius et uxor illíus, et uxóres filórum eius cum eis in arcam. Ipsi et omne ánimal secúndum genus suum, universáque iuménta in génere suo, et omne, quod movétur super terram in génere suo, cunctúmque volátile secúndum genus suum. Tu.

Lectio III.

Univérsæ aves, omnésque vólucres · ingræssæ sunt ad Noe in arcam, bina et bina ex omni carne, in qua erat spíritus vitæ. Et quæ ingræssæ sunt, másculus et fémina ex omni carne, introiérunt, sicut præcéperat ei Deus, et inclúsit eum Dóminus de foris. Tu autem.

FERIA SEXTA

Lectio I.

Factúmque est dilúvium quadragínta diébus super terram, et multiplicátæ sunt aquæ, et elevavérunt arcam in sublíme a terra, et veheménter inundavérunt, et ómnia replevérunt in superfície terræ. Tu autem.

Lectio II.

Porro arca ferebátur super aquas, et aquæ prævaluérunt nimis super terram. Opertíque sunt omnes montes excélsi sub univérso cælo; quíndecim cúbitus áltior fuit aqua super montes, quos operúerat. Tu.

Lectio III.

Consumptáque est omnis caro, quæ movebátur super terram, vólucrum animántium, bestiárum, omniúmque reptílium, quæ reptant super terram; univérsi hómínes, et cuncta, in quibus spiráculum vitæ est in terra, mórtua sunt. Tu.

SABBATO

Lectio I.

Et delévit Deus omnem substántiam, quæ erat super terram, ab hómine usque ad pecus, tam réptile, quam vólucres cæli deléta sunt de terra. Remánsit autem solus Noe, et qui cum eo erant in arca. Tu autem.

Lectio II.

Obtinuerúntque aquæ terras . centum quadragínta diébus. Recordátus est autem Dóminus Noe, cunctorúmque animántium et ómnium iumentórum, quæ erant cum eo in arca. Tu.

Lectio III.

Adduxítque spíritum super terram, et imminútæ sunt aquæ, et clausi sunt omnes fontes abýssi et cataráctæ cæli, et prohibítæ sunt plúviæ de cælo. Reverséque sunt aquæ de terra, eúntes et redeúntes, et cepérunt (vagy cœpérunt?) mínui post centum quinquagínta dies. Requievítque arca mense séptimo, vicésima séptima die mensis super montes Arménia. Tu.

DOMINICA QUINQUAGESIMÆ

ad vesperas

Antiphona: Benedíctus, ut supra.

Capitulum

Fratres. Si linguis hóminum loquar et angelórum, caritátem autem non hábeam, factus sum, velut æs sonans · aut cýmbalum tínniens. Deo.

Responsorium



Reverténti Abraham a cæde quáttuor regum, occúrrit rex Salem, Melchisedech, ófferens panem et vinum, # erat enim Dei sacérdos, et benedíxit illi. **V.** Benedíxit Abraham Deo altíssimo, qui creávit cælum et terram. **E**rat enim.

Hymnus: Dies absolúti, vel Deus, creátor. **Versiculus:** Vespertína orátio.

Ad Magnificat antiphona



Dum staret Abraham ad radícem Mambre, vidit tres púeros, descendéntes per viam, tres vidit, et unum adorávit.

Oratio

Preces nostras, quæsumus, Dómine, cleménter exáudi, atque peccatórum vínculis absolútos, ab omni nos adversitaté custódi! Per.

Sola.

Ad matutinum

Invitorium



Quóniam Deus magnus Dóminus, # et rex magnus super omnes deos. **Ps.** Veníte.

In primo nocturno

Antiphona



Cæcus sedébat secus viam, transeúnte Dómino, et clamábat: Miserére mei, Fili David! **Ps.** Beátus vir.

Versiculus: Memor fui nocte.

Lectio I.

Dixit Dóminus ad Abram: Egrédere te terra tua et de cognatióne tua . et de domo patris tui, et veni in terram, quam monstrávero tibi, faciámque te in gentem magnam, et benedícam tibi, et magnificábo nomen tuum; erisque benedíctus. Benedícam benedicéntibus tibi, et maledícam maledicéntibus tibi, atque in te benedicéntur univérsæ cognatiónes terræ. Tu autem.

Responsorium



Locútus est Dóminus ad Abram, dicens: Egrédere de terra et de cognatióne tua, et veni in terram, quam monstrávero tibi, # et faciám te créscere in gentem magnam. **V.** Benedíicens benedícam tibi, et multiplicábo te. **Et** faciám.

Lectio II. (gen. 12.)

Egréssus est ergo Abram, sicut præcéperat ei Dóminus, et ivit cum eo Lot. Septuagínta quinque annórum erat Abram, cum egrederétur de Haran. Tulítque Sárai, uxórem suam, et Loth, fílium fratris sui, universámque substántiam, quam posséderant, et ánimas, quas fécerant in Aram. Et egréssi sunt, ut irent in terram Chánaan. Cumque veníissent in eam, pertransívit Abram terram usque ad locum Sichem, usque ad convállem illústrem. Tu autem.

Responsorium



Dum staret Abraham ad radicem Mambre, vidit tres púeros, descendéntes per viam. # Tres vidit, et unum adorávit. **V.** Tunc enim suprémæ Trinitátis tres ángelos hospítio suscepit. **T**res vidit.

Lectio III.

Apparuítque Dóminus Abram, et dixit ei: Sémini tuo dabo terram hanc, qui ædificávit ibi altáre Dómino, qui apparuit ei, et invocávit nomen eius. Et inde transgrédiens ad montem, qui erat contra oriéntem Bethel, teténdit ibi tabernáculum suum, ab occidéntem habens Bethel, et ab oriénte Hai. Ædificávit quoque ibi altáre Dómino, et invocávit nomen eius. Tu.

Responsorium



Tentávit Deus Abraham, et dixit ad eum: Tolle fílium tuum, quem díligis, Isaac, et ófferens illum ibi in holocáustum # super unum móntium, quem díxero tibi! **V.** Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altíssimo vota tua! **S**uper unum.

In secundo nocturno

Antiphona



Cæcus magis ac magis clamábat, ut eum Deus illumináret. **Ps.**
Consérva.

Versiculus: Quóniam tu illúminas.

Lectio IV.

Fides est religiõnis sanctíssime fundaméntum · castitátis vínculum,
amõris subsídium. Hæc sanctitátem firmat, castitátem róborat,
dignitátes exórnat. In púeris splendet, in iuvénibus floret, in
provéctis appáret. Gubérnat sexus, gradus próvehit, offícia cuncta
custódit. In páupere grata est, in mediócri læta, in locúplete honésta.
Tu autem.

Responsorium



Angelus Dómini vocávit Abraham, dicens: # Ne exténdas manum
tuam super púerum, eo quod tímeas Dóminum. **V.** Cumque
extendísset manum, ut immoláret fílium, ecce, ángelus Dómini de
cælo clamávit, dicens: **N**e exténdas.

Lectio V.

Fides amicítiam servat, collégio cópulat, artes commédat. Nullum
déspicit, nullum contémnit, nulli deest, nisi forte, qui ei defúerit.
Fides mandáta tenet, præcépta servat, promíssa confirmat, fides
familiáres éfficit Deo, amícos constitúet Christo. Tu.

Responsorium



Vocávit ángelus Dómini Abraham de cælo, dicens: Benedícam tibi, #
et multiplicábo te, sicut stellas cæli. **V.** Et benedicéntur in te omnes
tribus terræ, quia obcædísti voci meæ. **E**t multiplicábo.

Lectio VI.

Neque enim quisque fidei promissionem actibus servet, aut præmiórum potest compos existere, nisi promissam fidem volúerit conservare, ut iam aut implétæ fidei merces hómini recompensétur, aut violátæ pœna cómpetens tribuátur. Huius igitur fidei ab Abraham ducámus exórdium, qui in occídua constitútus ætáte, fílium a Deo promíssum se crédidit acceptúrum, et fidei pretium in fílio conspéxit, et in stellárum númerum suam sóbolem redundántem, fide eádem comparávit. Tu.

Responsorium

Deus dómni mei Abraham, dírige vias meas, # ut cum salúte revértar in domum dómni mei! **V.** Deus, in cuius conspéctu ambulavérunt patres nostri, Dómine, qui pascis me a iuventúte mea. Ut.

In tertio nocturno

Antiphona

Miserére mei, fili David! Quid vis, ut fáciam tibi? Dómine, ut vídeam! **Ps.** Cæli enarrant.

Versiculus: Exaltáre, Dómine.

Secundum Lucam

In illo témpore. Assúmpsit Iesus duódecim discípulos suos, et ait illis: Ecce, ascéndimus Ierosólymam, et consummabúntur ómnia, quæ scripta sunt per prophétas de Fílio Hóminis. Et reliqua.

Homélia sancti Gregórii papæ.

Lectio VII.

Redémptor noster, prævidens ex passióne sua, discipulórum ánimos perturbándos, eis longe ante · et eiúsdem passiónis pœnam, et resurrectiónis suæ glóriam prædicít, ut cum moriéntem, sicut prædicítum est, cérnerent, étiam resurrectúrum non dubitárent. Sed,

quia carnáles adhuc erant discípuli, nullo modo valébant cápere verba mystérii, venítur ad miráculum. Tu autem.

Responsorium



Cæcus sedébat secus viam, transeúnte Dómino, et exclamávit ad eum. Ait ei Dóminus: Quid vis, ut fáciam tibi? # Rabbóni, ut vídeam lumen! **V.** Et qui præíbant, increpábant eum, ut tacéret, ipse vero multo magis clamábat: **R**abbóni.

Lectio VIII.

Ante eórum óculos · cæcus lumen recépit, ut qui cæléstis mystérii verba non cáperent, eos ad fidem cæléstia facta solidárent. Sed mirácula Dómini et Salvatóris nostri sic accipiénda sunt, fratres mei, ut et in veritaté credántur facta, et tamen per significatióem nobis áliquid ínnuant. Opera quippe eius · et per poténtiam áliud osténdunt, et per mystérium áliud loquúntur. Tu autem.

Responsorium



Veni hódie ad fontem aquæ, et orávi Dóminum, dicens: # Dómine, Deus Abraham, tu próserum fecísti desidérium meum. **V.** Igitur puélla, cui díxero: da mihi aquam de hýdria tua, et bibam, at illa díxerit: bibe, dómine, nam et camélis tuis potum tríbuam; ipsa est enim, quam præparávit Dóminus fílio dómini mei. **D**ómine, Deus.

Lectio IX.

Ecce enim, quis iuxta históriam cæcus iste fúerit, ignorámus, sed tamen, quem per mystérium significet, nóvimus. Cæcum quippe est genus húmánum, quod in parénte pro paradísi gáudiis expúlsum, claritaté supérnæ lucis ignórans, damnatiónis suæ ténebras pátitur. Sed tamen pro Redemptóris sui præsentia illuminátur, ut intérnæ lucis gáudia iam per desidérium vídeat, atque in via vitæ boni óperis gressus ponat. Tu.

Responsorium: Reverténti Abraham, **ut supra.**

Ad laudes

Antiphona



Secúndum multitudínem miseratiónum tuárum, Dómine, dele iniquitátem meam! **Ps.** Miserére.

Antiphona



Deus meus es tu, et confitébor tibi, Deus meus es tu, et exaltábo te. **Ps.** Confitémini.

Antiphona



Ad te de luce vígilo, Deus, ut vídeam virtútem tuam. **Ps.** Deus, Deus meus.

Antiphona



Hymnum dícite, et superexaltáte eum in sácula! **Canticum:** Benedícite.

Antiphona



Omnes ángeli eius, laudáte Dóminum de cælis! **Ps.** Laudáte Dóminum de cælis.

Capitulum, ut supra. Hymnus: Ecce, iam noctis. **Versiculus:** Dóminus regnávít.

Ad Benedictus antiphona

Cum appropinquáret Iesus Iericho, cæcus quidam interrogábat, quid nam hoc esset, dixerunt autem ei, quod Iesus Nazarénus transíret, et clamábat, dicens: Iesu, fili David, miserére mei!

Ad primam**Antiphona**

Transeúnte Dómino, clamábat cæcus ad eum: Miserére mei, fili David! **Ps.** Deus, Deus meus, respice.

Ad sextam**Capitulum**

Fratres. Cáritas pátiens est, benígna est, cáritas non æmuláitur, non agit pérperam, non infláitur, non est ambitiósa, non quærit, quæ sua sunt, non irritáitur, non cógitat malum, non gaudet super iniquitáte, congáudet autem veritáti. Omnia suffert, ómnia credit, ómnia sperat, ómnia sústinet; cáritas numquam excídet. Deo.

Ad nonam**Capitulum**

Fratres. Nunc cognóscó expérte, tunc autem cognóscam, sicut et cognítus sum; nunc autem manent · fides, spes, cáritas, tria hæc; maior autem his est cáritas. Deo.

Ad secundas vesperas

Antiphona



Sede a dextris meis, dixit Dóminus Dómino meo. **Ps.** Dixit Dóminus Dómino meo.

Per ordinem.

Capitulum

Fratres. Si linguis hóminum loquar et angelórum, caritátem autem non hábeam, factus sum, velut æs sonans, aut cýmbalum tínniens. Deo.

Responsorium: Veni hódie ad fontem aquæ. **Hymnus:** Lucis creátor.

Versiculus

V. Dirigátur ad te orátio mea.

R. Sicut incénsum in conspéctu tuo!

Ad Magnificat antiphona



Iter faciénte Iesu, dum ambuláret Ierícho, cæcus clamábat ad eum, ut lumen recíperere mererétur.

Alia antiphona



Omnis plebs, ut vidit, dedit laudem Deo.

PER HEBDOMADAM

Lectio I.

Cum ingressus esset Abram Ægyptum, vidérunt Ægyptii mulierem, quod esset pulchra nimis, et nuntiavérunt príncipes Pharaóni, et laudavérunt eam apud illum, et subláta est múlter in domum Pharaónis, Abram vero bene usi sunt propter illam.

Responsorium



Locútus est Dóminus ad Abram, dicens: Egrédere de terra et de cognatióne tua, et veni in terram, quam monstrávero tibi, # et fáciam te créscere in gentem magnam! **V.** Benedícens benedícam tibi, et multiplicábo te. **Et** fáciam.

Lectio II.

Fuerúntque ei oves et boves et ásini · et servi et famíliæ et caméli. Flagellávit autem Dóminus Pharaónem plagis máximis et domum eius propter uxórem Sárai Abram, vocavítque Phárao Abram, et dixit ei: Quid nam est hoc, quod fecísti mihi? Quare non indicásti mihi, quod uxor tua esset? Quam ob causam dixísti esse sorórem tuam, ut tóllerem mihi eam in uxórem? Tu autem.

Lectio III.

Nunc ígitur, ecce, uxor tua, áccipe eam, et vade! Præcepítque Phárao super Abram viris, et eduxérunt eum et uxórem illíus, et ómnia, quæ habébat. Ascéndit Abram de Ægypto, ipse et uxor eius, et ómnia, quæ habébat, et Lot cum eo, ad austrálem plagam. Tu autem.

FERIA TERTIA

Lectio I.

Erat autem dives valde in possessione auri et argenti; reversusque est pariter, quo venerat, ad meridiem inter Bethel et Hai, usque ad locum, ubi prius fixerat tabernaculum inter Bethel et Hai, in loco altaris, quod fecerat prius, et invocavit ibi nomen Domini. Tu.

Lectio II.

Sed et Lot, qui erat cum Abram, fuerunt greges ovium et armenta · et tabernacula, nec poterat eos capere terra, ut habitarent simul. Erat quippe substantia eorum multa, et non quibant habitare communiter, unde facta est rixa inter pastores gregum Abram et Lot. Tu autem.

Lectio III.

Eo autem tempore Chananæus et Pherezæus habitabant in illa terra, dixit autem Abram ad Loth: Ne, quæso, sit iurgium inter me et te, et inter pastores meos et pastores tuos; fratres enim sumus. Ecce, universa terra coram te est, recede a me, obsecro! Tu.

Responsorium: Locutus est Dominus.

FERIA QUARTA IN CAPITE IEIUNII

ad matutinum

Invitatorium: In manu tua. **Ad nocturnum antiphona:** Avértit Dóminus. **Psalmus:** Dixit insíprens in corde suo. **Versiculus:** Deus, vitam meam.

Secundum Matthæum

In illo témpore. Dixit Iesus discípulis suis: Cum ieiunátis, nolíte fieri, sicut hypócritæ, tristes; extérminant enim fácies suas, ut appáreant homínibus ieiunántes. Amen dico vobis, quia recepérunt mercédem suam. Et réliqua.

Homélia lectiónis eiúsdem.

Lectio I.

Clemens et pius Dóminus Deus noster · humánum genus, quod prædestináverat ad vitam, non est passus relínquere in morte, sed ita ut suasioe decéptum fúerat diáboli péssimi, per gustum pomi in paradíso, ita étiam sacrosáncto ieiúnio dócuit esse liberándum, ut in præsénti lectiõe audívit diléctio vestra: “Cum ieiunátis, nolíte, inquit, tristes vos coram homínibus pro appetitu laudis humánæ osténdere, sicut hypócritæ faciunt, qui ómnia bona sua, quæ agunt, propter humánæ tantum laudis concupiscéntiam operántur.” De quibus subdíctur: “Amen dico vobis, recepérunt mercédem suam, quam ab homínibus quæsiérunt.” Et non solum præmio priváti sunt sempitérno, sed étiam pœnas habent sibi præparátas ætérnas. Tu.

Responsorium: Paradísi portas. **Quære infra in dominica Invocavit.**

Lectio II.

Unde étiam séquitur de sancto ieiúnio: Tu autem, cum ieiúnas, unge caput tuum, et fáciam tuam lava, ac si díceret: Sancto ígitur ieiúnio · sancta adáugere ópera festináte! Quia vero caput úngere docet, faciémque laváre, piis hoc ipsum ieiúnium opéribus Deo Patri omnipoténti commendáre est. Caput ergo nostrum Christus est, omnésque fidéles membra eius esse dicúntur. Caput ergo nostrum úngimus, faciémque lavámus, cum ieiúnia nostra eleemosynárum largitáte, pauperúmque et peregrinórum cura, vénia delictórum in debitóribus, oratióibus sanctis, húmili confessiõe, pœniténtia

lacrimósa, vigila...que assiduitáte, Dómino nostro placabília fáчимus! Tu autem.

Responsorium: Emendémus in.

Lectio III.

Tálibus et his simílibus iustítiae vel misericórdiae opéribus, omnes sordes a nobis delictórum ablúere studeámus, præcipuéque cavére, ne humánæ laudis appetítu · hæc ipsa perdámus, sed pótius Dómino largiénte ita sint bona nostra próximis in exéplum, ut vidéntes ópera nostra bona, gloríficent Patrem nostrum, qui in cælis est, et nos pro bonis opéribus, quæ féчимus, dúplicem a Dómino mercédem, et pro nostra et pro aliórum salúte percípere mereámur, sicut sancta nobis léctio repromíttit: “Et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.” Ac si diceret: Nam, cum Deus tam pium ac fidéle stúdiúm nostrum víderit, ætérnæ nos beatitúdinis præmio remunerábit. Tu.

Responsorium: Abscóndite eleemósynam.

Laudes

De psalterio.

Capitulum

Hæc dicit Dóminus Deus. Convertímini ad me in toto corde vestro, in ieiúnio et fletu · et planctu, et scíndite corda vestra · et non vestiménta vestra, et convertímini ad Dóminum Deum vestrum, quia benígnus et miséricors est, et præstábilis super malítia! Deo.

Hymnus: Nox et ténebræ. **Versiculus:** In matutínis, Dómine.

Ad Benedictus antiphona



Cum ieiunátis, nolíte fíeri, sicut hypócritæ, tristes.

Et preces quære infra in fine in ultimo sexterno.

Oratio A super populumok előtt soha nem írja ki a Per-t ! Bár most látom, hogy néha mégis előfordul. Jól gondoljuk meg, hogy törölni kell-e őket, ha mégis beírtam szögletes zárójelben !

Præsta, quæsumus, Dómine, fidélibus tuis, ut ieiuniórum veneránda sollémnia · et cóngrua pietáte suscípiant, et secúra devotióne percúrrant! [Per.]

Super populum antiphona



Convertímini ad me in toto corde vestro, in ieiúnio · et fletu · et planctu, dicit Dóminus.

Versiculus: Peccávimus, Dómine, cum pátribus nostris. Iniúste.

Oratio

Parce, Dómine, parce pópulo tuo, ut dignis flagellatió nibus castigátus, in tua miseratióne respíret! Per.

Alia

Inclinántes se, Dómine, maiestáti tuæ propitiátus inténde, ut qui divíno múnere sunt refécti, cæléstibus semper nutriántur auxiliis! Per.

Pro fidelibus et cetera psalmus: Dómine, ne in furóre **primum**.

Ad primam

Hymnus: Iam lucis. **Antiphona:** Tu mandásti. **Psalmus:** Deus, in nómine. **Capitulum:** Omnis homo. **Responsorium:** Christe, Fili. V. Qui sedes. **Versiculus:** Exsúrge, Christe. **Preces require in fine.** Laus tibi, Dómine. **Oratio:** Dómine, sancte Pater. **Pro fidelibus psalmus:** Beáti, quorum.

Ad tertiam

Hymnus: Nunc, Sancte nobis. **Antiphona:** Deduc, me. **Psalmus:** Legem pone. **Capitulum:** Convertímini. **Responsorium:** Sana ánimam meam, **ut in psalterio.** **Preces,**

ut in matutino. **Psalmus:** Miserére mei, Deus, quóniam. **Pro fidelibus psalmus:** Dómine, ne in furóre **secundum.** **Item, in missa adduntur duæ collectæ, secundum:** A cunctis nos, quæsumus, Dómine, **et:** Omnípotens, sempitérne Deus, qui vivórum. **Præfatio:** Qui corporáli, **et cetera.**

Ad sextam

Capitulum

Cánite tuba in Sion, sanctificáte ieiúnum, vocáte cœtum, congregáte pópulum, sanctificáte ecclésiám, coadunáte senes, congregáte párvulos, et sugéntes úbera. Deo.

Responsorium: Benedícam Dóminum, **ut in psalterio.** **Preces, ut supra.** **Psalmus:** Miserére mei, Deus, miserére mei. **Pro fidelibus psalmus:** Miserére mei, Deus, secúndum magnam.

Ad nonam

Capitulum

Ecce, ego mittam vobis fruméntum et vinum et óleum, et replebímíni in eis, et non dabo vos ultra oppróbrium in géntibus, dicit Dóminus omnípotens. Deo.

Responsorium: Rédime me, Dómine, **et cetera.** **Psalmus:** Inclína, Dómine, aurem. **Pro fidelibus psalmus:** Dómine, exáudi **primum.**

Ad secundas vespas

Antiphona: Nisi tu, Dómine. **Psalmus:** Nisi Dóminus, **per ordinem, ut in psalterio habentur.** **Capitulum:** Convertímíni.

Responsorium



Convertimini ad me in toto corde vestro, in ieiúnio et fletu et planctu, ait Dóminus, # et scíndite corda vestra, et non vestiménta vestra! **V.** Auférte vestrarum malum cogitátionum ab óculis meis! **Et** scíndite.

Hymnus: Cæli Deus sanctíssime. **Versiculus:** Dirigátur.

Ad Magnificat antiphona



Thesaurizáte vobis thesáuros in cælo, ubi nec ærúgo, nec tinea demolítur!

Preces, ut in matutino. **Psalmus:** Miserére mei, Deus, secúndum magnam. Laus tibi, Dómine. Dómine, Deus virtútum, **ut supra.** **Oratio:** Præsta, quæsumus, Dómine. **Super populum:** Convertimini. **Versiculus:** Peccávimus. **Oratio:** Parce, Dómine, **vel:** Inclínantes se. **Pro fidélibus psalmus:** De profúndis.

Ad completorium

Psalmus: Cum invocárem. **Hymnus:** Te lucis. **Capitulum:** Tu in nobis. **Versiculus:** Custódi nos. **Ad Nunc dimittis antiphona:** Salva nos. **Preces, ut supra.** **Psalmus:** Dómine, quid multiplicáti. Laus tibi. **Oratio:** Deus, qui illúminas. **Pro fidélibus psalmus:** Dómine, exáudi **secundum.**

FERIA QUINTA

ad matutinum

Invitatorium: Adorémus Dóminum. **Psalmus:** Veníte. **Ad nocturnum antiphona:** Dómine, Deus. **Psalmus:** Salvum me fac. **Versiculus:** Gaudébunt lábia.

Secundum Matthæum

In illo témpore. Cum intrásset Iesus Caphárnaum, accéssit ad eum centúrio, rogans eum, et dicens: Dómine, puer meus iacet paralýticus in domo, et male torquétur. Et ait illi Iesus: Ego véniam, et curábo eum.

Homélia beáti Augustíni epíscopi.

Lectio I.

Videámus, utrum de servo centuriónis sibi Matthæus Lucásque conséntiant. Matthæus enim dicit: *“Accéssit ad eum centúrio, rogans eum, et dicens: Puer meus iacet in domo paralýticus.”* Cui vidétur repugnáre, quod ait Lucas: *“Et cum audísset de Iesu, misit ad eum senióres Iudæórum, rogans eum, ut veníret, et sanáret servum eius.”* [Tu.]

Responsorium: Locútus est Dóminus ad Abraham. *Quære in dominica præcedenti.*

Lectio II.

At illi, cum venírent ad Iesum, rogábant eum, sollícite dicétes ei: Quia dignus est, ut hoc ei præstes. Dígígit enim gentem nostram, et synagógam ipse ædificávit nobis. Iesus autem ibat cum illis, et cum iam non longe esset a domo, misit ad eum centúrio amícos, dicens: Dómine, noli vexári! Non enim dignus sum, ut sub tectum meum intres, propter quod et meípsum non sum dignus arbitrátus, ut venírem ad te, sed dic verbo, et sanábitur puer meus.” Tu.

Responsorium: Dum staret Abraham.

Lectio III.

Si enim ita hoc gestum est, quod verum erit, quod Matthæus narrat: *“Accéssit ad eum quidam centúrio, cum ipse non accésserit, sed amícos míserit”*, nisi diligénter advertétes intelligámus Matthæum, non omníno deseruíssé usitátum modum loquéndi. Non enim solum

dícere solémus accessísse áliquem étiam ántequam pervéniat illuc, quo dícitur accessísse. Unde étiam dícimus: parum accessít, vel multum accessít, eo quod áppetit pervenire, verum étiam ipsa perventióne, cuius adipiscéndi causa accéditur, dícimus plerúmque factum, et si eum, ad quem pèrvenit, non vídeat, ille, qui pèrvenit cum per amícum pèrvenit ad áliquem, cuius rei favor est necessárius. Tu.

Responsorium: Tentávit.

Laudes

De psalterio.

Capitulum

In diébus illis. Ægrotávit Ezechías usque ad mortem, et introívit ad eum Isaías, fílius Amos prophéta, et dixit ei: Hæc dicit Dóminus: Dispóne dómui tuæ, quia morieris tu, et non vives, et convértit Ezachías fáciem suam ad parietem, et orávit ad Dóminum. Deo.

Hymnus: Lux ecce surgit. **Versiculus:** In matutínis, Dómine.

Ad Benedictus antiphona



Dómine, puer meus iacet paralýticus in domo, et male torquétur. Amen dico tibi, ego véniam, et curábo eum.

Preces, ut supra.

Oratio

Deus, qui culpa offéndetis, pæniténtia placáris: preces pópuli tui supplicántis propítius réspice, et flagélla tuæ iracúndiæ, quæ pro peccáteis nostris merémur, avérte! [Per.]

Super populum antiphona: Convertímini ad me. **Versiculus:** Peccávimus, Dómine.

Oratio: Parce, Dómine, parce pópulo, **ut supra.**

Ad sextam

Capitulum

Orávit Ezechías ad Dóminum, et dixit: Obsécro, Dómine, meménto, quæso, quómodo ambuláverim coram te in veritáte et in corde perfécto, et quod bonum est in óculis tuis, fécerim; et flevit Ezechías fletu magno. Deo.

Ad nonam

Capitulum

Et factum est verbum Dómini ad Isaíam, dicens: Vade, et dic Ezechíæ: Hæc dicit Dóminus, Deus David, patris tui: Audívi oratióem tuam, et vidi lácrimam tuam. Ecce, ego adíciam super dies tuos quíndecim annos, et de manu regis Assyriórum éruam te . et civitátem istam, et prótegam eam, dicit Dóminus omnípotens. Deo.

Ad vesperas

De psalterio.

Ad Magnificat antiphona



Dómine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanábitur puer meus.

FERIA SEXTA

Secundum Matthæum

In illo tēpore. Dixit Iesus discipulis suis: Audístis, quia dictum est antiquis: Díliges próximum tuum, et ódio habébis inimicum tuum. Et réliqua.

Homélia Origénis de eádem lectione.

Lectio I.

Sicut illa, ália præcépta data eis fúerant in lege, sic et hæc. Sicut enim ad dimitténdas uxóres iussum fuit, ne eas interfícerent, sic et ad odiéndum inimicum mandátum fuit, et ut amicum non odissent. Concéssa sunt autem ista pópulo illi véteri adhuc rudi et infirmo, quanquam inimicus, qui ódio habéndus dicitur, iuxta subtiliorem intelléctum diábolus posset intélligi. Tu.

Responsorium



Angelus Dómini vocávit Abraham, dicens: # Ne exténdas manum tuam super púerum, eo quod tíneas Dóminum! **V.** Cumque extendísset manum, ut immoláret filium, ecce, ángelus de cælo clamávit, dicens: **N**e exténdas.

Lectio II.

Céterum in evangélio, quod lege véteri longe excelléntius et perféctius est, quid magister perfectiónis dicat, audiámus! Ait enim discipulis suis: “Dilígite inimícos vestros, benefácite maledicéntibus vobis, benefácite et his, qui odérunt vos, et oráte pro persecuéntibus vos!” Secúndum legem: “Dílignes próximum tuum, et ódies inimicum tuum!” Et secúndum evangélium: “Inimicum et próximum díliges!” “Dilígite inimícos vestros!” Imperfectiónem legis evangélium adimplévit, infirmitátem eórum, qui sub circumcisióne erant. Hi, qui sub grátia fuérunt, confirmavérunt, quibus velut firmíssimis et perféctis viris, Dóminus hoc mandábat, dicens: “Dilígite inimícos vestros!” Tu.

Lectio III.

Vos mansuétí, vos mites, vos benígni, vos immaculáti, vos imitatóres mei, vos me sequéntes! Vos dilígite inimícos vestros, sive pagános,

idolórum cultóres, sive heréticos infidéles! Isti enim sunt inimíci vestri, isti sunt veritátis adversárii. Istos ergo dilígite, mala advérsus eos non cogitáte, mala eis non faciéntes, nec advérsa eis optántes, sed dilígite eos, ut próximos, et horum errórem spérnite, sicut abhominatióem! Ita ergo dilígite inimícos vestros, sive públicos, sive occúltos, sive eos, qui foris sunt; omnes dilígite, circa omnes benígni et mites estóte! Tu.

Laudes

De psalterio.

Capitulum

Hæc dicit Dóminus Deus: Clama, ne cesses, quasi tuba exálta vocem tuam, et annúntia pópulo meo scélera eórum, et dómui Iacob peccáta eórum, me étenim de die in diem quærunt, et scire vias meas volunt. Deo.

Ad Benedictus antiphona



Cum facis eleemósynam, ne sciat sinístra tua, quid fáciat déxtera tua!

Oratio

Inchoáta ieiúnia, quæsumus, Dómine, benígno favóre proséquare, ut observántiam, quam corporáliter exhibémus, méntibus étiam sincéris exercére valeámus.

Super populum oratio

Tuére, Dómine, pópulum tuum, et ab ómnibus peccátis cleménter emúnda, quia nulla ei nocébit advérsitas, si nulla dominétur iníquitas. Per.

Ad sextam

Capitulum

Hæc dicit Dóminus Deus: Nolíte ieiunáre, sicut usque ad hanc diem, ut audiátur in excélsó clamor vester! Numquid tale est ieiúnium, quod elégi, per diem afflígere hóminem ánimam suam? Deo.

Ad nonam

Capitulum

Numquid istud vocábis ieiúnium, et diem acceptábilem Dómino, nonne hoc est maḡis ieiúnium, quod elégi: dissólve colligatiónes impietátis, solve fascículos depriméntes, dimítte eos, qui confrácti sunt líberos, et omne onus dirúmpe? Deo.

Ad secundas vespas

Antiphona: In conspéctu. **Psalmus:** Confitébor, cum céteris. **Capitulum:** Clama, ne cesses.

Responsorium



Convertímini ad me in toto corde vestro, in ieiúnio et fletu et planctu, ait Dóminus, # et scíndite corda vestra, et non vestiménta vestra! **V.** Auférte vestrárum malum cogitatiónum ab óculis meis! **E**t scíndite.

Hymnus: Plasmátor. **Versículus:** Dirigátur.

Ad Magnificat antiphona

Tu autem, cum oráveris, intra in cubículum, et clauso óstio ora Patrem tuum!

SABBATO

Secundum Marcum

In illo tēpore. Cum sero esset factum, erat navis in médio mari, et ipse solus in terra. Et réliqua.

Homélia venerábilis Bedæ presbýteri.

Lectio I.

“Et cum dimísset eos, ábiit in montem solus, oráre.” Non omnis, qui orat, ascéndit in montem. Est enim orátio, quæ peccátum facit. Sed hoc bene orat, qui Deum orándo quærit; hic a terrénis ad superióra progrédiens, vérticem curæ sublimiórís ascéndit. Tu.

Responsorium: Cæcus sedébat.

Lectio II.

Qui vero de divítiis aut honóre sǎculi, aut certe de inimíci morte sollícitus obsécrat, ipse in infímis iacens, viles ad Deum preces mittit. Orat autem Dóminus non, ut pro se obsécret, sed ut pro me impétret. Nam et si ómnia posúerit, Pater in potestáte Fílii, Fílius tamen, ut formam hómínis impléret, obsecrándum Patrem putat esse pro nobis, quia advocátus noster est. Tu autem.

Lectio III.

Advocátum enim, inquit, habémus apud Patrem, Dóminum Iesum Christum. Si advocátus est, debet pro nostris interveníre peccátis. Non ergo quasi infírminus, sed quasi pius obsécrat. Vis scire, quod ómnia, quæ velit, possit. Et advocátus et iudex est, in áltero pietátis officium, in áltero insígnæ est potestátis. Tu autem.

[Laudes] ???

Capitulum

Hæc dicit Dóminus Deus: Si abstúleris de médio tui caténam, et desíeris dígitum tuum exténdere, et loqui, quod non prodest, cum effúderis esuriénti ánimam tuam, et ánimam afflictam repléveris, oriétur in ténébris lux tua, et ténébræ tuæ erunt, sicut merídiés. Deo.

Ad Benedictus antiphona: Cum appropinquáret Iesus Iericho. *Quære in dominica præcedenti.*

Oratio

Preces nostras, quæsumus, Dómine, cleménter exáudi, atque a peccatórum nostrórum vínculis absolútos, ab omni nos adversitaté custódi. [Per.]

Super populum antiphona: Convertímini, *ut supra.*

Oratio

Fidéles tui, Deus, per tua dona firméntur, ut eádem · et percipiéndó requírant, et quæréndó sine fine percípíant! Per.

Ad sextam

Capitulum

Et réquiem dabit tibi Dóminus, Deus tuus semper, et implébit splendóribus ánimam tuam, et ossa tua liberábit, et eris, quasi hortus irríguus, et sicut fons aquárum, cuius non defícient aquæ. Deo.

Ad nonam

Capitulum

Et ædificabúntur in te desérta sæculórum, fundaménta generatiónis et generatiónis suscitábis, et vocáberis ædificátor sépium, avértens sémitas iniquitátum. Deo.

Item peracta missa, incipiatur vespera.

DOMINICA PRIMA IN QUADRAGESIMA

ad vesp̄eras

Antiphona



Advenérunt nobis dies p̄niténtiæ, ad rediménda peccáca, et salvándas ánimas. **Ps.** Benedíctus.

Capitulum

Fratres. Hortámur vos, ne in vácuum grátia Dei recipiátis, ait enim: Tém̄pore accépto exaudívi te, et in die salútis adiiúvi te. Deo.

Responsorium



Ductus est Iesus in desértum a Sp̄iritu, ut tentarétur a diábolo. # Et accédens tentátor, dixit ei: Si Fílius Dei es, dic, ut lápides isti panes fiant! **V.** Et cum ieiunásset quadragínta diébus et quadragínta nóctibus, póstea esúriit. **Et.**

Hymnus



Ex more docti m̄ystico, servémus hoc ieiúnium, deno diérum círculo, ducto quater notíssimo!

Lex et prophétæ pr̄imitus
hoc pr̄ætulérunt, póstmodum
Christus sacrávit ómnium,
rex atque factor témporum.

Utámur ergo párcius
verbis, cibis et pótibus,
somno, iocis et ártius
pr̄astémus in custódia!

Vitémus autem péssima,
 quæ súbruunt mentes vagas,
 nullúmque demus cállido
 hosti locum tyránnidis!

Dicámus omnes cérnui,
 clamémus atque sínguli,
 plorémus ante iúdicem,
 flectámus iram víndicem!

Nostris malis offéndimus,
 tuam, Deus, cleméntiam ·
 effúnde nobis désuper,
 remíssor, indulgéntiam!

Meménto, quod sumus tui,
 licet cadúci plásmatis,
 ne des honórem nóminis
 tui, precámur, álteri!

Laxa malum, quod géssimus,
 auge bonum, quod póscimus,
 placére, quo tandem tibi
 póssimus, hic et pérpetim!

Præsta, beáta Trínitas,
 concéde, simplex Unitas,
 ut fructuósa sint tuis
 ieiuniórum múnera!



Amen.

Versiculus

V. Angelis suis mandávit de te.

R. Ut custódiat te in ómnibus viis tuis.

Ad Magnificat antiphona



Ecce, nunc tempus acceptabile, ecce, nunc dies salutis, in hiis ergo diebus exhibeamus nos, sicut Dei ministros; in multa patientia, in vigiliis, in ieiuniis et in caritate non ficta!

Oratio

Deus, qui Ecclesiam tuam annua quadragesimali observatione purificas: presta familiae tuae, ut quod a te obtinere abstinendo nititur, hoc bonis operibus exsequatur! Per.

Sola oratio.

Ad completorium

Antiphona



Miserere mihi, Domine, et exaudi orationem meam! **Ps.** Cum invocarem, exaudivit.

Hymnus



Christe, qui lux es et dies, noctis tenebras detegis, lucisque lumen crederis, lumen beatum praedicans.

Precamur, sancte Domine,
defende nos in hanc nocte,
sit nobis in te requies,
quietam noctem tribue!

Ne gravis somnus írruat,
nec hostis nos surrípiat,
nec caro illi conséntiens,
nos tibi reos státuat!

Oculi somnum cápiant,
cor ad te semper vígilet,
délixtera tua prótegat ·
fámulos, qui te díligunt!

Defénsor noster, áspice,
insidiántes réprime,
gubérna tuos fámulos,
quos sáanguine mercátus es!

Meménto nostri, Dómine,
in gravi isto córpore,
qui es defénsor ánimæ,
adésto nobis, Dómine!

Deo Patri sit glória ·
eiúsque soli Fílio ·
cum Spírítu paráclyto ·
et nunc et in perpétuum!



Amen.

Capitulum

Frangere esuriénti panem tuum, et egénos vagósque induc in domum tuam; cum víderis nudum, óperi eum, et carnem tuam ne despéxeris, ait Dóminus omnípotens. Deo.

Responsorium



Illúmina óculos meos, ne umquam obdórmiam in morte, # nequándo dicat inimícus meus iactans: Præválui advérsus eum. **V.** Dómine, Deus salútis meæ, in die clamávi et nocte coram te. **N**equándo dicat.

Versiculus**V.** Scuto circúmdabit te véritas eius.**R.** Non timébis a timóre noctúrno.**Ad Nunc dimittis antiphona**

Vigiláte ergo, nescítis enim, quando tempus sit; vigiláte ergo, nescítis enim, quando Dóminus véniat, sero an média nocte · an gallicántu an mane; ne dum repénite vénerit, invéniat vos dormiéntes!

Oratio

Deus, qui illúminas noctem, et lucem post ténebras facis, concéde propítius, ut hanc noctem sine impediménto Sátanæ transeámus, atque in matutínis horis ad sanctum servítium tuum recurréntes, tibi Dómino, Deo vivo et vero grátias et laudes referámus! Salvátor mundi, salva nos, omnípotens Deus, et lucem nobis concéde perpétuam, et pacem tuam nostris concéde tempóribus, a subitánea et improvísá morte nos erípere dignéris, qui cum Patre et Spírítu Sancto vivis et regnas, Deus, per sáeculua sáeculórum.

Ad matutinum

Invitorium

Non sit vobis vanum mane súrgere ante lucem, # quia promísit Dóminus corónam vere vigilántibus. **Ps.** Veníte.

In primo nocturno

Antiphona: Advenérunt nobis dies pæniténtiæ. **Psalmus:** Beátus vir.

Versiculus

V. Dicet Dómino, suscéptor meus es tu.

R. Et refúgium meum, Deus meus, sperábo in eum.

Lectio I.

Licet nobis, dilectíssimi, appropinquánte Pascha, ieiúnium quadragesimále · ipse legítimum témporis cursus indicet, coarctátio tamen nostri sermónis adhibénda est, quæ auxiliánte Dómino, nec inútilis sit pigris, nec onerósa devótis. Nam, cum omnem observántiam nostram · rátio istórum diérum poscat áugeri, nemo est, ut confido de vobis, qui se ad opus horum non gáudeat incitári. Natúra enim nostra adhuc manénte mortalitáte mutábilis, étiam si ad summa quæque virtútum provehátur semper, tamen, sicut potest habére, quo décidat, ita potest habére, quo crescat. Tu autem.

Responsorium



Ecce, nunc tempus acceptábile, ecce, nunc dies salútis; commendémus nosmetípsos in multa patiéntia, in ieiúniis multis # per arma iustítiae virtútis Dei! **V.** In ómnibus exhibeámus nosmetípsos, sicut Dei ministros, ut non vituperétur ministérium nostrum! **P**er arma iustítiae.

Lectio II.

Et hæc est perfectórum vera iustítia, ut numquam se præsumant esse perfectos, ne ab itíneris nondum finíti intentióne cessántes, ibi incidant deficiénda perículum, ubi proficiénda deposuerunt appetítum. Quia ergo nemo nostrum, dilectíssimi, tam perfectus et sanctus est, ut perfectior sanctiórque esse non possit. Omnes simul sine differentia gráduum, sine discretióne meritórum, ab his, in quæ pervénimus, in ea, quæ nondum apprehéndimus, pia aviditáte currámus, et ad mensúram consuetúdinis nostræ necessariis áliquíd addámus augméntis! Parum enim religiósus álio témpore demonstrátur, qui in his diébus non religiósior invenítur. Unde óptime áuribus nostris léctio apostólice prædicatiónis insónuit, dicens: “Ecce, nunc tempus acceptábile, ecce, nunc dies salútis.” Quid enim accéptius hoc témpore, dilectíssimi fratres, quid salúbrius his diébus, in quibus bellum vítiis indícitur, et ómnium virtútum proféctus augétur? Tu.

Responsorium



Paradisi portas apériat nobis ieiúnii tempus; suscipiámus illud orántes et deprecántes, # ut in die resurrectionis cum Dómino gloriémur! **V.** Ecce, nunc tempus acceptábile, ecce, nunc dies salútis, némini dantes ullam offensióem. **U**t in die resurrectionis.

Lectio III.

Semper quidem tibi, o, christiána ánima, vigilándum contra salútis tuæ adversárium fuit, ne ullus patéret locus tentatóris insidiis, sed modo tibi maior cáutio et sollicitior est assuménda prudéntia, quando idem hostis tuus acríore sævit invídia. Nunc enim in toto mundo potéstas ei antíquæ dominationis aufértur, et innúmera illi captivitátis vasa rapiúntur. Renuntiátur atrocíssimo prædóni a pópulis ómnium natiónum · omniúmque linguárum, et nullum iam genus reperítur, quod non tyránnicis iam légibus reluctétur, dum per omnes fines terrárum, regeneránda in Christo multórum mílium mília, et reparántur, et appropinquánte novæ creatúræ ortu, spiritális nequítia ab his, quos possidébat, extrúditur. Tu autem.

Responsorium



Emendémus in mélius, quod ignoránter peccávimus, ne súbito præoccupáti die mortis, quærámus spátium pæniténtiæ, et inveníre non póssimus! # Atténdite, Dómine, et miserére, quia peccávimus tibi! **V.** Peccávimus cum pátribus nostris, iniúste égimus, iniquitátem fécimus. **A**tténdite.

In secundo nocturno

Antiphona



Commendémus nosmetípsos in multa patiéntia · per arma iustítiae virtútis Dei! **Ps.** Consérva me.

Versiculus: Ipse liberávit me.

Lectio IV.

Fremít ergo expoliáti hostis ímpius furor, et novum quærit lucrum, quia ius pérdidit antíquum. Captat indeféssus et pérvigil, si, quas repériat oves a sacris grégibus negligéntius evagántes, quas per proclíva voluptátum · et dívexa luxúriæ · in diversória mortis indúcat. Inflámmat ítaque iras, nutrit ódia, ácuit cupiditátes, írridet continéntiam, íncitat gulam. Quem enim tentáre non áudeat, qui nec ab ipso Dómino nostro, Iesu Christo conátus suæ fraudis abstínuit? Tu autem.

Responsorium



In ieiúnio et fletu plorábant sacerdótes, dicéntes: # Parce, Dómine, parce pópulo tuo, et ne des hereditátem tuam in perditiónem! **V.** Inter vestibulum et altáre plorábant sacerdótes, dicéntes: **Parce,** Dómine.

Lectio V.

Nam sicut evangelísta patefécit história, cum Salvátor noster post quadragínta diérum noctiúmque ieiúnium, infirmitátis nostræ in se recepísset esúriem, gávisus diábolus, signum se in eo passíbilis atque mortális invenísse natúráe · explorábat poténtiam, quam tímébat. “Si Fílius, inquit, Dei es, dic, ut lápides isti panes fiant!” Póterat útique istud omnípotens Deus, et fáciie erat, ut ad Creatóris impérium, in qua iuberétur spéciem cuiúslibet géneris natúra transíret, sicut cum vóluit in convívio nuptiárum, aquam mutávit in vinum. Sed hoc magis salutíferis dispensatióibus congruébat, ut nequíssimi hostis

astútia · non poténtia deitátis, sed humilitátis mystério vincerétur. Tu autem.

Responsorium



In ómnibus exhibeámus nos, sicut Dei ministros, in multa paciéntia, # ut non vituperétur ministérium nostrum! **V.** Ecce, nunc tempus acceptábile, ecce, nunc dies salútis, némini dantes ullam offensióem. **U**t non.

Lectio VI.

Dénique, fugáto diabolo, et ómnibus cállidi tentatóriis fráudibus elísis, accessérunt ad Dóminum ángeli, et ministrábant ei. Confundántur ígitur fílii diaboli atque discípuli, qui, impléti inspiratióne viperéa, símplices quoque decípiunt, negántes in Christo utrámque veram esse natúram. Dum aut deitáte hómine · aut hómine deitátem despóliant, cum uníus témporis gémino documénto, utrámque fálsitas sit perémpta, quia et per famem córporis perfécta humanitas, et per famulántes ángelos demonstráta est manifésta divínitas. Tu autem.

Responsorium



Abscóndite eleemósynam in sinu páuperis, et ipsa orat pro vobis ad Dóminum, # quia sicut aqua exstínguit ignem, ita eleemósyna exstínguit peccátum. **V.** Honóra Dóminum de tua substántia, de primitíiis frugum tuárum da paupéribus! **Q**uia sicut.

In tertio nocturno

Antiphona



Per arma iustitiae virtutis Dei commendemus nosmetipsos in multa patientia! **Ps.** Caeli enarrant.

Versiculus

V. Scapulis suis obumbrabit tibi.

R. Et sub pennis eius sperabis.

Secundum Matthaeum

In illo tempore. Ductus est Iesus in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo. Et cum ieiunasset quadraginta diebus · et quadraginta noctibus, postea esuriit. Et reliqua.

Homelia beati Gregorii papae.

Lectio VII.

Dubitari a quibusdam solet, a quo spiritu sit Iesus ductus in desertum, propter hoc, quod subditur: *“Assumpsit eum diabolus in Sanctam Civitatem.”* Et rursum: *“Assumpsit eum in montem excelsum.”* Sed vere et absque ulla questione convenienter accipitur, ut a Sancto Spiritu in desertum ductus credatur, ut illuc eum suus spiritus duceret, ubi hunc ad tentandum spiritus malignus inveniret. Sed ecce, cum dicitur · *“Deus homo”*, vel *“in excelsum montem”*, vel *“in Sanctam Civitatem a diabolo assumptus”*, mens refugit humana, hoc audire aures expavescent, cui tamen non esse incredibilia ista cognoscimus, si in illo et alia facta pensamus. Certe iniquorum omnium diabolus caput est, et huius capitibus membra sunt omnes iniqui. An non membrum diaboli fuit Pilatus? An non membra diaboli Iudaei persecuentes · et milites crucifigentes fuerunt? Tu.

Responsorium



Tribulärer, si nescirem misericordias tuas, Domine; tu dixisti, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat, # qui Chananeam et

publicánum vocásti ad pæniténtiam. **V.** Et Petrum lacrimántem suscepísti, miséricors Dómine. **Q**ui Chananéam.

Lectio VIII.

Quid ergo mirum, si se ab illo permísit in montem duci et tentári, qui se pértulit étiam et a membris eius crucifígi? Non est ergo indígnum Redemptóri nostro, quod tentári vóluit, qui vénerat occídi. Iustum quippe erat, ut sic tentatiónes nostras · suis tentatió nibus vínceret, sicut mortem nostram vénerat sua morte superáre. Sec sciéndum nobis est, quia tentátio tribus modis ágitur: suggesti óne, delectati óne, consénsu. Et nos, cum tentámur plerúmque in delectati óne, aut étiam in consénsu lábimur, quia ex carnis peccáto propagáti in nobisípsis étiam gérimus, unde certámina tollerámus. Deus vero, qui in útero Vírginis incarnátus, in mundum sine peccáto vénerat, nihil contradic ti ónis in semetípso tollerábat. Tu autem.

Responsorium



Angelis suis mandávit de te, ut custódiant te in ómnibus viis tuis; # in má nibus portábunt te, ne umquam offéndas ad lápidem pedem tuum. **V.** Super áspidem et basilíscum ambulábis, et conculcábis leónem et dracónem. **In** ómnibus.

Lectio IX.

Tentári ergo per suggesti ónem pótuit, sed eius mentem peccáti delectati ó non momórdit, atque ídeo omnis illa diabólica tentati ó foris, non intus fuit. Sed si ipsum ór dinem tentati ónis eius aspícimus, pensémus, quanta magnitúdine nos a tentati óne liberámur! Antíquus hostis contra primum hóm inem, paréntem nostrum, in tribus se tentati ó nibus eréxit, quia hunc vidélicet gula, vana glória · et avarítia tentávit, sed tentándo superávit, quia sibi eum per consénsu subdidit. Ex gula quippe tentávit, cum cibum ligni vétitum osténdit, atque ad comedéndum suásit. Ex vana autem glória tentávit, cum diceret: “Eritis, sicut dii.” Ex avarítia tentávit, cum diceret: “Sciéntes bonum et malum.” Avarítia enim non solum pecúniæ est, sed étiam altitúdinis. Recte enim avarítia díctur, cum supra modum sublím itas ambítur. Si enim non ad avarítiam honóris rapína pertinéret, nequáquam Paulus de Unigénito Fílio diceret: “Non rapínam arbitrátus est esse se æquálem Deo.” Tu autem.

Responsorium



Ductus est Iesus in desértum a Spíritu, ut tentarétur a diabolo. # Et accédens tentátor, dixit ei: Si Fílius Dei es, dic, ut lápides isti panes fiant! **V.** Et cum ieiunásset quadragínta diébus et quadragínta nóctibus, póstea esúriit. **Et.**

Te, Deum, laudámus **non dicitur.** **Versiculus:** Scápulis suis.

Ad laudes

Antiphona



Cor mundum crea in me, Deus, et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis! **Ps.** Miserére.

Antiphona



O, Dómine, salvum me fac, o, Dómine, bene prosperáre! **Ps.** Confitémini.

Antiphona



Sic benedícam te in vita mea, et in nómine tuo la!vábo manus meas. **Ps.** Deus, Deus.

Antiphona



In spírítu humilitátis et in ánimo contríto suscipiámur, Dómine, a te, et sic fiat sacrificíum nostrum, ut a te suscipiátur hódie, ut pláceat tibi, Dómine, Deus! **Canticum:** Benedícite.

Antiphona



Laudáte Dóminum, cæli cælórum, et aquæ omnes! **Ps.** Laudáte Dóminum de.

Capitulum, ut supra.

Hymnus



Clarum decus ieiúnni · monstrátur orbi cælitus, quod Christus, auctor ómnium cibis dicávit, ábstinens.

Hinc Móyses, carus Deo,
legísque lator factus est,
hoc Elíam per áera
curru levávit ígneo.

Hinc Dániel mystérium
victor leónum víderat,
per hoc amícus íntimus
sponsi, Ioánnes cláruit.

Hæc nos sequi dona, Deus,
exémpla parsimóniæ,
tu robur auge méntium
dans spiritále gáudium!

Præsta, Pater, per Fílium,
præsta per alnum Spíritum,
cum his per ævum Tríplici
unus Deus cognómine!



Amen.

Versiculus

V. Scuto circúmdabit te véritas eius.

R. Non timébis a timóre noctúrno.

Ad Benedictus antiphona



Ductus est Iesus in desértum a Spíritu, ut tentarétur a diábolo, et cum ieunásset quadragínta diébus et quadragínta nóctibus, póstea esúriit.

Oratio, ut supra. Item, in missa praefatio: Qui corporáli ieiúnio. **Diebus dominicis et etiam ferialibus usque in dominicam Iudica:**

Ad primam

Hymnus: Iam lucis orto sídere. **Conclusio hymnorum:** Praesta, beáta Trínitas, **et cetera.**

Antiphona



Cum víderis nudum, óperi eum, et carnem tuam ne despéxeris; tunc erúmpet, quasi mane, lumen tuum, et sánitas tua cítius oriétur, et antefbit fáciem tuam iustítia tua, et glória Dómini cólliget te. **Ps.** Deus, Deus.

Capitulum: Frange esuriénti. **Responsorium:** Iesu Christe. **V.** Qui sacrásti sanctum ieiúnium.

Versiculus

V. Scuto circúmdabit te véritas eius.

R. Non timébis a timóre noctúrno.

Oratio: Dómine, sancte Pater.

Ad tertiam

Antiphona



Advenérunt nobis dies pæniténtiæ, ad rediménda peccáta, et salvándas ánimas. **Ps.** Legem pone.

Capitulum

Fratres. Hortámur vos, ne in vácuum grátiam Dei recipiátis, ait enim: Témpore accépto exaudívi te, et in die salútis adiúvi te. Deo.

Responsorium



Partícipem me fac, Deus, ómnium timéntium te # et custodiéntium mandáta tua! **V.** Aspice me, et miserére mei · secúndum iudícium diligéntium nomen tuum! **Et** custodiéntium.

Versiculus: Dicit Dómino.

Ad sextam

Antiphona: Commendémus, **ut supra.**

Capitulum

In ómnibus exhibeámus nos, sicut Dei ministros; in multa paciéntia, in tribulatió nibus, in necessitatibus, in angúst iis, in plagis, in carcéribus, in sediti ó nibus, in labóribus, in vigíliis, in ieiúniis, in castitate, in sciéntia, in longanimitate, in suavitate, in Spírítu Sancto, in caritate non ficta, in verbo veritátis, in virtúte Dei! Deo.

Responsorium

Ab omni via mala prohibui pedes meos, # ut custódiám mandáta tua, Dómine. **V.** A iudíciis tuis non declinávi, quia tu legem posuísti mihi. **U**t custódiám.

Versiculus: Ipse liberávit me.

Ad nonam

Antiphona: Per arma iustítiae. **Psalmus:** Mirabília.

Capitulum

Ut castigáti, et non mortificáti, quasi tristes, semper autem gaudéntes, sicut egéntes, multos autem locupletántes, tamquam nihil habéntes, et ómnia possidéntes. Deo.

Responsorium

Sépties in die laudem dixi tibi, Dómine, Deus meus, # ne perdas me! **V.** Errávi, sicut ovis, quæ perierat; requíre servum tuum, Dómine, quia mandáta tua non sum oblítus! **N**e perdas.

Versiculus: Scápolis suis.

In secundis vesp̄is

Antiphona: Advenérunt nobis. **Psalmus:** Dixit Dóminus, **per ordinem.** **Capitulum:** Fratres. Hortámur vos. **Responsorium:** Angelis suis. **Hymnus:** Ex more docti. **Versiculus:** Angelis suis.

Ad Magnificat antiphona



Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo Dei.

FERIA SECUNDA

Invitatorium



Non sit vobis vanum sùrgere ante lucem. **Ps.** Veníte.

Ad nocturnum

Antiphona: Dóminus, illuminátio, **cum ceteris psalmis et antiphonis.** **Versiculus:** Dicit Dómino.

Secundum Matthæum

In illo témpore. Dixit Iesus discípulis suis: Cum vénerit Fílius hóminis in maiestáte sua, et omnes ángeli eius cum eo, tunc sedébit super sedem maiestátis suæ, et congregabúntur ante eum omnes gentes. Et réliqua.

Homélia beáti Augustíni epíscopi.

Lectio I.

“Cum autem vénerit Fílius hóminis in maiestáte sua, tunc sedébit in sede maiestátis suæ, et congregabúntur ante eum omnes gentes. Et separábit eos ab ínvicem, sicut pastor ségregat oves ab hædis, et státuet oves quidem a dextris, hædos autem a sinístris. Tunc dicet eis, qui a dextris eius erunt: Veníte, benedícti Patris mei, percípíte regnum, quod vobis parátum est ab origine mundi.” Tu.

Responsorium



Ecce, nunc tempus acceptábile, ecce, nunc dies salútis; commendémus nosmetípsos in multa patiéntia, in ieiúniis multis, # per arma iustítiae virtútis Dei! **V.** In ómnibus exhibeámus nosmetípsos, sicut Dei minístros, ut non vituperétur ministérium nostrum! **P**er.

Lectio II.

Ubi lumen indeficiens, ubi gáudium sempiternum, ubi vita perénnis et immortalis · et lætítia sempiterna · cum ángelis et archángelis · et apóstolis, ubi lux lucis et fons lúminis, ubi cívitas sanctorum, Ierúsalem cæléstis, ubi convéntus mártýrum et prophetárum. Abraham, Isaac et Iacob, et sanctorum ómnium, ubi dolor nullus, nec tristítia post gáudium, ubi nox effúgiet, et senéctus non apparébit, ubi caritas inexplébilis, ubi pax indivídua, ubi assístunt ángeli · et univérsæ potestátes, ubi manna, id est cibus cæléstis et vita angélica. Et ut infinita in brevi comprehéndam, ubi omnis dolor et omne malum non vidébitur, et omne bonum non deesse umquam potest. Tu autem.

Responsorium: Paradísi portas.

Lectio III.

Tunc iusti ad hæc responderunt, dicentes: Dómine, cur tantam et talem nobis præparásti glóriam? Tunc et ipse eis respondébit: Pro misericórdia vestra et fide, pro hilaritáte et paciéntia, pro longanimitáte et mansuetúidine et iustítia, pro continéntia et humilitáte, pro hospitalitáte et affabilitáte, pro gáudio ad perégrinos et ignótos, pro iustítia et sanctitáte, pro tristítia vestra in malo próximi, pro lætítia vestra in bono eius, pro gáudio vestro in his, qui nec sermónem otiosum de ore suo próferunt, pro timóre Dei in his, qui non transgrediúntur pactum · ióta unum · aut ápicem unum de lege Dómini, pro eo, quod non accepístis múnera super innocéntem, nec mendácium pro veritáte. Tu autem.

Responsorium



Emendémus in mélius, quod ignoránter peccávimus, ne subíto præoccupáti die mortis, quærámus spátium pæniténtiæ, et inveníre non póssimus! # Atténde, Dómine, et miserére, quia peccávmus tibi!
V. Peccávimus cum pátribus nostris, iniúste égimus, iniquitátem fécimus. **A**tténde.

Laudes

De psalterio.

Capitulum

Hæc dicit Dóminus Deus. Ecce, ego ipse requíram oves meas, et visitábo illas, sicut vísitat pastor gregem suum in die, quando fúerit in médio óvium suárum dissipatárum, sic visitábo oves meas, et liberábo eas de ómnibus locis, in quibus dispérsæ fúerant in die nubis et calígini. Deo.

Hymnus: Clarum decus, **ut supra.** **Versiculus:** Scuto circúmdabit.

Ad Benedictus antiphona



Veníte, benedícti Patris mei, percípite regnum, quod vobis parátum est ab origine mundi!

Oratio

Convérte nos, Deus, salutáris noster, et ut nobis ieiúnium quadragesimále profíciat, mentes nostras cæléstibus ínstrue disciplínis!

Super populum antiphona



Vivo ego, dicit Dóminus; nolo mortem peccatóris, sed ut magis convertátur, et vivat.

Versiculus: Peccávimus cum pátribus nostris.

Oratio

Absólve, quæsumus, Dómine, nostrórum víncula peccatórum, et quicquid pro eis merémur, propitiátus avérte! Per.

Ad primam

Antiphona: Cum videris nudum. **Psalmus:** Deus, in nómine, cum ceteris. **Capitulum:** Frange esuriénti. **Responsorium:** Christe, Fili. V. Qui sacrásti, ut supra.

Ad tertiam

Antiphona: Advenérunt nobis. **Psalmus:** Legem pone, ut supra. **Capitulum,** ut supra. **Responsorium:** Partícipem me fac, ut supra, per omnia.

Ad sextam

Antiphona: Commendémus. **Psalmus:** Déficit.

Capitulum

Hæc dicit Dóminus Deus: Ego edúcam oves meas de pópulis, et congregábo eas de terris, et indúcam eas in terram suam, et pascam eas in móntibus Israel, in rivis et in cunctis sédibus terræ, in páscuis ubérrimis pascam eas, et in móntibus excélsis Israel erunt páscuæ eárum.

Responsorium: Ab omni via, ut supra. **Versiculus:** A iudiciis.

Ad nonam

Antiphona: Per arma iustítiae. **Psalmus:** Mirabília testimónia.

Capitulum

Ego pascam oves meas, et ego eas accubáre fáciam, dicit Dóminus Deus; quod perierat, requíram, et quod abiéctum fúerat, redúcam, et quod confráctum fúerat, alligábo, et quod infírmum fiat, consolidábo, et quod pingue et forte, custódiam, et pascam illas in iudício et iustítia, dicit Dóminus omnípotens. Deo.

Responsorium: Sépties in die, *ut supra*.

Ad secundas vesperas

Antiphona: Advenérunt nobis, *ut supra*. **Psalmus:** Diléxi, quóniam. **Capitulum,** *ut supra*.

Responsorium



Spes mea, Dómine, # a iuventúte mea. **V.** In te confirmátus sum ex útero, de ventre matris meæ tu es meus protéctor. **A** iuventúte.

Hymnus: Ex more docti. **Versiculus:** Angelis suis Deus.

Ad Magnificat antiphona



Quod uni ex mínimis meis fecístis, mihi fecístis, dicit Dóminus.

Preces, *ut supra*. **Oratio:** Convérte nos. **Super populum antiphona:** Vivo ego. **Versiculus:** Peccávimus cum. **Oratio:** Absólve, quæsumus.

FERIA TERTIA

[ad matutinum]

Antiphona: Non sit vobis, **ut supra.** **Psalmus:** Veníte.

Secundum Matthæum

In illo témpore. Cum introísset Iesus Ierosólymam, commóta est univérsa cívitas, dicens: Quis est hic. Et réliqua.

Homéliea beáti Augustíni epíscopi.

Lectio I.

Et véniunt Ierosólymam, et cum introísset in templum, cœpit eiícere vendétes et emétes de templo, et mensas nummulariórum · et cáthedras vendéntium colúmbas subvértit. Quod maledicéndo ficum infructuósam per figúram fecit Dóminus, hoc idem mox apértius osténdit, eiiciéndo ímprobos de templo. Neque enim áliquid peccávit arbor, quæ, esuriénte Dómíno, poma non hábuit, quorum necdum témpus advénerat, sed peccavére sacerdotés, qui in domo Dómíni sæculária negótia gerébant, et fructum pietátis, quem debúerant, quemquam Dóminus in eis esuriébat ferre, recusábant. Tu.

Responsorium: In ieiúnio.

Lectio II.

Arefécit Dóminus arbórem maledíctam, ut hómines hoc vidétes sive audiétes, multo magis intelligérent se divíno contemnédos esse iudicio, si absque óperum fructu de plausu tamen sibi religiósi sermónis blandiréntur, véluti de sónitu et blandiméntis viridántium foliórum. Verum, quia non intellexérunt, consequéter in ipsos districtiónem méritæ ultiónis exércuit, eiecítque commércia rerum humanárum de domo illa, in qua divínas res agi, hóstias et oblatiónes Deo offérri, verbum Dei legi, audíri, et prædicári præcéptum erat. Et quidem credéndum est, quod ea tantum vendi vel emi reperiébat in templo, quæ ad ministérium eiúsdem templi necessária erant · iuxta hoc, quod álias factum légimus. Tu autem.

Responsorium: In ómnibus exhibéamus.

Lectio III.

Dum idem templum ingrédians, invénit in eo eméntes et vendéntes oves et boves et colúmbas, quæ ómnia non nisi, ut offeréntur in domo Dómini, eósque, qui de longe vénerant, ab indígenis comparáre credéndum est. Si ergo Dóminus nec ea volébat in templo inférrí, vidélicet propter stúdiúm avarítiae sive fraudis, quod próprie solet esse negotiántium fácinus, quanta putas animadversióne puníret, si invenísset áliquos rísui · vel vanilóquio vacántes, aut álio cuilibet vítio mancipátos. Si enim ea, quæ álibi líbere geri póterunt, Dóminus in domo sua temporália negótia geri non pátitur, quanto magis ea, quæ nusquam fíeri licet, plus cæléstis ire meréntur, si in áedibus Deo sacrátis agántur. Tu autem.

Responsorium: Abscóndite eleemósynam.

Laudes

De psalterio.

Capitulum

In diébus illis. Locútus est Isaías prophéta, dicens: Quérite Dóminum, dum inveníri potest, invocáte eum, dum prope est; derelínquat ímpius viam suam, et vir iníquus cogitátiones suas, et revertátur ad Dóminum, et miserébitur eius, et ad Deum nostrum, quóniam multus est ad ignoscéndum! Deo.

Hymnus: Clarum decus. **Versiculus:** Scuto.

Ad Benedictus antiphona

Scriptum est enim, quia domus mea domus oratiónis est cunctis géntibus, vos autem fecistis illam spelúncam latrónum; et erat cottídie, docens in templo.

Oratio

Réspice, Dómine, famíliam tuam, et præsta, ut apud te mens nostra tuo desidério fúlgeat, quæ se carnis maceratióne castígat! Per.

Super populum antiphona: Vivo ego. **Versiculus:** Peccávimus.

Oratio

Ascéndant ad te, Dómine, preces nostræ, et ab Ecclésia tua cunctam repélle nequítiam! Per.

Ad sextam

Capitulum

Non enim cogitatiónes meæ cogitatiónes vestræ, neque viæ vestræ viæ meæ, dicit Dóminus, quia sicut exaltántur cæli a terra, sic exaltátæ sunt viæ meæ a viis vestris, et cogitatiónes meæ a cogitatiónebus vestris. [Deo.]

Ad nonam

Capitulum

Et quómo do descéndit imber et nix de cælo, et illuc ultra non revértitur, sed inébriat terram, et infúndit eam, et germináre eam facit, et dat semen serénti · et panem comedénti, sic erit verbum meum, quod egrediétur de ore meo; non revertétur ad me vácuum, sed fáciat, quæcúmque vólui, et prosperábitur in his, ad quæ misi illud, ait Dóminus omnípotens. Deo.

Ad vespervas

Antiphona: Advenérunt nobis. **Psalmus:** Lætátus sum, et cetera.

Ad Magnificat antiphona



Domus mea domus oratiónis vocábitur.

FERIA QUARTA

[ad matutinum]

Secundum Matthæum

In illo tēpore. Accessērunt ad Iesum scribæ et pharisæi, dicētes: Magister, vólumus a te signum vidére! Et réliqua.

Homélia lectiónis eíusdem.

Lectio I.

Incrédulam Iudæórum gentem Dóminus et Salvátor noster, filii caríssimi, pro eórum malivoléntia et incredulítate sæpíssime increpávit, volens eos ad agnitióem veritátis veníre, nunc tam dúriter castigávit, ut in præsénti lectiône audístis: *“Accessērunt ad eum scribæ et pharisæi, dicētes: Magister, vólumus a te signum vidére.”* (nem pontos az idézet) Sic signum petunt, quasi, quæ viderint signa, non fúerint, sed diábolus, intérrogans signum, quærébat, si forte manifestíus díscere potúisset, si hoc esset Christus, vere Fílius Dei an non. Tu.

Responsorium: Tribulárer, **ut supra.**

Lectio II.

Sed Dóminus pro utilitáte salútis géneris humáni cælávit diábolo suæ poténtiam maiestátis, quia si hoc diábolus vere cognovísset, numquam Iudæos incrédulos instigásset, ut eum crucifígerent. Ideo respóndit eis, dicens: *“O, generátio mala et adúltera · signum quærít, et signum non dábitur ei, nisi signum Ionæ prophétæ.”* Egregíe eos malos · et adúlteros dixit, quia dereliquérunt verum Dóminum, et cum multis idólis fornicáti sunt. Osténdit eos non fílios esse Abrahæ, sed fílios diáboli, ut ipse álibi ait: *“Vos ex patre diábolo estis.”* Sicut enim, qui voluntátem Dei facit, fílius Dei dícitur, sic, qui voluntáte Sátanæ famulátur, fílius eius appellátur. Tu.

Lectio III.

Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diébus et tribus nóctibus, ita erit Fílius hóminis in corde terræ tribus diébus et tribus nóctibus. Osténdit ea, quæ in Iona gesta sunt, signum fuísse futúráe veritátis, qui missus in mare, suscéptus a ceto, post tríduum vivus evomerétur ad litus. Demonstrávit se tempestátes sæculi, quod mare signat et

persecutiónes a pópulo Iudæórum, velut fluctus passúrum, ac per mortem suam inférna lustráturum, quod hic venter ceti intellígitur, et íterum die tértia cum multis spóliis ad cælum ventúrum, recépto corpore, quod in monuménto pósitum fúerat resurrectúrum. Tu autem.

[Laudes]

Capitulum

In diébus illis. Dixit Dóminus ad Móysen: Ascénde ad me in montem, et esto ibi, dabóque tibi tábulas lapídeas, et legem ac mandáta, quæ scripsi, ut dóceas fílios Israel! Deo.

Hymnus: Clarum decus.

Ad Benedictus antiphona



Generátio hæc prava et perversa signum quærit, et signum non dábitur ei, nisi signum Ionæ prophétæ.

Oratio

Preces nostras, quæsumus, Dómine, cleménte exáudi, et contra cuncta nobis adversántia · dexteram tuæ maiestátis exténde! Per.

Super populum antiphona: Vivo ego.

Oratio

Mentes nostras, quæsumus, Dómine, lúmine tuæ claritátis illústra, ut vidére póssimus, quæ agénda sunt, et quæ recta sunt, ágere valeámus. Per.

Ad sextam

Capitulum

Surrexérunt Móyses et Iósue, mínister eius, ascendénsque Móyses in montem Dei, senióribus ait: Exspectáte hoc, donec revertámur ad vos; habétis Aaron et Hur vobíscum, si quid natum fúerit quæstiónis, referétis ad eos! Cumque ascendísset Móyses, opéruit nubes montem, et habitávit glória Dómini super Sínai, tegens illum nube sex diébus. Deo.

Ad nonam

Capitulum

Séptimo die vocávit Dóminus Móysen de médio calígini. Erat autem spécies glóriæ Dómini, quasi ignis ardens super vérticem montis in conspéctu filiórum Israel. Ingressúsque Móyses médium nébulæ, ascéndit in montem, et fuit ibi quadragínta diébus et quadragínta nóctibus. Deo.

[Ad vesperas]

Ad Magnificat antiphona



Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diébus et tribus nóctibus, ita erit Fílius hóminis in corde terræ.

FERIA QUINTA

[ad matutinum]

Secundum Matthæum

In illo tēpore. Egrēssus Iesus, secēssit in partes Tyri et Sidónis. Et ecce, mŭlier Chananæa a fīnibus illis egrēssa, clamāvit, dicens: Miserere mei, Fili David! Et reliqua.

Homēlia Origenis.

Lectio I.

Fratres. Dicit aliquis ex vobis: Feci peccāta multa et magna. Et quis ex vobis est, qui non peccet? Tu dicis: Errāvi super omnes hōmines, sūfficit enim sacrificio ista confēssio. Dic tu prior iniquitātes tuas, ut iustificēris, cognōsce te, quia peccātor es! Hābeas tristitiam cum convērsis, esto, ac si desperātus et mæstus, sed et lācrimas compūntus effūnde! Numquid aliud aliquid fuit in meretricem, quam lacrimārum effūsiō? Et ex hac perfusiōne invēnit præsidiū, et accēpta fidūcia, accēssit ad fontem misericōrdiæ, Dōminum Iesum. Tu.

Responsorium: Ecce, nunc tempus, **ut supra.**

Lectio II.

Sed veniāmus ad causam! Quid ergo evangelīsta? *“Et inde trānsiens Dōminus, venit in partes Tyri et Sidónis, et ecce, mŭlier Chananæa.”* Mira res, o, evangelīsta! Et ecce, mŭlier, caput peccāti, arma diaboli, expŭlsio paradīsi, delīcti mater, corrūptio legis antiquæ. Et ecce, mŭlier veniēbat ad Dōminum Iesum, mŭlier alienígena · de gētibus nova plantātio. Mirum negōtium Iudæi fūgiunt, Chananæa sequitur, domēstici derelīnquunt, alienígena heret, iūngere ac proximāre cupit. Ecce, mŭlier de fīnibus illis egrēssa, clamābat, dicens: *“Miserere mei, Dōmine, fili David!”* Tu autem.

Lectio III.

Mŭlier hæc evangelīsta efficitur. Probāvit enim divīni consilii sacramētum, quando divīnam virtūtem obsēcrat, et carnis natūram confitētur, dicens: *“Miserere mei, fili David.”* Considera pulchram mŭlieris mentem, vide, quid dicat: Non est, inquit, bonum in āctibus meis, non mihi de conversiōne iustītia; ad misericōrdiam tuam

confúgio, ubi non seductóriæ requíritur locus salvánde. Et quómo-
 ausa est múlier legis ignára, tam iníqua, sic abrúptæ accédere ad
 fontem salútis? Non petit Iacóbum, non rogávit Ioánnem, non
 accessit ad Petrum, sed hoc intermíttens, quod dicit: Non est mihi
 necessarius fideiússor. Suscépit in se pæniténtiæ patrocínium, et sola
 cucúrrit ad Dóminum, et tenuit eum in voce, ac dixit: Miserére mei,
 fili David, ídeo descendísti, ídeo carnem suscepísti, ut ego loquar ad
 te, et cum fidúciam petam. Tu autem.

Responsorium: Emendémus, *ut supra.*

[Laudes]

Capitulum

In diébus illis. Factus est sermo Dómini, ad me dicens: Quid est hoc,
 quod inter vos parábolam vértitis in provérbium istud in terra Israel,
 dicéntes: Patres nostri comedérunt uvam acérbam, et dentes filiórum
 obstupéscunt? Vivo ego, dicit Dóminus, si erit ultra parábola hæc in
 provérbium in Israel, ecce, omnes ánimæ meæ sunt, ut ánima patris,
 ita et ánima filii mea est. [Deo.]

Hymnus: Clarum decus, *ut supra.*

Antiphona



O, múlier, magna est fides tua, fiat tibi, sicut petísti! **Ps.** Benedíctus.

Oratio

Devotiónem pópuli tui, quæsumus, Dómine, benígnus inténde, ut
 qui per abstinéntiam macerántur in córpore, per fructum boni óperis
 reficiántur in mente. [Per.]

Super populum oratio

Da, quæsumus, Dómine, pópulis Christiánis et quæ profiténtur
 agnóscere, et cæléstæ munus dilígere, quod frequéntat. Per.

Ad sextam

Capitulum

Anima, quæ peccáverit, ipsa moriétur, et vir, si fúerit iustus et fécerit iudícium et iustítiam, in móntibus non coméderit, et óculos suos non leváverit ad idóla domus Israel, et uxórem próximi sui non violáverit, et ad mulierem menstruátam non accésserit, et hómīnem non contristáverit, hic iustus est, et vita vivet, ait Dóminus omnípotens. Deo.

Ad nonam

Capitulum

Vir, si fúerit iustus, et ab iniquitáte avérterit manum suam, iudícium verum fécerit inter virum et virum, et in præcéptis meis ambuláverit, et iudícia mea custodíerit, ut fáciat veritátem, hic iustus est, et vita vivet, ait Dóminus omnípotens. Deo.

[Ad vesp̄eras]

Ad Magnificat antiphona



Vade, múlier, semel tibi dixi: Si credíderis, vidébis mirabília.

FERIA SEXTA

[ad matutinum]

Sedundum Matthæum

In illo tēpore. Erat dies festus Iudæorum, et ascēdit Iesus Ierosólymam. Est autem Ierosólymis probática piscína, quæ cognominabátur Hebráice Bethsáida, quinque pórticus habens. Et réliqua.

Homélia beáti Augustíni epíscopi.

Lectio I.

Quid ergo in signis et mirábilibus a Dómino factis intelligéndum est, nisi, quia potéstas eius et bónitas magis agébat; quid ánimæ in factis eius pro salúte sempitérna intelligerent, quam quod pro temporáli salúte córpora moreréntur? Vera enim córporum salus erit in resurrecciónē ómnium mortuórum; tunc, quod vivet, non moriétur, tunc, quod sanábitur, non ægrotábit, tunc, quod renovábitur, non veteráscet in ætérnum. Tu autem.

Responsorium: In ieiúnio, ut supra.

Lectio II.

Temporális ígitur in membris córporis sánitas tota déficit, ánima vero, quæ crédidit, ad vitam ætérnam tránsitum facit. Piscína ergo illa et aqua pópulum signat Iudæorum, qui quinque libris legis, quasi quinque portícibus claudebátur. Sed illi quinque libri legis, quod sunt isti pórticus, habébant lánguidos multos, id est peccatóres, sed non sanabántur, quia per legem omnes cognóverant se esse peccatóres. Remissionem autem peccatórum nemo, nisi per Christi grátiae recipiébat advéntum. Nam semel in anno ángelus descendébat in piscínam, et turbábat aquam, et lánguidus, qui primo venit in aquam, solus sanabátur, et nullus post eum álius. Tu autem.

Lectio III.

Ángelus ergo, qui descendébat, Christum, Dóminum nostrum désígnat in carne venísse, qui solus ómnibus pótuit sanitátem, id est remissionem peccatórum, præbére, qui ídeo venit in mundum, ut non solum unus, sed omnis per eum mundus sanaréturet. Qui turbávit aquam piscínæ, id est, qui peccatóres Iudæos factos a doctrína sua

castigávit, quod eum pro salúte mundi quamvis ignorántes occidérunt, qui sua morte non solum corporáliter, sed spiritáliter in ánima omnes credéntes salvávit. Quia vero post motum aquæ · unus tantúmmodo sanabátur, osténdit, quia unus est Dóminus, una fides, unum baptísma. Et qui in unitáte fidei cathólicæ doctus permánserit, sanus fiet, a quocúmque peccatórum languóre detinétur. Qui autem ab eádem unitáte dividitur, salútem véniaē ab unitáte prædícta conséqui non váleat. Tu.

[Laudes]

Capitulum

Hæc dicit Dóminus Deus. Anima, quæ peccávit, ipsa moriétur. Fílius non portábit iniquitátem patris, et pater non portábit iniquitátem fílii, iustítia iusti super eum erit, et impíetas ímpii erit super eum. Si autem ímpius égerit pæniténtiam ab ómnibus peccáteis suis, quæ operátus est, custodiérit univérsa præcépta mea, et fécerit iudícium et iustítiam, vita vivet, et non moriétur. Deo.

Ad Benedictus antiphona



Angelus Dómini descendébat de cælo, movebátur aqua, et sanabátur unus.

Oratio

Esto, Dómine, propítius plebi tuæ, et quam tibi facis esse devótam, bénigno réfove miserátus auxilió! [Per.]

Super populum antiphona: Vivo ego. **Versiculus:** Peccávimus.

Oratio

Exáudi nos, miséricors Deus, et méntibus nostris grátiaē tuæ lumen osténde! Per.

Ad sextam

Capitulum

Si ímpius égerit pæniténtiam ab ómnibus peccátiis suis, quæ operátus est, ómnium iniquitátum eius, quas operátus est, non recordábor, in iustítia sua, quam operátus est, vivet, dicit Dóminus omnípotens. Deo.

Ad nonam

Capitulum

Cum autem avérterit se ímpius ab impietáte sua, quam operátus est, et fécerit iudícium et iustítiam, ipse ánimam suam vivificábit, consíderans enim, et avértens se ab ómnibus iniquitátibus suis, qua operátus est, vita vivet, et non moriétur, dicit Dóminus omnípotens.

Ad Magnificat antiphona



Qui me sanum fecit, ille mihi præcépit: tolle grabátum tuum, et ámbula in pace.

SABBATO

Secundum Matthæum

In illo tēpore. Assumpsit Iesus Petrum et Iacóbum et Ioánnem, fratrem eius, et duxit illos in montem excélsu[m] seórsum, et transfigurátus est ante eos. Et réliqua.

Homélia beáti Augustíni.

Lectio I.

Quid est hoc, quod osténsuis discípulis Dóminus glóriam, quam promísit, discípulos in montem excélsu[m] duxit, nisi, ut doceret omnes, qui hanc vidére desiderárent, non in carnálibus iacére delectatió[n]ibus debére, non illecebrósis servíre desidériis, sed ad amórem semper ætérnæ pátriæ érgi · angélicam mundítiam, pietáte, pace, concórdia · et caritáte sancta conversatióne, quantum humánæ possíbile sit natúræ, semper imitári. Quia, qui Deum vidére desidérat, debet magnópere ágere bona, quæ novit. Tu.

Responsorium



Tribulárer, si nescírem misericórdias tuas, Dómine; tu dixísti, nolo mortem peccatóris, sed ut convertátur, et vivat, # qui Chananáam et publicánu[m] vocásti ad pæniténtiam. **V.** Et Petrum lacrimántem suscepísti, miséricors Dómine. **Qui.**

Lectio II.

Séquitur: “*Et transfigurátus est ante eos. Et resplénduit fácies eius, ut sol, vestiménta autem eius facta sunt alba, sicut nix.*” Nemo putet pristínam formam et faciém perdidisse, et amisísse córporis veritátem, sed sui glóriam córporis, quam post resurrectió[n]em erat habitúrus, suis ostendísse discípulis. Unde illis álibi ait: “*Tunc fulgébunt iusti, sicut sol, in regno Patris eórum.*” Tu autem.

Lectio III.

“*Et ecce, appáruit eis Móyses et Elías, cum eo loquéntes.*” In Móyse et Elía · lex et prophétia designántur, quia omnis, qui ante legem et sub lege iuste vixerunt, sive étiam per prophétas edócti, per fidem Dómino serviébant, simul cum Christo ætérnam glóriam possidébant. Sive in Móyse omnes in hoc sǎculo mórtui et sepúlti, in iudício a morte

resuscitánda. In Elía vero omnes, quos tunc dies iudícii vivos in carne repérent, in uno mométo rapti in núbibus, Dómino in áera moriéntur · et resuscitabúntur, et mox perácto iudício, ad vitam plerique introducúntur ætérram. Quóniam quidem, quo ámplius quisque vitæ cæléstis dulcédinem degústat, eo ámplius fastidiéntur ei ómnia, quæ placébant infirmis. Tu autem.

[Laudes]

Capitulum (Szabva-varrva az eredetiből.)

In diébus illis. Locútus est Móyses ad Dóminum, dicens: Réspice, Dómine, de sanctuáριο tuo, et de excélsó cælórum habitáculo, et bénedic pópulo tuo Israel, et terræ, quam dedísti nobis, sicut iurásti pátribus nostris, terram lacte et melle manántem. Deo.

Antiphona



Assúmpsit Iesus discípulos suos, et ascéndit in montem, et transfigurátus est ante eos. **Ps.** Benedíctus.

Oratio

Pópulum tuum, quæsumus, Dómine, propítius réspice, atque ab eo flagélla tuæ iracúndiæ cleménter avérte! Per.

Super populum oratio

Famíliam tuam, quæsumus, Dómine, benígnus illústra, ut beneplácitis inhæréndo, cuncta, quæ bona sunt, mereátur accíperere. Per.

Ad sextam

Capitulum

Audi, Israel: Hódie Dóminus Deus tuus præcépit tibi, ut fácias mandáta eius atque iudícia, et custódiás ex toto corde tuo, et ex tota ánima tua; Dóminum elegísti hódie, ut sit tibi Deus, et ámbules in

viis eius, et custódias cæremónias illíus · et mandáta atque iudícia, et obædias eius império. Deo.

Ad nonam

Capitulum

Dóminus elégit te hódie, Israel, ut sis ei pópulus peculiáris, sicut locútus est tibi, et custódias ómnia præcépta eius, et fáciat te excelsórium cunctis géntibus, quas creávit in laudem et glóriam suam, et sis pópulus sanctus Dómini, Dei tui, sicut locútus est tibi. Deo.

DOMINICA SECUNDA

[ad primas vesperas]

Antiphona: Advenérunt nobis, *ut supra*. **Psalmus:** Benedictus.

Capitulum

Fratres. Rogámus vos, et obsecrámus in Dómino Iesu, ut quemádmódum accepístis a nobis, quómodo vos opórtet ambuláre · et placére Deo, sic et ambulétis, ut abundétis magis. Deo.

Responsorium



Vidi Dóminum fácie ad fáciem, # et salva facta est ánima mea. **V.** Et dixi: Nequáquam ultra vocáberis Iacob, sed Israel erit nomen tuum.

Et.

Hymnus



Audi, benígne Córditor, nostras preces cum flétibus · in hoc sacro ieiúnio, fusas quadragenáριο.

Scrutátor alme córdium,
infírma tu scis vírium,
ad te revérsis éxhibe ·
remissiónis grátiam!

Multum quidem peccávimus,
sed parce confiténtibus,
ad laudem tui nóminis ·
confer medélam lánguidis!

Sic corpus extra cónteri ·
dona per abstinéntiam,
ieiúnet, ut mens sóbria ·
a labe prorsus críminum!

Præsta, beáta Trínitas,
 concéde, simplex únitas,
 ut fructuósa sint tuis ·
 ieiuniórum múnera!



Amen.

Versiculus: Angelis tuis.

Ad Magnificat antiphona



Némini dixéritis visiónem, donec Fílius hóminis a mórtuis resúrgat!

Oratio

Deus, qui cónspicis omni nos virtúte destítui: intérius exteriúsque
 custódi, ut ab ómnibus adversitátibus muniámur in córpore, et a
 pravis cogitatióibus mundémur in mente! Per.

Ad matutinum

Invitorium



Quóniam Deus magnus Dóminus, # et rex magnus super omnes
 deos. **Ps.** Veníte.

In primo nocturno

Antiphona



Dómine, dimítte eam, quia clamat post nos! Ait illi Iesus: Non sum missus, nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel. **Ps.** Beátus vir.

Versiculus: Dicit Dómino.

Lectio I.

Sénuít Isaac, et caligavérunt óculi eius, et vidére non póterat. Vocavítque Esau, fílium suum maiórem, et dixit ei: Fili mi! Qui respóndit: Assum. Cui pater: Vides, inquit, quod senúerim, et ignórem diem mortis meæ. Sume arma tua, pháretram et arcum, et egrédere foras! Cumque venátu áliiquid apprehénderis, fac mihi inde pulméntum, sicut velle me nosti, et affer, ut cómedam, et benedícat tibi ánima mea, ántequam móriar! Tu.

Responsorium



Tolle arma tua, pháretram et arcum, et affer de venatióne tua, ut cómedam, # et benedícat tibi ánima mea! **V.** Cumque venátu áliiquid attúleris, fac mihi inde pulméntum, ut cómedam! **Et.**

Lectio II.

Quod cum audísset Rebécca, et ille abiísset in agrum, ut iussiónem patris expléret, dixit fílio suo, Iacob: Audívi patrem tuum, loquéntem cum Esau, fratre tuo, et dicéntem ei: Affer mihi de venatióne tua, et fac cibos, ut cómedam, et benedícam tibi coram Dómino, ántequam móriar. Nunc ergo, fili mi, acquiésce consíliis meis, et pergens ad gregem, affer mihi duos hædos óptimos, ut fáciam ex eis escas patri tuo, quibus libénter véscitur. Quas cum intúleris, et coméderit, benedícat tibi ántequam moriátur. Cui ille respóndit: Nosti, quod Esau, frater meus homo pilósus sit, et ego lenis? Si attretáverit me pater meus, et sénserit, tímeo, ne putet sibi volúisse illúdere, et indúcat super me maledictiónem pro benedictiόne. Ad quem mater:

In me sit, ait, ista maledíctio, fili mi, tantúmmodo audi vocem meam, et perge, affer, quæ dixi! Tu.

Responsorium



Ecce, odor fílii mei, sicut odor agri pleni, quem benedíxit Dóminus; créscere te fáciat Deus meus, sicut arénam maris, # et donet tibi de rore cæli benedictiónem! **V.** Qui maledíxerit tibi, sit ille maledíctus, et qui benedíxerit tibi, benedictiónibus repleátur! **E**t donet tibi.

Lectio III.

Abiit Iacob, et áttulit hædum, dedítque matri. Parávit illa cibos, sicut nóverat velle patrem illíus, et véstibus Esau valde bonis, quas apud se habébat domi, índuit eum, pelliculásque hædórum circúm dedit mánibus, et colli nuda protéxit, dedítque pulméntum, et panes, quos cóxerat, trádidit. Quibus illátis, dixit: Patre mi! At ille respóndit: Audio. Quis es tu, fili mi? Dixítque Iacob: Ego sum Esau, primogénitus tuus, feci sicut præcepísti mihi. Surge, sede, et cómede de venatióne mea, et benedícat mihi ánima tua! Rursum Isaac ad fílium suum: Quómodo, inquit, tam cito inveníre potuísti, fili mi? Qui respóndit: Volúntas Dei fuit, ut cito mihi occurreret, quod volébam. Dixítque Isaac: Accéde huc, ut tangam te, fili mi, et probem, utrum tu sis fílius meus Esau, an non? Accéssit ille ad patrem, et palpándo eo, dixit Isaac: Vox quidem vox Iacob est, sed manus · manus sunt Esau. Et non cognóvit eum, quia pilósæ manus similitúdinem maióris exprésserant. Benedícens ergo illi, ait: Tu es fílius meus, Esau? Respóndit: Ego sum. At ille: Affer, inquit, mihi cibos de venatióne tua, fili mi, et benedícat tibi ánima mea! Quos, cum oblátos comedísset, óbtulit ei étiam et vinum, quo hausto, dixit ad eum: Accéde ad me, et da mihi ósculum, fili mi! Accéssit, et osculátus est eum. Statímque, ut sensit vestimentórum eius fragrántiam, benedícens ait: Ecce, odor fílii mei, sicut odor agri pleni, cui benedíxit Dóminus. Det tibi Deus de rore cæli et de pinguédine terræ · abundántiam fruménti, vini et ólei, et sérviant tibi pópuli, et adórent te tribus! Esto dóminus fratrum tuórum, et incurvéntur ante te fílii matris tuæ! Qui maledíxerit tibi, sit ille maledíctus, et qui benedíxerit tibi, benedictiónibus repleátur! Tu.

Responsorium



Det tibi Deus de rore cæli et de pinguédine terræ abundántiam, sérviant tibi tribus et pópuli, # esto dóminus fratrum tuórum! **V.** Et incurvéntur ante te filii matris tuæ! **Esto** dóminus.

In secundo nocturno

Antiphona



Missus sum ad oves, quæ periérunt domus Israel. **Ps.** Consérva.

Versiculus: Ipse liberávit me.

Sermo beáti Ioánnis Chrysóstomi.

Lectio IV.

Portábat Rebécca géminos in útero fratres, ante ortus princípia bellatóres. Certántes filios mater ante sensit, quam novit, ante pátitur, quam videt, ante sústinet, quam agnóscit. Lícuit filiórum bella sentíre, quos nondum lícuit generáre. Certámen inter fratres in útero géritur, bellum inter fratres commíttitur. Matérna víscera quatiúntur, nec ad ortus princípia properátur, sed ante princípia nova certámina celebrántur. Vellem causas tanti certáminis nóscere, vellem istíus pugnæ negótia retractáre: Quid intercésset? Quid factum fúerat? Quæ pugnánda rátio? Quæ causa vincéndi, quo spectatóre id géritur? Quo iúdice celebrátur, quid victóri promíttitur, quid victo econtrário denegátur, quis certáre docúerat? Quis pugnáre monstráverat? Sed notum est cunctis · istórum certámine fratrum · causas duórum éxprimi populórum. Vult enim Deus ante osténdere futúra, quam véniant, ante ventúra monstráre, quam fiant. Tu.

Responsorium



Dum exíret Iacob de terra sua, vidit glóriam Dei, et ait: # Quam terríbilis est locus iste, non est hic áliud, nisi domus Dei, et porta caeli! **V.** Vere Dóminus est in loco isto, et ego nesciébam. **Q**uam.

Lectio V.

Céterum præiudicári non potest pugna, si pugnæ non conséntiant mérita. Sed futurórum præsciús Deus · monstruósum certámen vóluit exercére. Dat certándi afféctus, vincéndi vota osténdit, se spectatórem constitúit, se iúdicem demonstrávit. A Deo géritur certámen, presénte Deo, qui génuít, sed mater certámen sentíre pótuit, vidére non pótuit. Dénique interrogábat Deum: Quid est, quod in útero modo te teste tractátur? Quid est, inquit, Dómine, istud, quod géritur? Quid factúri sunt nati, qui sic luctántur innáti? Aut quæ natórum vota suscípíam, cum sic innatórum luctámíne concútiar? Tu.

Responsorium



Si Dóminus, Deus meus fúerit mecum in via ista, qua ego ambulábo, et custodíerit me, et déderit mihi panem ad edéndum, et vestiméntum, quo opériar, et revocáverit me cum salúte, # erit mihi Dóminus in refúgium, et lapis iste in signum. **V.** Vere Dóminus est in loco isto, et ego nesciébam. **E**rit mihi.

Lectio VI.

Duo sunt, inquit Dóminus, pópuli in útero tuo, et duæ gentes de ventre tuo dividéntur, et pópulus pópulum superábit, et maior sérviet minóri. O, veneránda præsentia Dei, designántur in utrisque frátribus gentes, in síngulis pópuli declarántur, immo ipsi gentes et pópuli nuncupántur, futurárum sóbolum nómina in natos conferúntur, et adhuc innatórum nómina ignorántur. Dicúntur enim paréntes, qui necdum filii nomen accéperant. Appellántur patres, qui nati non fúerant, ut fierent genitóres, ántequam filii, fierent patres, ántequam nati. Ostendúntur ambórum mérita, et operatiónis nondum est causa. Quid quisque merétur, edícitur, et mériti causæ

siléntur. Senténtia a Deo profértur, et adhuc in útero, qui iudicátus est, detinétur. Præcédit mores iudícium, senténtia áctibus prior est, nec exspectátur tempus, ut mérita dispungántur. Tu.

Responsorium



Erit mihi Dóminus in Deum, et lapis iste, quem eréxi in título, vocábitur domus Dei. Et de univérsis, quæ déderis mihi, # décimas et hóstias pacíficas ófferam tibi. **V.** Si Dóminus, Deus meus fúerit mecum in via ista, qua ego ámbulo, et custodíerit me. **D**écimas.

In tertio nocturno

Antiphona



O, múlier, magna est fides tua, fiat tibi, sicut petísti! **Ps.** Cæli enárrant. **V.** Scápulis suis.

Secundum Matthæum

In illo témpore. Egréssus Iesus, secéssit in partes Tyri et Sidónis. Et ecce, múlier Chananæa, a fínibus illis egréssa, clamábat, dicens ei: Miserére mei, Dómine, fili David! Et réliqua.

Homélia venerábilis Bedæ presbýteri de eádem leccióné.

Lectio VII.

In leccióné sancti evangéllii, quæ nobis modo lecta est, fratres caríssimi, audívimus magnam mulieris fidem, paciéntiam, constántiam · et humilitátem. Cuius eo magis admiránda est mentis inténtio, quo ipsa quidem útpote gentílis fúnditus erat segregáta doctrínis, nec tamen illis, quæ eádem elóquia prædicant, est priváta virtútibus, habet namque magnam fídei perfectiónem, quæ pietátem Salvatóris implórans, ait: Miserére mei, Dómine, fili David! Tu autem.

Responsorium



Oravit Iacob, et dixit: Dómine, qui dixísti mihi: revértere in terram nativitátis tuæ, # érue me de manu fratris mei, quia valde eum tímeo. **V.** Deus, in cuius conspéctu ambulavérunt patris? mei, Dómine, qui pascis me a iuventúte mea. **E**rue.

Lectio VIII.

Cum enim eúndem Dóminum, quem filium David appéllat, patet profécto, quia verum hunc hóminem · verum credit et Deum, cum pro fília rogans, non illam secum addúcit, non Deum ad eam veníre precátur, constat apertíssime, quod eum verbo salútem posse dare confidit, cuius præséntiam córporis nullam requírit. Sed et in hoc, quod eum post multas lácrimas tandem prostráta adórat, dicens: Dómine, ádiuva me, nequáquam se de eius divína maiestáte ambíguam, cuius adorándam, ut Dei dídidit esse poténtiam. Habet patiéntiæ virtútem non exíguam, quæ Dómino ad primam petitiónem eius, non respondénte verbum, nequáquam a précibus cessat, sed amplióri instántia auxiliúm, quod cœperat, pietátis eius implórat. Tu autem.

Responsorium



Dixit ángelus ad Iacob: dimítte me, auróra est. Respóndit ei: non dimíttam (te), nisi benedíxeris mihi. # Et benedíxit ei in eódem loco. **V.** Benedícens benedícam tibi, et multiplicábo te. **E**t benedíxit ei in.

Lectio IX.

Respóndere autem illi differt Dóminus, non, quia miséricors médicus miserórum preces déspicit, de quo veracíssime scriptum est: Desidérium páuperum exaudivit Dóminus, sed ut perseverántiam mulieris nobis semper imitábilem demonstráret. Quæ, quo magis contémpta videbátur a Dómino, eo ardéntius cœptis perstábat in précibus. Respóndere differt, ut discipulórum quoque suórum misericórdes ánimos, qui quasi hómines, ad clamórem mulieris, públice eos prosequéntis, erubescébant, ad postulándum simul cum ea provocáret, sed ipse temperaméntum misericórdiæ suæ nóverat,

qui ómnia in mensúra et número et póndere dispónit. Respóndere dístulit, ne darétur occásio Iudæis calumniánda, quod géntiles eis in docéndo vel sanándo prætúlerit, ideóque ipsi fidem eius suscípere iuste recusavérunt. Tu autem.

Responsorium: Vidi Dóminum fácie, *ut supra*.

Ad laudes

Antiphona



Dómine, lábia mea apéries, et os meum annuntiábit laudem tuam!

Ps. Miserére.

Antiphona



Déxtera Dómini fecit virtútem, déxtera Dómini exaltávit me. **Ps.**

Confitémini.

Antiphona



Factus est adiútor meus Deus meus. **Ps.** Deus, Deus meus.

Antiphona



Trium puerórum cantémus hymnum, quem cantábant in camíno ignis, benedicétes Dóminum. **Canticum:** Benedícite.

Antiphona



Státuit ea in ætérnum · et in sáeculum sáeculi; præcéptum pósuit, et non præteríbit. **Ps.** Laudáte Dóminum.

Capitulum: Rogámus vos, *ut supra*.

Hymnus



Aures ad nostras deitátis preces, Deus, inclína, pietáte sola súpplícum vota súscipe, precámur, fámuli tui!

Réspice clemens sólio de sancto,
vultu seréno lámpades illústra,
lúmine tuo ténebras depélle
péctore nostro!

Crímína laxa pietáte multa,
áblue sordes, víncula dirúmpe,
parce peccátis, réleva iacéntes
déterta tua!

Te sine tætro mérgimur · profúndo,
lábimur alta scéleris sub unda,
bráchio tuo trahámur ad clara
sídera cæli!

Christe, lux vera, bónitas et vita,
gáudium mundi pietátis imménsa,
qui nos a morte róseo salvásti
sáanguine tuo:

Insere tuum, pétimus, amórem
méntibus nostris, fídei refúnde
lumen ætérnum, caritátis auge
dilectiónem!

Tu nobis dona fontem lacrimárum
ieiuniórum fórtia mínístra,
vítia carnis nímia retúnde
frámea tua!

Procul a nobis pérfidus absístat
Sáthanas, tuis víribus confráctus,
Sanctus assístat Spíritus, a tua
sede dimíssus.

Glória Deo sit ætérno Patri,
sit tibi semper Genitóris Nataë,
cum quo æquális Spíritus per cuncta
sæcula regnat.



Amen.

Versiculus: Scuto circúmdabit te.

Ad Benedictus antiphona



Egréssus Iesus, secéssit in partes Tyri et Sidónis, et ecce, múlier
Chananæa, a finibus illis egréssa, clamábat, dicens: Miserére mei,
Dómine, fili David!

Ad primam

Antiphona: Cum víderis, **ut supra.**

Ad tertiam

Antiphona: Dómine, dimítte. **Psalmus:** Legem. **Capitulum:** Rogámus vos.

Responsorium: Partícipem me fac.

Ad sextam

Antiphona: Missus sum.

Capitulum

Fratres. Scitis, quæ præcepta dederim vobis per Dóminum Iesum, hæc est enim volúntas Dei, sanctificátio vestra, ut abundeátis vos a fornicatióne, ut sciat unusquisque vestrum suum vas possidere · in sanctificatióne et honóre, non in passióne desidérii, sicut et gentes, quæ ignórant Deum. Deo.

Ad nonam

Capitulum

Fratres. Ne quis supergrediátur, neque circumvéniat in negótio fratrem suum, quóniam vindex est Dóminus de his ómnibus, sicut prædiximus vobis, et testificáti sumus! Non enim vocávit nos Deus in immundítiam, sed in sanctificatióne · in Christo Iesu, Dómino nostro. Deo.

Ad vespervas

Antiphona: Advenérunt nobis. **Psalmus:** Dixit Dóminus, **per ordinem.** **Capitulum:** Rogámus vos. **Responsorium:** Vidi Dóminum. **Hymnus:** Audi, benígne. **Versiculus:** Angelis suis.

Ad Magnificat antiphona



Dixit Dóminus mulieri Chananææ: Non est bonum súmere panem filiórum, et mittere cánibus ad manducándum. Utique, Dómine, nam et catélli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominórum suórum. Ait illi Iesus: Múlier, magna est fides tua, fiat tibi, sicut petísti!

FERIA SECUNDA

ad matutinum

Invitatorium: Non sit vobis. **Psalmus:** Veníte.

Secundum Ioannem

In illo témpore. Dixit Iesus turbis Iudæórum: Ego vado, et quæritis me, et in peccáto vestro moriémini. Et réliqua.

Homéliea beáti Augustíni epíscopi.

Lectio I.

Locútus est Dóminus Iudæis, dicens: Ego vado, et quæritis me, non desidério, sed ódio. Nam illum posteáquam recéssit ab óculis hóminum, inquisiérunt, et qui óderant, et qui amábant. Illi persequéndo, illi habére cupiéndo. In psalmo ait · ipse Dóminus per prophétam: “Périit fuga a me, et non est, qui requírat ánimam meam.” Et íterum ait álio loco in psalmis: “Confundántur et revereántur · requiréntes ánimam meam.” Culpávit, qui non requirerent, damnávit, qui requirerent. Malum est enim non quærere ánimam Christi, sed quómodo eam quæsiérunt discípuli, et malum est quærere ánimam Christi, sed quómodo eam quæsiérunt Iudæi. Illi enim, ut habérent, illi, ut pérderent. Tu autem.

Responsorium: Tolle arma, *ut supra.*

Lectio II.

Dénique isti, quia sic quærébant in ore malo, corde perverso quid secútis adiúnxit? Quæritis me, et ne putétis, quia bene me quæritis, in peccáto vestro moriémini, hoc est Christum male quærere in peccáto suo mori, hoc est illum odísse, per quem solum posset salvus esse. Cum enim hómines, quorum spes in Deo est, non débeant mala réddere pro malis, reddébant isti mala pro bonis, prænuntiávit ergo illis Dóminus, dixítque senténtiam, præsciús, quod in peccáto suo moreréntur, deínde adiúngit: “*Quo ego vado, vos non potéstis veníre.*” Hoc et discíplis suis álio loco dixit, nec tamen eis dixit: “*In peccáto vestro moriémini.*” Quid autem dixit, quod et istis? “*Quo ego vado, vos veníre non potéstis.*” Modo · non ábstulit spem, sed prædixit dilatiónem. Quando enim hoc discíplis Dóminus loquebátur, ipsi

non póterant ire, quo ille ibat, sed póstea ventúri erant. Isti autem numquam, quibus præsciús dixit: *"In peccáto vestro moriémíni."* Tu.

Responsorium: Ecce, odor filii.

Lectio III.

His audítis verbis, quómo do solent carnália cogitántes et secúndum carnem iudicántes, et totum carnáliter audiéntes atque sapiéntes, dixerunt: *"Numquid interficiet semetípsum, quia dixit: quo ego vado, vos non potéstis veníre?"* Stulta verba omníno, et insipiéntia plena; quid enim non póterant illo veníre, quo ille perrexísset, si interficeret semetípsum, numquid non ipsi erant moritúri; quid est ergo: numquid interficiet semetípsum, quia dixit: quo ego vado, vos non potéstis veníre; si de morte hóminis diceret, quis homo non móritur? Ergo, quo ego vado, dixit, non, quo itur ad mortem, sed quo ibat ipse post mortem; illi úti que non intelligéntes, ista respondérunt. Tu.

Responsorium: Det tibi Deus, *ut supra.*

[Ad laudes]

Capitulum

In diébus illis. Orávit Dániel, dicens: Dómine, Deus noster, qui eduxísti pópulum tuum de terra Ægýpti in manu forti, et fecísti tibi nomen secúndum diem hanc: peccávimus, iniquitátem fécimus, Dómine, in omnem iustítiam tuam avertátur, obsécro, ira tua, et furor tuus a civitáte tua, Ierúsalem, in monte sancto tuo! Deo.

Hymnus: Aures ad nostras.

Ad Benedictus antiphona



Ego princípium, qui et loquor vobis.

Oratio

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut familia tua, quæ se affligendo carne ab alimentis abstinet, sectando iustitiam a culpa ieiunet. [Per.]

Antiphona: Vivo ego, dicit.

Super populum oratio

Adesto supplicationibus nostris, omnipotens Deus: et quibus fiduciam sperandæ pietatis indulges, consuetæ misericordiæ tribue benignus effectum! Per.

Ad horas, ut in præcedenti dominica.

Ad sextam**Capitulum**

Oravit Dániel, dicens: Exáudi, Deus noster, orationem servi tui · et preces eius, et ostende faciæ tuam super sanctuárium tuum, quod desértum est, propter temetípsum inclína, Deus meus, aurem tuam, et audi, áperi óculos tuos, et vide desolationem nostram, et civitatem, super quam invocátum est nomen tuum! Deo.

Ad nonam**Capitulum**

Oravit Dániel, dicens: Exáudi, Dómine, placáre, Dómine, atténde et fac, ne moréris propter temetípsum, Deus meus, quia nomen tuum invocátum est super civitatem et super pópulum tuum, Dómine, Deus noster! Deo.

[Ad vesp̄eras]

Ad Magnificat antiphona



Qui me misit, mecum est, et non reliquit me solum, quia, quæ plácita sunt ei, fácio semper.

FERIA TERTIA

[ad matutinum]

Secundum Matthæum

In illo tēpore. Locútus est Iesus ad turbas et ad discípulos suos, dicens: Super cáthedram Móysi sedérunt scribæ et pharisæi. Et réliqua.

Homélia beáti Hieronými presbýteri.

Lectio I.

Quid mansuétius, quid benignius Dómino; tentátur a pharisæis, et confrigúntur insídiæ eórum. Et secúndum psalmístam: “Sagittæ parvulórum factæ sunt plagæ eórum.” Et nihil omnínus propter sacerdotium et nóminis dignitátem hortátur pópulos, ut subiiciántur eis, non ópera, sed doctrínam considerántes. Quod autem ait: “*Super cáthedram Móysi sedérunt scribæ et pharisæi.*” Per cáthedram doctrínam legis osténdit. Ergo et illud, quod dicit in psalmo: “In cáthedra pestilentíæ non sedit”, et cáthedras vendéntium colúmbas evértit, étiam per cáthedram doctrínam debémus accíperere. Alligant autem ónera grávia et importabília, et impónunt ea in húmeros hóminum, dígitó autem suo nolunt ea movére, hoc generáliter advérsus omnes magístros dictum est, quia grándia iubent, et minóra non fáciunt. [Tu.]

Responsorium: Dum exíret.

Lectio II.

Notándum autem, quod et húmeri et dígiti et ónera et víncula, quibus alligántur ónera, spirituáliter intelligénda sunt. “*Omnia vero ópera sua fáciunt, ut videántur ab homínibus.*” Quicúmque ígitur ista facit quælibet, ut videántur ab homínibus, scriba est et pharisæus. “*Dilátant autem phylactéria sua, et magníficant fimbrias, amant quoque primos accúbitus in cenis, et primas cáthedras in synagógis, et salutatiónes in foro, et vocári ab homínibus rabbi.*” Tu.

Responsorium: Si Dóminus, Deus meus, **ut supra.**

Lectio III.

Væ vobis, míseris, ad quos pharisæórum vítia transiérunt! Dóminus, cum dedisset mandáta legis per Móysen, ad extrémum íntulit. “Ligábis eum in manu tua, et erunt immóta ante óculos tuos.” (kell az idézőjel?) Et est sensus: Præcépta mea sint in manu tua, ut ópere compleántur, sint ante óculos tuos, ut die ac nocte meditéris in eis! Hæc pharisæi, male interpræténtes, scribébant in membránulis decalógum Móysi, id est decem legis verba, complicántes ea, et ligántes in fronte, et quasi corónam cápiti suo faciéntes, ut semper ante óculos moveréntur, quod usque hódie Indi, Persæ et Babylónii faciunt. Et qui hoc habúerit, quasi religiósus inter hómines iudicátur. Tu.

Responsorium: Erit mihi.

[Ad laudes]

Capitulum

In diébus illis. Factus est sermo Dómini ad Elíam Thesbíten, dicens: Surge, et vade in Saréphta Sidoniórum, et manébis ibi, præcépi enim ibi mulieri víduæ, ut pascat te. Deo.

Ad Benedictus antiphona

Unus est enim magíster vester, qui in cælis est, dicit Dóminus.

Oratio

Pérfice, quæsumus, Dómine, miserátus in nobis observántiæ sanctæ subsidium, ut quæ te auctóre faciéndam cognóvimus, te operánte impleámus. [Per.]

Super populum oratio

Propitiáre, Dómine, supplicatióibus nostris, et animárum nostrárum medére languóribus, ut remissionem percépta, in tua semper benedictiône vivámus! Per.

Ad sextam

Capitulum

Surréxit Elías, et ábiit in Saréphtam; cumque venísset ad portam civitátis, apparuit illi múlter vídua, cólligens ligna, et vocávit eam, dixítque ei: Da mihi páululum aquæ in vase, ut bibam! Cumque illa pérgeret, ut afférret, clamávit post tergum eius, dicens: Affer mihi, obséco, et buccéllam panis im manu tua! Deo.

Ad nonam

Capitulum

Abiit múlter, et fecit iuxta verbum Elíæ, et comédit ipse et illa et domus eius, et ex illa die hýdria farínæ non defécit, et lécythus ólei non est imminútus iuxta verbum Dómini, quod locútus est in manu Elíæ. Deo.

[Ad vespas]

Ad Magnificat antiphona



Qui maior est vestrum, erit miníster vester, quia omnis, qui se exáltat, humiliábitur, dicit Dóminus.

FERIA QUARTA

[ad matutinum]

Secundum Matthæum

In illo tēpore. Ascēdens Iesus Ierosólymam, assúmpsit duódecim discípulos suos, et ait illis: Ecce, ascēdimus Ierosólymam, et Fílius hóminis tradétur princípibus sacerdotum · et scribis, et condemnábunt eum morte. Et réliqua.

Homélia beáti Ambrósii epíscopi.

Lectio I.

Considerándum est, quæ mater filiórum Zebedæi cum filiis et pro filiis petat, mater est útique, cui pro filiórum honóre sollícite immoderatióne quidem, sed ignoscēda mensúra votórum est, atque mater ætáte longæva, stúdio religiósa, solátio destitúta, quæ tunc tēporis, quando vel iuvánda vel alénda foret, válide prolis auxílio abesse sibi líberos patiebátur, et voluntáti suæ mercédem sequéntium Christum prætúlerat filiórum, qui prima voce vocáti a Dómino, ut légimus, relíctus rétibus et patre, secúti sunt eum. Tu.

Responsorium: Orávit Iacob, *ut supra.*

Lectio II.

Hæc ígitur stúdio matérnæ sedulitátis indulgéntior obsecrábat Salvatórem, dicens: *“Dic, ut sédeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et álius ad sinístram in regno tuo!”* Et si error pietátis tamen error est, nésciunt enim víscera matérna patiéntiam, et si voti avára, tamen venerábilis est cupiditas, quæ non pecúniæ ávida est, sed grátiae, nec verecúnda petítio, quæ non sibi, sed líberis consulébat; matrem consideráte, matrem cogitáte! Tu autem.

Responsorium: Dixit ángelus.

Lectio III.

Sed nihil mirum, si vilis vobis vidétur circa fílios afféctus paréntum, qui étiam omnipoténtis Patris vilem putátis esse circa unigénitum Fílium caritátem, Dóminus cæli atque terrárum verecundabátur, ut secúndum assumptiόνem carnis loquar, verecundabátur, inquam, et ut ipsíus verbo utar, confundebátur, matri pro filiis postulánti, étiam

suae sedis consórtium denegáre, vos ætérni Dei Fílium próprium intérdum pro ministério stare conténditis, intérdum famulatórium, hoc est non ex maiestátis unitáte, sed ex Patris præceptióne vultis eius esse consénsu, et negátis hoc Deo vero Dei Fílio, quod ille homínibus apte vóluit denegáre, considerábat enim matris dilectiónem, quæ filiórum mercéde grandævam solabátur ætátem, et desidériis, licet fessa matérnis, carissimórum pignórum tollerábat abséntiam. Tu autem.

Responsorium: Vidi Dóminum.

[Ad laudes]

Capitulum (Ez nem így van a Bibliában???)

In diébus illis. Orávit Esther ad Dóminum, dicens: Dómine, Deus, rex omnípotens, in tua dicióné cuncta sunt pósita, et non est, qui te possit resístere voluntáti; si decreveris salvári nos, contínuo liberábimur. Deo.

Hymnus: Aures ad. **Versiculus:** Scuto circúmdabit te.

Ad Benedictus antiphona



Ecce, ascéndimus Ierosólymam, et Fílius hóminis tradétur, ut crucifigátur.

Oratio

Pópulum tuum, quæsumus, Dómine, propítius réspice, et quos ab escis carnálibus præcipis abstinére, a nóxiis quoque vítiis cessáre concéde. [Per.]

Super populum oratio

Deus, innocéntiæ restitútor et amátor: dírige ad te tuórum corda servórum, ut spíritus tui fervóre concépto, et in fide inveniántur stábiles, et in ópere effícaces. Per eiúsdem.

Ad sextam

Capitulum

Orávit Esther ad Dóminum, dicens: Tu, Dómine, fecísti cælum et terram, et quicquid cæli ámbitu continétur, tu es Dóminus ómnium, et non est, qui resístat maiestáti tuæ, et nunc, Dómine, rex regum, Deus Abraham, miserére pópulo tuo! Deo.

Ad nonam

Capitulum

Orávit Esther ad Dóminum, dicens: Ne despicias, Dómine, partem tuam, qua redemísti tibi, sed exáudi deprecationem nostram, et propítius esto sorti et funículo hereditátis tuæ, et convérte luctum nostrum in gáudium, ut vivéntes laudémus nomen tuum, et ne perdas ora canéntium te, Dómine, Deus noster! [Deo.]

[Ad vespervas]

Ad Magnificat antiphona



Tradétur enim géntibus ad illudéndum et flagellándum et crucifigéndum.

FERIA QUINTA

[ad matutinum]

Secundum Lucam

In illo tēpore. Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: Homo quidam erat dives, et induebatur púrpura et bysso, et epulabatur cottídie spléndide. Et réliqua.

Homéliea beáti Gregórii papæ.

Lectio I.

Quem, fratres caríssimi, quem dives iste, qui induebatur púrpura et bysso, et epulabatur cottídie spléndide, nisi Iudáicum pópulum signat, qui cultum vitæ extérius hábuit, qui, accéptæ legis delíciis, adiutórem usus est glóriæ, non ad utilitátem? Quem vero Lázarus ulcéribus plenus, nisi géntilem pópulum figuráliter éxprimit, qui dum convérsus ad Deum, peccáta sua confitéri non erúbuit? Huic vulnus in cute fuit. In cutis quippe vúlnerē · virus a viscéribus tráhitur, et foras erúmpit. Quid est ergo peccatórum conféssio, nisi quædam vúlnerum rúptio, quia peccáti virus salúbriter aperitur in conféssione, quod pestífere latébat in mente. Tu.

Responsorium: Tolle arma, ut supra.

Lectio II.

Vúlnera etenim cutis in superficiem trahunt humórem putrédinis, et confiténdo peccáta, quid áliud ágimus, nisi malum, quod in nobis latébat, apérimus; sed Lázarus vulnerátus cupiébat saturári de micis, quæ cadébant de mensa dívitis, et nemo illi dabat, quia géntilem quemquam ad cognitióem legis admíttere supérbus ille pópulus despiciébat, qui dum doctrínam legis non ad caritátem hábuit, sed ad elatióem, quasi de accéptis opéribus tímuit, et quia verba defluébant de sciéntia, quasi micæ cadébant de mensa. Tu autem.

Responsorium: Ecce, odor.

Lectio III.

Ad contra iacéntis páuperis vúlnera lingébanť canes, nonnúnquam solent in sacro elóquio per canes prædicatóres intélligi. Canum etenim lingua vulnus, dum lingit, curat, quia et doctóres sancti, dum

in confessi6nem peccati nostri nos instruunt, quasi vulnus mentis per linguam tangunt, et quia nos loquendo a peccatis eripiunt, quasi tangendo v6lnera, ad salutem reduciunt, quia enim canum nomine praedicatorum lingua signatur, audi D6minum per psalmistam, dicentem: Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso. Tu autem.

Responsorium: Det tibi Deus.

[Ad laudes]

Capitulum

Haec dicit D6minus. Maledictus homo, qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum, et a D6mino recedit cor eius, erit enim, quasi myrice in deserto, et non videbit, cum venerit bonum, sed habitabit in siccitate in deserto, in terra salsuginis et inhabitabili. Deo.

Ad Benedictus antiphona



Pater Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam!

Oratio

Præsta nobis, D6mine, quæsumus, auxiliium gratiæ tuæ, ut ieiuniis et orationibus convenient intenti, liberemur ab hostibus mentis et corporis. [Per.]

Super populum oratio

Adesto, D6mine, famulis tuis, et perpetuam benignitatem largire poscentibus, ut qui te auctore et gubernatore gloriantur, et congregata restaures, et restaurata conserves! Per.

Ad sextam

Capitulum

Benedíctus vir, qui confídit in Dómino, et erit Dóminus fidúcia eius, et erit, quasi lignum, quod transplantátur super aquas, quod ad humórem mittit radíces suas, et non timébit, cum vénerit æstus, sed erit fólium eius víride, et in témpore siccitátis non erit sollícitum, nec aliquándo désinit fácere fructum. Deo.

Ad nonam

Capitulum

Pravum est cor hóminis et inscrutábile; quis cognóscet illud? Ego Dóminus, scrutans cor et probans renes, qui do unicuíque iuxta viam suam, et iuxta fructum adinventiónum suárum, dicit Dóminus omnípotens. Deo.

[Ad vesperas]

Ad Magnificat antiphona



Fili, recordáre, quia recepísti bona in vita tua, et Lázarus simíliter mala.

FERIA SEXTA

[ad matutinum]

Secundum Matthæum

In illo tēpore. Dixit Iesus discípulis suis et turbis Iudæórum: Homo erat paterfamílias, qui plantávit víneam, et sepe circúm dedit eam. Et réliqua.

Homélia beáti Ambrósii epíscopi.

Lectio I.

Pleríque várias significatiónes de víneæ appellatióne derívant, sed evidénter Isaías víneam Dómini Sábaoth · domum Israel commémorat. Hanc víneam quis álius, nisi Deus cóndidit, hic est ergo, qui locávit eam, et pégre proféctus est, non, quia de loco ad locum proféctus est Dóminus, qui ubíque semper præsens est, sed quia præsentior est diligéntibus, negligéntibus abest, multis ante tempóribus ábfuit, ne própera viderétur exáctio, nam quo indulgéntior liberálitas, eo inexcusábilior pernícátia. Unde bene secúndum Matthæum habes, quia et sepe circúm dedit, hoc est divínæ custódiæ munitiÓne vallávit, ne fácte páteret incursiÓnibus bestiárum. Tu autem.

Responsorium: Dum exíret.

Lectio II.

“Et fodit in ea tórcular.” Quómodo ergo intelligimus, quid sit tórcular, nisi forte, quia psalmi de torculáribus inscribúntur, eo quod in his mystéria dominicæ passiónis modo musti fervénte spírítu prophetárum ardéntius ferbuérunt? Dénique ébrii putabántur, quibus Spírítus Sanctus inundábat. Ergo et hoc fodit tórcular, in quod uvæ ratiÓnalis fructus intérior spírítuali infusiÓne deflúeret. Ædificávit turrim, vérticem scílicet legis attóllens, atque ita hanc víneam munitam, instrúctam, ornátam · locávit Iudæis, et tēpore frúctuum pósuit non provéntuum, nullus enim fructus éxstitit Iudæórum, nullus víneæ huius provéntus, déniq; Dóminus ait: *“Exspectábam, ut fáceret uvas, fecit autem spinas.”* Tu autem.

Responsorium: Si Dóminus, Deus.

Lectio III.

Itaque non lætitiæ vino, non spirituáli musto, sed cruénto prophetárum sángine torculária redundárunť. Dénique Ieremías in lacum missus est, hæc enim erant iam torculária Iudæórum non vino repléta, sed rubóre. Et licet prophétæ generáliter videántur éxprimi, dat tamen léctio, ut illum, qui lapidátus est, Naboth esse credámus, cuius et si nullum accepérimus verbum, accépimus tamen prophéticum factum, quia multos pro hac vínea futúros mártýres próprio sángine prophétávit. Quis autem est ille, qui in cápite vulnerátus est, nimirum Isaías, cuius facílius compágem córporis serra dívísit, quam fidem inclinávit, constántiam ne detrívit, aut vigórem mentis exsécut? Tu. Na ebból egy kukkot sem értek.

Responsorium: Erit mihi Dóminus.

[Ad laudes]

Capitulum

In diébus illis. Dixit Ioseph frátribus suis: Audíte sómnum meum, quod vidi: Putábam ligáre nos manípulos in agro, et quasi consúrgere manípulum meum, et stare vestróque manípulos circumsántes, adoráre manípulum meum. Deo.

Ad Benedictus antiphona

Malos male perdet, et víneam suam locábit áliis agrícólis, qui reddent ei fructum tempóribus suis.

Oratio

Da, quæsumus, omnípotens Deus, ut sacro nos purificánte ieiúnio, sincéris méntibus ad sancta ventúra nos fácias perveníre. Per.

Super populum oratio

Da, quæsumus, Dómine, pópulo tuo salútem mentis et córporis, ut bonis opéribus inheréndo, tuæ semper virtútis mereátur protectióne deféndi. Per.

Ad sextam

Capitulum

Aliud quoque sómnum vidit Ioseph, quod narrans frátribus, ait: Vidi per sómnum, quasi solem et lunam et stellas úndecim · adoráre me. Deo.

Ad nonam

Capitulum

Audiens autem hæc Ruben, nitebátur liberáre Ioseph de mánibus fratrum suórum, et dicébat: Non interficiámus ánimam eius, nec effundámus sánguinem, sed proiícite eum in cistérnam hanc, quæ est in solitúdine, manúsque vestras serváte innóxias! Hoc autem dicébat, volens erípere eum de mánibus eórum, et réddere patri suo. Deo.

[Ad vespervas]

Ad Magnificat antiphona



Quæréntes eum tenére, timuérunt turbas, quia sicut prophétam eum habébant.

SABBATO

[ad matutinum]

Secundum Lucam

In illo tēpore. Dixit Iesus discipulis parabolam hanc: Homo quidam hábuit duos filios, et dixit adolescētiōri ex illis patri: Pater, da mihi portiónem substántiæ, quæ me contíngit. Et réliqua.

Homélia beáti Ambrósii epíscopi.

Lectio I.

Vides, quod divínium patrimónium peténtibus datur, nec putes culpam patris, quod adolescentiōri dedit; nulla Dei regno infírma ætas, nec fides gravátur annis, ipse certe se iudicávit idóneum, qui popóscit, atque útinam non recessísset a patre, impediméntum nescísset ætátis, sed póstea, quam péregre proféctus est. Tu.

Responsorium: Orávit Iacob.

Lectio II.

Mérito ergo prodégit patrimónium, qui recéssit ab Ecclésia, póstea, quam domum, inquit, pátriam derelínquens, péregre proféctus est in regiónem longínquam. Quid est longínquius, quam a se recédere, nec regiónibus, sed móribus separári, stúdiis discrétum esse non terris, et quasi interfúso luxúriæ sæculáris æstu, divórtia habére sanctórum? Tu.

Responsorium: Dixit ángelus.

Lectio III.

Etenim qui se a Christo séparat, exsul est pátriæ, cuius mundi est, sed nos non sumus ádvenæ atque peregríni, sed sumus cives sanctórum et doméstici Dei, qui enim erámus longe, facti sumus prope in sánguine Christi, non invideámus de longínqua regione redeúntibus, quia et nos fúimus in regione longínqua, sicut Isaías docet, sic enim habes: “Qui sedébant in regione umbræ mortis, lux orta est eis.” Régio ergo longínqua · umbra mortis, nos autem, quibus spíritus ante fáciem Christus est, Dóminus, in umbra vívimus Christi, et ídeo dicit Ecclésia: “In umbra eius concupívi et sedi.” Tu.

Responsorium: Vidi Dóminum.

[Ad laudes]

Capitulum

In diébus illis. Dixit Rebécca filio suo, Iacob: Audívi patrem tuum, loquéntem cum Esau, fratre tuo, et dicéntem ei: Affer mihi de venatióne tua, et fac cibos, ut cómedam, et benedícam tibi coram Dómino ántequam móriar. Nunc ergo, fili mi, acquiésce consíliis meis, et pergens ad gregem, affer mihi duos hædos óptimos, ut fáciam ex eis escas patri tuo, quibus libénter vescítur! Quas, cum intúleris et coméderit, benedícat tibi, priúsqvam moriátur. Deo.

Ad Benedictus antiphona



Dixit autem pater ad servos suos: Cito proférte stolam primam, et indúite illum, et date ánnulum in manus eius, et calceaménta in pedes eius!

Oratio

Da, quæsumus, Dómine, efféctum nostris ieiúniis salutárem, ut castigátio carnis assúpta · ad nostram vegetatiónem tránseat animárum. [Per.]

Super populum oratio

Famíliam tuam, quæsumus, Dómine, contínua pietáte custódi, ut qui in sola spe grátiae cæléstis innítitur, cælésti étiam protectióne muniátur. Per.

Ad sextam

Capitulum

Benedicénsque Isaac Iacob, ait: Ecce, odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedíxit Dóminus; det tibi Deus de rore cæli · et de pinguédine terræ abundántiam fruménti et vini et ólei, et sérviant tibi pópuli, et adórent te tribus; esto Dóminus fratrum tuórum, et incurvéntur ante te fílii matris tuæ; qui maledíxerit tibi, maledíctus erit, et qui benedíxerit tibi, benedictiónibus repleátur. Deo.

Ad nonam

Capitulum

Ait Esau ad Isaac, patrem suum: Num unam, inquit, tantum benedictionem habes, pater? Mihi quoque, obsécro, ut benedícas! Cumque eiulátu magno fleret, motus Isaac, dixit ad eum: In pinguédine terræ et in rore cæli désuper erit benedíctio tua. Deo.

DOMINICA TERTIA

ad vesperas

Antiphona: Advenérunt nobis. **Psalmus:** Benedíctus.

Capitulum

Fratres. Estóte imitatóres Dei, sicut fílii caríssimi, et ambuláte in dilectióne, sicut et Christus diléxit nos, et trádedit semetípsum pro nobis, oblatiónem et hóstiam Deo in odórem suavitátis. Deo.

Responsorium



Lamentabátur Iacob de duóbus filiis suis: Heu me doléntem nímium de Ioseph pérdito, et tristis nimis de Beniámin, ducto pro alimónio! # Precor caeléstem regem, ut me, doléntem nímium, fáciat eos cérnere!

V. Prostérnens se Iacob, veheménter cum lácrimis pronus in terram, et exórans, ait: **P**recor.

Hymnus



Iam ter quatérnis tráhitur horis dies ad vésperum, occásus sol prænúntiat · noctis redíre témpora.

Nos ergo signo Dómini
tutémus cláustra péctori,
ne serpens ille cállidus ·
intrándi tentet áditum!

Sed armis pudicítiae
mens fulta vigil líbere,
sobrietáte cómite,
hostem repéllat ímprobum!

Sed nec cibóru crápula
tandem disténtet córpora,
ne vi per somnum ánimas
ludificátas pólluat!

Glória tibi, Dómine,
glória Unigénito,
una cum Sancto Spírítu ·
in sempitérna sáecula!



Amen.

Versiculus: Angelis suis.

Ad Magnificat antiphona



Fili, tu semper mecum es, et ómnia mea tua sunt, epulári autem et
gaudére oportébat, quia frater tuus mórtuus fúerat, et revíxit,
períerat, et invéntus est.

Oratio

Quáesumus, omnípotens Deus, vota humílium réspice, atque ad
defensiónem nostram · délixteram tuæ maiestátis exténde! Per.

Ad completorium

Antiphona: Miserére mihi, Dómine. **Psalmus:** Cum invocárem. **Hymnus:** Christe, qui
lux. **Capítulum:** Frange esuriénti.

Responsorium



In pace in idípsum # dórmiám et requiéscam. **V.** Si dédero somnum
oculis meis, et pálpebris meis dormitatiónem. **D**órmiám.

Versiculus: Scuto circúmdabit.

Ad Nunc dimittis antiphona



Média vita in morte sumus; quem quærimus adiutórem, nisi te, Dómine, qui pro peccátiis nostris iuste irascéris? **V.** Dum conturbáta fúerit ánima nostra, misericórdiæ memor esto, Dómine, # sancte Deus! **V.** Ne proiicias nos in témpore senectútis, cum defécerit virtus nostra, ne derelínquas nos, Dómine, # sancte fortis! **V.** Ne perdíderis nos cum iniquitátibus nostris, neque in fine irátus, resérves mala nostra, Dómine, # sancte et miséricors Salvátor, amáre morti ne tradas nos!

Ad matutinum

Invitorium



Adorémus Deum, # quia ipse fecit nos. **Ps.** Veníte.

In primo nocturno

Antiphona



Si in dígito Dei eíicio dæmónia, profécto venit in vos regnum Dei. **Ps.** Beátus vir.

Versiculus: Dicit Dómino.

Lectio I.

Ioseph, cum sédecim esset annórum, pascébat gregem patris sui adhuc puer, et erat cum fíliis Balæ et Zelfhæ uxórum patris sui, accusavítque fratres suos apud patrem suum crímine péssimo. Israel autem diligébat Ioseph super omnes fílios suos, eo quod in senectúte genuísset eum, fecítque ei túnica[m] polýmitam. Vidéntes autem fratres eius, quod a patre plus cunctis fíliis amarétur, óderant eum, nec póterant ei quicquam pacíficum loqui. Accidit quoque, ut visum sómniū referret frátribus suis, quæ causa maióris ódii seminárium fuit. Dixítque ad eos: Audíte sómniū meum, quod vidi: Putábam ligáre nos manípulos in agro, et quasi consúrgere manípulum meum, et stare, vestróque manípulos circumstántes · adoráre manípulum meum. Respondérunt fratres eius: Numquid rex noster eris, aut subiiciémur ditióni tuæ? Hæc ergo causa somniórum aut sermónum invidiæ et ódii fómitem ministrávit. [Tu.]

Responsorium



Vidéntes Ioseph a longe, loquebántur mútuo fratres, dicéntes: # Ecce, somniátor venit, veníte, occidámus eum, et videámus, si prosint illi sómnia sua! **V.** Cumque vidíssent Ioseph fratres sui, quod a patre cunctis frátribus plus amarétur, óderant eum, nec póterant ei quicquam pacífice loqui, unde et dicébant: **Ecce.**

Lectio II.

Aliud quoque sómniū vidit Ioseph, quod narrans frátribus, ait: Vidi per sómniū, quasi solem, lunam et stellam undecim, adoráre me. Quod cum patri suo et frátribus retulísset, increpávit eum pater, et dixit: Quid sibi vult hoc sómniū, quod vidísti? Num ergo et mater tua et fratres tui adorábimus te super terram? Invidébant ígitur ei fratres sui, pater vero rem tácitus considerábat. Cumque fratres illíus, in pascéndis grégibus, patris moraréntur in Sichem, dixit ad eum Israel: Fratres tui pascunt oves in Síchimis, veni, mittam te ad eos, quo respondénte, præsto sum, ait. Dixítque ei: Vade, et vide, si cuncta próspéra sint erga fratres tuos et pécora, et renúntia mihi, quid agátur! Missus de valle Hebron, venit in Sichem, invenítque eum vir errántem in agro, et interrogávit, quid quæreret. At ille respóndit: Fratres meos quæro; índica mihi, ubi pascant

greges! Dixitque ei vir: Recesserunt de loco isto: Audívi autem eos, dicéntes: Eámus in Dóthain. Tu autem.

Responsorium



Dixit Iudas frátribus suis: Ecce, Ismaelítæ tránseunt, veníte, venundétur, et manus nostræ non polluántur, # caro enim et frater noster est! V. Cumque abiísset Ruben ad púteum, et non invenísset eum, scissísque véstibus, pergens ad fratres, ait: Puer non compáret, et ego quo ibo? Caro enim.

Lectio III.

Perréxit Ioseph post fratres suos, et invénit eos in Dóthaim. Qui cum vidíssent eum procul, ántequam accéderet ad eos, cogitavérunt eum occídere, et mútuo loquebántur: Ecce, somniátor venit, veníte, occidámus eum, et mittámus in cistérnam véterem, dicémusque: Fera péssima devorávit eum, et tunc apparébit, quid illi prosint sómnia sua. Hoc áudiens Ruben, nitebátur liberáre eum de mánibus eórum, et dicébat: Non interficiámus ánimam eius, nec effundámus sánguinem, sed proiícite eum in cistérnam hanc, quæ est in solitúdine, manúsque vestras serváte innóxias! Hoc autem dicébat, volens erípere eum de mánibus eórum, et réddere patri suo. Conféstim ígitur, ut pervénit ad fratres, nudavérunt eum túnica talári et polýmita, miserúntque in cistérnam, quæ non habébat aquam, et sedéntes, ut coméderent panem, vidérunt viatóres Ismaelítas veníre de Gálaad, et camélos eórum portántes arómata et resínam et stacten in Ægýptum. Dixit ergo Iudas frátribus suis: Quid nobis prodest, si occidérimus fratrem nostrum, et celavérimus sánguinem ipsíus? Mélius est, ut venundétur Ismaelítis, et manus nostræ non polluántur, frater enim et caro nostra est. Acquievérunt fratres sermónibus eius, et prætereúntibus m?adiánitis negotiátoribus, extrahéntes eum de cistérna, vendidérunt vigínti argénteis, qui duxérunt eum in Ægýptum. Reversúsque Ruben ad cistérnam, non invénit púerum, et scissis véstibus, pergens ad fratres, ait: Puer non compáret, et ego quo ibo? Tu autem.

Responsorium



Videns Iacob vestiménta Ioseph, scidit vestiménta sua cum fletu, et ait: Fera péssima devorávit fílium meum, Ioseph. **V.** Vide, si túnica fílii tui sit, an non; et cum vidísset pater, ait: **Fera** péssima.

In secundo nocturno

Antiphona



Dum fortis armátus custódit átrium suum, in pace sunt ómnia, quæ póssidet. **Ps.** Consérva.

Versiculus

V. Ipse liberávit me de láqueo venántium.

R. Et a verbo áspero.

Sermo beáti Ioánnis epíscopi.

Lectio IV.

Distráhitur ígitur Ioseph sanctus in Ægýptum, acceptúrus totíus provínciæ dominátum; venúndatur in servum, in fámulum addícitur, in innocéntem fratérna crudéлитas operátur; suscépit servitútis notam, quem Dóminus præparábat ad glóriam; humiliátur ad tempus imminénti témpore regnatúrus; minístrat ut servus, ut fámulus paret; doméstica complet officia, nec obsequéndo in áliquo deest, ut humilitáte percíperet, quicquid illi ingénuæ mentis glória præstitisset. Adeo in tantum sublimátur in domo régia, tantum fámulis cunctis præfértur, tantum a servis ómnibus honorátur, ut quantum ei Dóminus, tantum ipse famíliæ imperáret. Fit rector et præpósitus domus, fit cunctis ímperans solus, fit domésticæ curæ aptíssimus, sed his prósperis cælésti dono concéssis, tentátio inimíca non defuit. Púdicum iúvenem · matróna appetit impúdica, ut diábolus, qui in eius necem fratres armáverat, contra eum armáret et féminam. Tu.

Responsorium



Ioseph, dum intráret in terram Ægýpti, linguam, quam non nóverat, audívit. # Manus eius in labóribus serviérunt, et lingua eius inter príncipes loquétur sapiéntiam. **V.** Divértit ab onéribus dorsum eius. **M**anus eius.

Lectio V.

Sed tamen hæc suo iudício concídit Deus, qui fratres ab eius parricídio separávit. Deínde solum sola aggréditur, et cum casto púero · incésta múlier fabulátur. Tandem, inquit, quærens optátum ínveni, et ad cupiditátem voluptátis impléndæ, aptíssimum siléntium réperi. Nullus inter nos árbitet testis exístit, nec marítus réperit, nec família recognóscit, nec áliquis de extérnis intérvenit, inter nos sulúmmodo causa est, nullus potest exístere, qui possit, quod gérimus, iudicáre, fac, quod peto, exple ánimum cupiéntem, ut posco, desiderántis preces ne aspérneris, exóro, ego te in munéribus ónerem, ego márító comméndem, ego te libertáte condónem, nec quisquam mihi cáríor te póterit inveníri, si mihi, quod quæro, contígert adipísci. Tu autem.

Responsorium



Meménto mei, dum bene tibi fúerit, # ut súggeras Pharaóni, ut edúcat me de isto cárcere, quia furtim sublátus sum, et hic ínnocens in lacum missus sum. **V.** Tres enim adhuc dies sunt, post quos recordábitur Phárao ministérii tui, et révocat te in gradum prístinum, tunc meménto mei! **U**t súggeras.

Lectio VI.

Frustra, inquit Ioseph, frustra níteris, inimíca tentátio, frustra me innocéntem áppetis, frustra castíssimo mihi lascívix verba immíttis. Ego enim, quod lóqueris, fúgio, quod quæris, nolo, quod desíderas, perhoréscó, solum métuo in cæléstibus Deum, cuius disciplínam servo, integritátem díligo, castitátem custódió. Si enim domus vestræ totam potestátem accépi, si nihil mihi præter te meus dóminus denegávit, quómodo fáciám istud, quod dicis, ut et dominatórem

Deum, et patrónum tam liberáliter offéndam? Nam si in me per mendácium crimen convérteris, et quod nolo, me voluísse defénderis, Dei erit liberáre, quem in præsénti desidério nolo offéndere. Igitur postquam Ioseph mulieris blandiméntis illécebras, et serpentíni oris collóquia aspernátus réspuit, deténtus ab eádem, relíctis véstibus fugit, quæ cum se publicátam conspíceret, vociferáta clamávit, et fácinus, quod vitiósa mente concéperat, in innocéntiæ ipsa convértit, et eum voluísse, quod ipsa non pótuit, accusávit. Tu.

Responsorium



Tóllite hinc vobíscum múnera, et ite ad dóminum terræ, et dum invenéritis, adoráte eum super terram! # Deus autem meus fáciat vobis eum placábilem, et remíttat et hunc fratrem vestrum vobíscum, et eum, quem tenet in vínculis. **V.** Tóllite de frúctibus terræ in vasis vestris, et offérte viro múnera! **D**eus autem.

In tertio nocturno

Antiphona



Qui non cólligit mecum, dispérgit, et qui non est mecum, contra me est. **Ps.** Cæli enárrant.

Versiculus: Scápulis suis.

Secundum Lucam

In illo témpore. Erat Iesus eiíceus dæmónium, et illud erat mutum. Et cum eiecísset dæmónium, locútus est mutus, et mirátæ sunt turbæ. Et réliqua.

Homélia beáti Hieronými presbýteri.

Lectio VII.

Virtútes quidem Dómini nostri, Iesu Christi factas esse in plebe Iudæórum audívimus et crédimus, sed mirácula, quæ nunc legebántur, requirámus. “*Erat, inquit evangelísta, Iesus eíciens dæmónium, et illud erat mutum, et cum eiecísset dæmónium, locútus est mutus, et mirátæ sunt turbæ.*” Homo iste mutus et cæcus · incrédulos significat, omnésque malívolos, qui mandáta Dómini nec opéribus facta, volunt ad imitándum vidére, nec aure cordis ad intelligéndum audíre, qui vínculo infidelitátis et invídiæ in lingua ligáti, et ipsa, audíta Dei mandáta, áliis ínvident dícere, et annuntiáre contémpnunt, sive quod idóla cæca, surda et muta colunt, cæci et muti sunt, dicénte psalmísta: “*Símiles illis fiant, qui fáciunt ea, et omnes, qui confidunt in eis.*” Tu.

Responsorium



Iste est frater vester mínimus, de quo dixerátis mihi? Deus misereátur tibi, fili mi! Festinávítque in domum, et plorávit, # quia erumpébant lácrimæ, et non póterat se continére. **V.** Attóllens autem óculos, vidit Bénéiam stantem, et commóta sunt ómnia víscera eius super fratre suo. **Quia.**

Lectio VIII.

Tria ígitur signa simul in uno hómine isto facta sunt: Cæcus illuminátur, et mutus lóquitur, et posséssus a dæmone liberátur. Quod et tunc quidem carnáliter factum est, sed et cottídie in Sancta Ecclésia géritur, cum per sanctos prædicatóres, quis ab infidelitáte convértitur ad fidem, et expúlso et abrenuntiáto diábolo, cui ante servívit, ad fidei lumen redit, et ad agnitíonem sui pέρvenit creatóris, ac deínde laudem Dei iúgiter ex seípso proférre non désinit, et áliis, quantum valet, verbum veritátis atque ætérnæ salútis annuntiáre conténdit. “*Quidam autem dixerunt: In Beélzebub, príncipe dæmoniórum eícit dæmónia.*” Pharisæi et omnes simul incréduli et perversi · ópera Dei semper calumniántur, quibus ipse Dóminus álibi ait: “*Væ vobis, qui calumniátis regnum cælórum.*” Nec ipsi intrátis, nec álios per invídiam introíre permíttitis. (Hol az idézet vége?) Tu.

Responsorium



Dixit Ruben frátribus suis: Numquid non dixi vobis: nolíte peccáre in púerum, et non audístis me? # En sanguis eius exquíritur. **V.** Mérito hęc pátimur, quia peccávimus in fratrem nostrum; vidéntes angústiam eius, dum deprecarétur nos, et non audívimus. **E**t sanguis.

Lectio IX.

Séquitur: Et álii, tentántes signum de cælo quærébant ab eo. Ipse autem, ut vidit cogitatiónes eórum, dixit: Omne regnum in se divisum desolábitur, et domus supra domum cadet. Cogitatiónes enim hóminum nemo novit, nisi solus Deus; ídeo ergo, quia Iudæi crédere noluérunt in Dóminum Iesum, nos eum ex fide diligámus et timeámus, quia per ipsum facta sunt ómnia, et ipse cogitatiónes et corda ómnium novit, et ipse reddet unicuíque secúndum ópera sua, ideóque non ad dicta eórum, sed cognatió nibus eórum respóndit, ut vel sic compelléntur crédere omnipoténtiam eius, quia dixérunt eum intra se in Beélzebub, id est in potestáte princípis dæmoniórum, non in potestáte Dei eícere dæmónia. Tu.

Responsorium



Salus nostra in manu tua est, Dómine; respíciat super nos misericórdia tua, # ut secúri serviámus tibi! **V.** Vivat ánima tua, Dómine, ut non videámus mortem, neque párvulos nostros deficientes! **U**t secúri.

Ad laudes

Antiphona



Fac benigne in bona voluntate tua, ut ædificentur Dómino muri Ierúsalem! **Ps.** Miserére.

Antiphona



Dóminus mihi adiutor est, non timébo, quid fáciat mihi homo. **Ps.** Confitémini.

Antiphona



Deus misereátur nostri, et benedícat nobis! **Ps.** Deus, Deus.

Antiphona



Vim virtútis suæ oblítus est ignis, ut púeri tui liberéntur illæsi. **Canticum:** Benedícite.

Antiphona



Sol et luna, laudáte Deum, quia exaltátum est nomen eius solúus! **Ps.** Laudáte.

Capitulum, ut supra.

Hymnus



Iam, Christe, sol iustítiæ, mentis diéscant ténebræ, virtútum, ut lux rédeat, terris diem cum réparas!

Da tempus acceptábile,
et pænitens cor tríbue,
convértat, ut benígnitas,
quos longa suffert píetas!

Quidámque pæniténtiæ ·
da ferre quamvis grádium,
maióri tui múnere,
quo démtio sit críminum!

Dies venit, dies tua,
in qua reflórent ómnia,
lætémur in hac ad tuam ·
per hanc redúcti grátiam!

Te, rerum univérsitas,
clemens adóret trínitas,
ac nos novi per véniam ·
novum canámus cánticum!



Amen.

Versiculus: Scuto circúmdabit te.

Ad Benedictus antiphona



Erat Iesus eiiciéntes dæmónium, et illud erat mutum, et cum eiecísset dæmónium, locútus est mutus, et admirátæ sunt turbæ.

Ad primam, ut in aliis dominicis diebus.

Ad tertiam

Antiphona: Si in dígito. **Psalmus:** Legem pone. **Capitulum:** Estóte imitatóres.

Responsorium



Bonum mihi, Dómine, quod humiliásti me, # bonum mihi lex oris tui super mília auri et argénti. **V.** Manus tuæ, Dómine, fecérunt me, et plasmavérunt me; da mihi intelléctum, ut discam mandáta tua! **B**onum mihi.

Versiculus: Dicit Dómino.

Ad sextam

Antiphona: Cum fortis armátus. **Psalmus:** Defécit.

Capitulum

Fratres. Fornicátio et omnis immundítia aut avarítia nec nominétur in vobis, sicut decet sanctos, aut turpitúdo · aut stultilóquium · aut scurrílitás, quæ ad rem non pértinet, sed magis gratiárum áctio! Deo.

Responsorium



Servus tuus ego sum; da mihi intelléctum, Dómine! **V.** Ut discam mandáta tua. **D**a.

Versiculus: Ipse liberávit.

Ad nonam

Antiphona: Qui non cólligit. **Psalmus:** Mirabília.

Capitulum

Fratres. Erátis aliquándo ténebræ, nunc autem lux in Dómino; ut filii lucis, ambuláte! Fructus enim lucis est in omni bonitáte et iustítia et veritáte. Deo.

Responsorium

Declára super nos, Deus # tuam misericórdiam! **V.** Declarátio sermónum tuórum dat intelléctum, Dómine. **T**uam.

Versiculus: Scápulis suis.

Ad secundas vesperas

Antiphona: Advenérunt nobis. **Psalmus:** Dixit Dóminus, *per ordinem*. **Capitulum:** Fratres, estóte imitatóres. **Responsorium:** Salus nostra, *ut supra*. **Hymnus:** Iam ter quatérnis. **Versiculus:** Angelis.

[Ad Benedictus] antiphona

Extóllens quædam múlier vocem de turba, dixit: Beátus venter, qui te portávit, et úbera, quæ suxísti, ac Iesus dixit ei: Quin immo beáti, qui áudiunt verbum Dei, et custódiunt illud.

FERIA SECUNDA

ad matutinum

Invitorium



Promísit enim Dóminus corónam vere vigilántibus. **Ps.** Veníte.

Ad nocturnum

Antiphona: Dóminus, illuminátio. **Psalmus:** *Ipsum.*

Sermo beáti Augustíni epíscopi.

Lectio I.

Dóminus, Deus noster, nolens áliquem nostrum períre, éxcolens Ecclésiám sua[m], velut agrum suum, quærens fructum de arbóribus suis, ántequam secúris véniat, cui necesse erit infructuósas amputáre, non cessat nos admonére, ut cum tempus est nobíscum, cum Dei adiutório, dum in nostra potestáte consistit, bona ópera faciámus. Cum enim tempus transíerit bene operánde, non restat, nisi recipiéndi. Nemo tibi dictúrus est post resurrectiόνem mortuórum in regno Dei: Frange esuriénti panem tuum, et egénos vagósque induc in domum tuam, quia non invénies esuriéntem, nec egéntem. Tu.

Responsorium



Mérito hæc pátimur, quia peccávimus in fratrem nostrum, vidéntes angústiam ánimæ eius, dum deprecarétur nos, et non audívimus, # idcírco venit super nos tribulátio. **V.** Dixit Ruben frátribus suis: Numquid non dixi vobis: nolíte peccáre in púerum, et non audístis me? **I**dcírco.

Lectio II.

Nemo dictúrus est vesti nudum, ubi ómnium túnica immortalis erit; nemo dictúrus est súscipe peregrínos, ubi omnes in pátria sua vivent, nam modo sumus inde peregríni; nemo enim dicet: vísita ægrum, ubi est sempitérna sánitas; nemo dicet: sépeli mórtuum, ubi mors moriétur. Ista ómnia pietátis offícia in vita æténa non erunt necessariá, ubi sola pax erit, et lætítia sempitérna. Tu.

Responsorium



Dixit Ioseph úndecim frátribus suis: Ego sum Ioseph, quem vendidísti in Ægýptum. Adhuc vivit pater noster sénior, de quo dixerátis mihi? # Ite, addúcite eum ad me, ut possit vívere! **V.** Biénnium est enim, quia fames cœpit esse in terra, adhuc restant álii quinque. **Ite.**

Lectio III.

In isto autem témpore novérimus, quantum nobis comméndat Deus ópera misericórdiæ, ipsos suos sanctos égere fecit, ut cum fúerint hic amíci de mammóna iniquitátis, recípiant et ipsi amícos suos in æténa tabernácula, id est, ut cum servi Dei pii, dum iúgiter Deo vacant, aliquótiens índigent illi, qui habent mundi divítias; elemósynas largiántur, quómo modo eos partícipes fáciunt in terréna substántia, sic in illis partem habére merebúntur in vita æténa; hoc dixit propter lectiónem regnórum, quam primo audívimus, ne forte áliquis vestrum tentétur talí cogitatióne, et dicat: Pascham áliquem servum Dei esuriéntem, ut lagéna mea non defíciat, et in cupa mea semper invéniam vinum; noli hoc quærere, sémina secúrus, messis tua sérius véniet, tárdius véniet, sed cum vénerit, finem non habébit. Tu.

Responsorium



Nuntiavérunt Iacob, dicéntes: Ioseph, Fílius tuus vivit, et ipse dominátor in tota terra Ægýpti; quo audíto, revíxit spíritus eius, et dixit: # Súfficit mihi, vadam, et vidébo eum, ántequam móriar. **V.**

Cumque audisset Iacob, quod fílius eius víveret, quasi de gravi somno evígilans, ait: **S**úfficit.

[Ad laudes]

Capitulum

In diébus illis. Náaman, princeps militíæ regis Sýriæ, erat vir magnus coram dómíno suo et honorátus, per illum enim dedit Dóminus salútem Sýriæ. Deo.

Hymnus: Iam, Christe, sol. **Versiculus:** Scuto.

Ad Benedictus antiphona



Amen dico vobis, quia nemo prophéta acceptátus in pátria sua.

Oratio

Córdibus nostris, quæsumus, Dómine, grátiam tuam benígnus infúnde, ut sicut ab escis carnálibus abstinémus, ita sensus quoque nostros a nóxiis retrahámus excéssibus. [Per.]

Super populum oratio

Subvéniat nobis, Dómine, misericórdia tua, ut ab imminéntibus peccatórum nostrórum perículis · te mereámur protegénte salvári. Per.

Ad primam

Antiphona: Cum víderis, **ut supra.**

Ad tertiam

Antiphona: Advenérunt. **Psalmus:** Legem pone, *ut supra*. **Capitulum:** In diébus illis, Náaman. **Responsorium:** Bonum mihi, Dómine, *ut supra*.

Ad sextam

Antiphona: Commendémus. **Psalmus:** Defécit.

Capitulum

Venit ergo Náaman cum equis et cúrribus, et stetit ad óstium domus Eliséi, misítque ad eum Eliséus núntios, dicens: Vade, et laváre sépties in Iordáne, et recípiet sanitátem caro tua, atque mundáberis! Deo.

Responsorium: Servus tuus, *ut supra*.

Ad nonam

Antiphona: Per arma iustítiae. [**Psalmus:** Mirabilia.]

Capitulum

Descéndit Náaman, et lavit in Iordáne sépties iuxta sermónem viri Dei, et restitúta est caro eius, sicut caro púeri párvuli, et mundátus est a lepra, reversúsque est Náaman ad virum Dei cum univérso comitátu suo, venit, et stetit coram eo, et ait: Vere scio, quod non sit álius deus in univérsa terra, nisi tantum Dóminus, Deus Israel. Deo.

Responsorium: Declára super nos, *ut supra*.

Ad <secundas> vespervas

Antiphona: Advenérunt nobis: **Psalmus:** Diléxi. **Capitulum:** In diébus illis, Náaman, princeps.

Responsorium

Esto nobis, Dómine, # turris fortitúdinis. **V.** A fácie inimíci. **T**urris.
Glória. <V>. **E**sto.

Hymnus: Iam ter quatérnis. **Versiculus:** Angelis suis.

Ad Magnificat antiphona

Iesus autem tránsiens per médium illórum, ibat.

Cetera, ut supra.

FERIA TERTIA

[ad matutinum]

Invitorium: Promísit.

Ad nocturnum

Antiphona: Ut non. **Psalmus:** Dixi, custódiam.

Secundum Matthæum

In illo témpore. Respíciens Iesus discípulos suos, dixit Simóni Petro: Si peccáverit in te frater tuus, vade, et córripe eum inter te et ipsum solum. Et réliqua.

Homélia beáti Augustíni epíscopi.

Lectio I.

Quare illum córripis, quia doles, quod peccávit in te? Absit! Si amóre tuo id facis, nihil facis; si amóre illíus facis, óptime facis. Dénique in ipsis verbis atténde, cuius amóre id fácere débeas, utrum tui an illíus! Si te audíerit, inquit, lucrátus eris fratrem tuum, ergo propter illum fac, ut lucréris illum; sic faciéndó lucráris, nisi fecísses, períerat. Tu.

Responsorium: Ioseph, dum intráret, *ut supra*.

Lectio II.

Quid est ergo, quod pleríque hómines ista peccáta contémnunt, et dicunt: Quid magnum feci, in hóminem peccávi, noli contémnere! In hóminem peccásti; vis scire, quia in hóminem peccándo perísti; si te ille, in quem peccásti, corripúerit inter te et ipsum solum, et audíeris eum, lucrátus est te; quid est, lucrátus est te, nisi, quia períeras, si non lucraretur te? Nam si non períeras, quómodo te lucrátus est? Nemo enim contémnat, quando peccat in fratrem! Ait enim quodam loco apóstolus: “Si autem peccántes in fratres, et percutiéntes consciéntiam eórum infírmam, in Christum peccástis.” Tu.

Responsorium: Meménto.

Lectio III.

Ideo, quia membra Christi omnes facti sumus, quómodo non peccas in Christum, qui peccas in membrum Christi? Nemo ergo dicat, quia non peccávi in Deum, sed peccávi in fratrem, in hóminem peccávi, leve peccátum est, vel nullum peccátum est. Forte tamen dicis: leve est, quia cito curátur; peccásti in fratrem, fac satisfactiόνem, et salvátus es, cito fecísti rem mortíferam, sed remédium cito invenísti; quis vestrum speret regnum cælórum, fratres mei, quando dicit Evangélium: Qui díxerit fratri suo: fátue, reus erit gehénnæ ignis? Magnus terror, sed vide ibi remédium: “Si obtúleris munus tuum ad altáre, et ibi recordátus fúeris, quia frater tuus habet áliquíd advérsus te, relínque ibi munus tuum ante altáre, et vade prius reconciliári fratri tuo, et sic véniens, ófferes munus tuum!” Tu autem.

Responsorium: Tóllite hinc, et cetera.

Laudes

De psalterio.

Capitulum

In diébus illis. Múlier quædam clamábat ad Eliséum prophétam, dicens: Servus tuus, vir meus mórtuus est, et tu nosti, quia servus tuus fuit timens Deum. Deo.

Hymnus: Iam, Christe, sol. **Versiculus:** Scuto circúmdabit te.

Ad Benedictus antiphona

Ubi duo vel tres congregáti fúerint in nómine meo, in médio eórum sum, dicit Dóminus.

Oratio

Exáudi nos, omnípotens et miséricors Deus, et continéntiæ salutáris propítius nobis dona concéde! [Per.]

Super populum oratio

Tua nos, Dómine, protectione defénde, et ab omni semper iniquitate custódi! Per.

Ad sextam**Capitulum**

Dixit Eliséus ad mulierem: Vade, et pete mútuo ab ómnibus vicinis tuis vasa vácuá non pauca, et ingrédere, et claude óstium, cum intrínsecus fúeris tu et filii tui, et mitte inde in ómnia vasa hæc, et cum plena fúerint, tolles. Deo.

Ad nonam**Capitulum**

Venit autem illa múlier, et indicávit hómini Dei. Et ille: Vade, inquit, vende óleum, et redde creditóri tuo; tu autem et fílii tui vívite de réliquo! Deo.

Ad Magnificat antiphona

Non dico tibi, Petre, dimitténdi sépties, sed usque septuágies sépties.

FERIA QUARTA

[ad matutinum]

Secundum Matthæum

In illo tēpore. Accessérunt ad Iesum ab Ierosólýmíis scribæ et pharisæi, dicentes: Quare discipuli tui transgrediúntur traditiónes seniórum? Et réliqua.

Homélia beáti Hieronými præsbýteri.

Lectio I.

Mira pharisæórum scribarúmque stultítia! Dei Fílium árguunt: quare discipuli eius hóminum traditiónes et præcépta non servant. Non enim lavant manus suas, cum panem mandúcant; manus, id est ópera, non ánimæ, sed córporis lavándæ sunt, ut fiat in illis verbum Dei. Ipse autem, respóndens, ait illis: Quare et vos transgredímíni mandátum Dei · propter traditiónem vestram? Falsam calúmniam vera responsiÓne confutávit, cum inquit: Vos propter traditiónem hóminum præcépta Dei negligátis, quære discipulos meos arguéndos créditos, quod seniórum iussa parvipéndant, ut Dei scita custódiant? Tu autem.

Responsorium: Iste est frater.

Lectio II.

“Iam Deus dixit: Honóra patrem tuum et matrem tuam, et qui maledíxerit patri vel matri, morte moriátur. Vos autem dicitis: Quicúmque díxerit patri aut matri: munus, quodcúmque est ex me, tibi próderit, et non honorificábit patrem suum aut matrem.” Honor in scriptúris, non in salutatiÓnibus tantum, et offíciis deferéndis, quantum in elemósynis ac múnerum oblatiÓne séntitur. Honóra, inquit apóstolus, víduas, quæ vere víduæ sunt; hoc honor Dómini intellígitur. Et in álio loco: præsbýteri dúplici honóre digni habeántur, máxime, qui labórant in verbo et doctrína. Et per hoc mandátum iubémur, ut bovi trituránti, os non claudátur, et dignus sit operárius mercéde sua. Tu.

Responsorium: Dixit Ruben.

Lectio III.

Præcéperat Dóminus vel imbecillitátes · vel ætátes · vel penúrias paréntum consíderans, ut filii honorárent, étiam in vitæ necessariis ministrándis paréntes suos. Hanc providentíssimam Dei legem voléntes scribæ et pharisæi subvértere, ut impietátem sub nómine pietátis indúcerent, docuérunt péssimos filios, ut si quis ea, quæ paréntibus offerénda sunt, Deo vovére volúerit, qui verus est pater, oblátio Dei præponátur paréntum munéribus, vel certe ipsi paréntes, quæ Deo consecráta cernébant, ne sacrilégii crimen incúrrerent, declinántes egestátem confitebántur. Atque ita fiébat, ut oblátio liberórum · sub occasióne templi · in sacerdotum lucra cæderet. Tu autem.

Responsorium: Salus nostra in manu, et cetera.

[Ad laudes]

Capitulum

Hæc dicit Dóminus Deus: Honóra patrem tuum et matrem tuam, ut sis longævus super terram, quam Dóminus, Deus tuus dabit tibi! Deo.

Ad Benedictus antiphona

Audíte, et intelligíte traditiónes, quas Dóminus dedit vobis!

Oratio

Præsta, nobis, quæsumus, Dómine, ut salutáribus ieiúniis erudíti, a nóxiis quoque vítiis abstinéntes, propitiatiónem tuam facílius impetrémus.

Super populum oratio

Concéde, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui protectiόνis tuæ grátiam quærimus, liberáti a malis ómnibus, secúra tibi mente serviámus. Per.

Ad sextam

Capitulum

Dixit Móyses ad pópulum: Nolíte timére, ut enim probáret vos, venit Deus, ut terror illíus esset in vobis, et non peccarétis; stetitque pópulus de longe, Móyses autem accéssit ad calíginem, in qua erat Deus. Deo.

Ad nonam

Capitulum

Dixit prætérea Dóminus ad Móysen: Hæc dices filiis Israel: Vos vidístis, quod de cælo locútus sum vobis. Non faciétis deos argénteos, nec deos áureos faciétis vobis; altáre de terra faciétis mihi, et offerétis super illud holocáusta et pacífica vestra, oves vestras et boves in omni loco, in quo fúerit memória nóminis mei! Deo.

Ad Magnificat antiphona



Non lotis mánibus manducáre non coínquinat hómínem.

FERIA QUINTA

[ad matutinum]

Secundum Lucam

In illo tēpore. Surgens Iesus de synagóga, intrávit in domum Simónis. Socrus autem Simónis tenebátur magis fébribus. Et réliqua. Homélia beáti Ambrósii epíscopi.

Lectio I.

Vide cleméntia Dómini Salvatóris; nec indignatióne commótus, nec scélere offénsus, nec iniúria violátus Iudæam desérvit, quinétiam immémor iniúriæ, memor cleméntiæ, nunc docéndo, nunc deliberándo, nunc sanándo, plebis corda demúlcet. Et bene sanctus Lucas virum a spírítu nequítiae liberátum, ante promísit, et substítuit féminæ sanitátem, utrúmque enim sexum Dóminus curatúrus advénerat, ibi prior sanári débuit, qui prior creatus est, nec prætermítti illa débuit, quæ mobilitáte magis ánimi, quam pravitate peccáverat. Tu.

Responsorium: Vidéntes Ioseph, et cetera.

Lectio II.

Sábbito dominicæ medicínæ ópera cœpta significat, ut inde creatúra nova incíperet, ubi vetus creatúra ante désinit, nec sub lege esse Dei Fílium, sed supra legem in ipso princípío designárent, nec solvi legem, sed adimpléri, neque enim per legem, sed verbo factus est mundus, sicut légimus: “Verbo Dei cæli firmáti sunt.” Non sólvitur ergo lex, sed adimplétur, ut fiat renovátio hómínis iam labéntis, unde et apóstolus ait: “Exspoliántes vos véterem hómínem, induíte novum, qui secúndum Christum creatus est. Tu.

Responsorium: Dixit Iudas, et cetera.

Lectio III.

Et bene sábbito cœpit, ut ipsum se osténderet creatórem, qui ópera opéribus intéxeret, et prosequerétur opus, quod ipse iam cœperat, ut sí faber domum renováre dispónat, non a fundaméntis, sed a culmínibus incípit sólvare vetústam. Itaque ibi primus manum ádmonet, ubi ante desíerat, deínde a minóribus incípit, ut ad maióra pervéniat: liberáre a dæmone hómínes · sed in verbo Dei possunt,

resurrectiōnem mórtuis imperáre · divínæ solíus est imperáre potestátis. Nec quemquam movére debet, quod Iesu Nazaréni nomen in hoc libro diábolus dixísse primus indúctur, nec enim ab eo Christus nomen accépit, quod de cælo ángelus ad vírginem détulit. Tu.

Responsorium: Videns Iacob.

[Ad laudes]

Capitulum

In diébus illis. Factum est verbum Dómini ad me, dicéntes: Sta in porta domus Dómini, et prædica ibi verbum istud, et dic: Audíte verbum Dómini, omnis Iuda, qui ingredímmini per portas has, ut adorétis Dóminum. Hæc dicit Dóminus, Deus Israel: Bonas fácite vias vestras, et stúdia vestra, et habitábo vobíscum in loco isto. Deo.

Ad Benedictus antiphona



Cum sol autem occidísset, omnes, qui habébant infírmos váriis languóribus, ducébant illos ad Iesum, et curabántur.

Oratio

Concéde, quæsumus, omnípotens Deus, ut ieiuniórum sancta devótio et purificatiónem nobis tríbuat, et maiestáti tuæ nos reddat accéptos.

Super populum oratio

Subiécum tibi pópulum, quæsumus, Dómine, propitiátio cæléstis amplíficet, et tuis semper fáciat servíre mandátis. Per.

Ad sextam

Capitulum

Hæc dicit Dóminus, Deus exercítuum, Deus Israel: Nolíte confídere in verbis mendáci, dicétes: templum Dómini, templum Dómini, templum Dómini est. Deo.

Ad nonam

Capitulum

Si benedixéritis vias vestras et stúdia vestra, si fecéritis iudícium inter virum et próximum eius, ádvenæ et pupílo et víduæ non fecéritis calúmniam, nec sánguinem innocéntem effudéritis in loco hoc, et post deos aliénos non ambulavéritis · in malum vobismetípsis, habitábo vobíscum in loco isto, in terra, quam dedi pátribus vestris a sæculo et usque in sæculum, ait Dóminus omnipotens. Deo.

[Ad vespas]

Ad Magnificat antiphona



Omnes, qui habébant infírmos váriis languóribus, ducébant illos ad Iesum, et curabántur.

FERIA SEXTA

[ad matutinum]

Secundum Ioannem

In illo témpore. Venit Iesus in civitátem Samáriæ, quæ dicitur Sichar iuxta prædium, quod dedit Iacob Ioseph, filio suo. Et réliqua.

Homélia beáti Augustíni epíscopi.

Lectio I.

“Erat autem ibi fons Iacob.” Púteus erat, sed omnis púteus fons, non omnis fons púteus, ubi enim aqua de terra manat, et úsui præbétur hauriéntibus, fons dicitur. Sed si in promptu et superfície sit, fons tantum dicitur. Si autem in alto et in profúndo sit, ita púteus vocátur, ut fontis nomen non amíttat. *“Iesus ergo, fatigátus ex itínere, sedébat sic super fontem, hora erit quasi sexta.”* Tu autem.

Responsorium: Ioseph, dum.

Lectio II.

Iam incípiunt mystéria: Non enim frustra fatigátur Iesus, non enim frustra fatigátur virtus Dei, non enim frustra fatigátur; per quem fatigáta recreántur, non enim frustra fatigátur, quo deferénte fatigámur, quo præsénte firmámur. Fatigátur tamen Iesus, et fatigátur ab itínere, et sedet, et iuxta púteum sedet, et hora sexta fatigátus sedet. Omnia ista ínnuunt áliquid, indicáre volunt áliquid. Inténtos nos fáciunt, ut pulsémus, hortántur. Ipse ergo apériat et nobis et vobis, qui dignátus est ita hortári, ut díceret: Pulsáte, et aperiétur vobis. Ita, ut fatigátus est ab itínere Iesus, invénimus virtútem Iesu, et invénimus infirmitátem Iesu. Fortem et infírmum. Forte, quia in princípío erat verbum, et verbum erat apud Deum, et Deus erat verbum, hoc erat in princípío apud Deum. Tu autem.

Responsorium: Meménto mei.

Lectio III.

Vis vidére, quam fortis sit iste? Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, et sine labóre facta sunt. Quid ergo illo fórtius, per quem sine labóre facta sunt ómnia? Infírmum vis nosse? Verbum caro factum est, et habitábit in nobis. Fortitúdo Christi te creávit,

infirmetas Christi te recreávit. Fortitúdo Christi fecit, ut quod non erat, esset; infirmitas Christi fecit, ut quod erat, non periret. Cóndidit nos fortitúdone sua, quæsívit infirmitáte sua. Nutrit ergo ipse infirmus infirmos, tamquam gállina pullos suos, huic enim se símilem fecit, quótiens vólui, inquit, ad Ierúsalem congregáre fílios tuos, tamquam gállina pullos suos sub alis suis, et noluísti. Tu autem.

Responsorium: Tóllite hinc.

[Ad laudes]

Capitulum

In diébus illis. Convenérunt fílii Israel ad Móysen et Aaron, et versi in seditióne, dixerunt: Da nobis aquam, ut bibámus! Ingressíque Móyses et Aaron, dimíssa multitúdone tabernácula fœderis, corruérunt proni in terra, clamaverúntque ad Dóminum, atque dixerunt: Dómine, Deus, exáudi clamórem pópuli huius, et áperi eis thesáurum tuum, fontem aquæ vivæ, ut satiáti, cesset murmuratio eórum! Deo.

Ad Benedictus antiphona



Dómine, ut vídeo, prophéta es tu, patres nostri in monte hoc adoravérunt.

Oratio

Ieiúnia nostra, quæsumus, Dómine, bénigno favóre proséquare, ut sicut ab aliméntis abstinémus in córpore, ita quoque a vítiis ieiunémus in mente.

Super populum oratio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut qui in tua protectiÓne confidimus, cuncta nobis adversántia te adiuvánte vincámus. Per.

Ad sextam

Capitulum

Tulit igitur Móyses virgam, quæ erat in conspéctu Dómini, sicut præcéperat ei, congregáta multitúdine ante petram, dixítque eis: Audíte, rebélles et incréduli, num de petra hac vobis aquam potérimus eícere? Cumque elevásset Móyses manus, percútiens virga bis scílicem, egréssæ sunt aquæ largíssime, ita ut pópulus bíberet et iuménta. Deo.

Ad nonam

Capitulum

Dixit Dóminus ad Móysen et Aaron: Quia non credidístis mihi, ut sanctificarétis me coram fíliis Israel, non introducétis hos pópulos in terram, quam dabo eis; hæc est aqua contradicţiónis, ubi iurgáti sunt fílii Israel contra Dóminum, et sanctificátus est in eis. Deo.

[Ad vespas]

Ad Magnificat antiphona



Veri adoratóres adorábunt Patrem in spírítu et veritáte.

SABBATO

[ad matutinum]

Secundum Ioannem

In illo tēpore. Perréxit Iesus in montem Olivéti, et dilúculo íterum venit in templum. Et réliqua.

Homélia beáti Augustíni epíscopi.

Lectio I.

In montem autem Olivéti, in montem fructuósum, in montem unguénti, in montem chrísmatis. Ubi enim decébat docére Christum, nisi in monte Olivéti? Christi autem nomen dictum est a chrísmate. Chrisma autem Grece, Latíne únctio nominátur. Ideo autem nos unxit, quia luctatóres contra diábolum fecit. Et dilúculo íterum venit in templum, et omnis pópulus venit ad eum, et sedens, docébat eos, et non tenebátur, quia nondum pati dignabátur. Tu autem.

Responsorium: Iste est frater vester.

Lectio II.

Iam nunc attēdite, ubi ab inimícis tentáta sit Dómini mansuetúto! *“Addúcunt autem illi scribæ et pharisæi · mulierem in adultério deprehénsam, et statuérunt eam in médium, et dixerunt ei: Magíster, hæc múlter modo deprehénsa est in adultério. In lege autem Móyses mandávit nobis huiúsmodi lapidáre. Tu ergo quid dicis? Hæc autem dicébant, tentántes eum, ut possent accusáre eum.”* Unde accusáre? Numquid ipsum in áliquo facínoræ deprehénderant? Aut illa múlter ad eum pertinúisse áliquo modo dicebátur? Tu autem.

Responsorium: Dixit Ruben.

Lectio III.

Quid est ergo, tentántes eum, ut accusárent? Intelligimus, fratres, admirábilem mansuetúdinem in Dómino fuisse: animadvérterant eum nimis esse mitem, nímiū esse mansuétum. De illo quippe fúerat ante prædíctum: *“Accíngere gládio tuo super femur tuum, potentíssime! Spécie tua, et pulchritúdi- ne tua; intēde, próspere, procéde, et regna!”* Propter hoc eum prophéta in Spírítu Sancto esse regnatúrum prædíxerat, propter veritátem et mansuetúdinem et

iustítiam. Ergo áttulit veritátem ut doctor, mansuetúdinem ut liberátor, iustítiam ut cógnitor. Cum loquerétur véritas, agnoscebátur. Cum advérsus inimícos non moverétur, mansuetúdo laudabátur. Tu autem.

Responsorium: Salus nostra.

[Ad laudes]

Capitulum

In diébus illis. Erat vir in Babylóne, et nomen eius Ióachim, et accépit uxórem nómine Susánnam, fíliam Helcíæ, pulchram nimis, et tíméntem Deum. Deo.

Ad Benedictus antiphona



Inclinávit se Deus, et scribébat in terra; si quis sine peccáto est vestrum, mittat in eam lápidem!

Oratio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut qui se affligéndo carnem ab aliméntis ábstinent, sectándo iustítiam, a culpa ieiúnent.

Super populum oratio

Præténde, Dómine, fidélibus tuis déxteram cæléstis auxilií, ut et te toto corde perquírant, et quæ digne póstulant, conséqui mereántur! Per.

Ad sextam

Capitulum

Ingémuit Susánna, et ait: Angústia sunt mihi úndique; si enim hoc égero, mors mihi est, si autem non égero, non effúgiam manus vestras; sed mélius est mihi absque ópere incidere in manus vestras, quam peccáre in conspéctu Dómini. Deo.

Ad nonam

Capitulum

Exclamávit ítaque omnis cœtus voce magna, et benedixerunt Deum, qui salvat sperántes in se, et consurrexerunt advérsus duos præsbýteros, convícerant enim eos Dániel ex ore suo falsum dixisse testimónium, feceruntque eis, sicut male égerant advérsus próximum, et interfecérunt eos, et salvátus est sanguis innóxius in illa die. Deo.

DOMINICA QUARTA

ad vesp̄eras

Antiphona: Advenérunt nobis. **Psalmus:** Benedíctus.

Capitulum

Fratres. Scriptum est, quóniam Abraham duos f̄lios hábuit, unum de ancilla et unum de líbera, sed qui de ancilla, secúndum carnem natus est, qui autem de líbera, per repromissionem, quæ sunt per allegóriam dicta. Deo.

Responsorium



Audi, Israel, præcépta Dómini, et ea in corde tuo, quasi in libro, scribe! # Et dabo tibi terram fluéntem lac et mel. **V.** Obsérva ígitur, et audi vocem meam, et inimicus ero inimicis tuis. **Et.**

Hymnus



Iesu, quadragenáriae dicátor abstinéntiæ, qui ob salútem méntium hoc sánxeras ieiúnium;

Quo paradíso rédderes
serváta parsimóniæ,
quos inde castrimárgiæ
huc illécebra dépulit.

Adésto nunc Ecclésiæ,
adésto pæniténtiæ,
qua pro suis excéssibus ·
orat profúsis précibus.

Tu, retroácta crímina ·
tua remítte grátia,
et a futúris ádhibe
custódiám mitíssime!

Ut, expiáti ánnuis
ieiuniórum víctimis,
tendámus ad pascália ·
digna colénda gáudia!

Præsta, Pater, per Fílium,
præsta per alnum Spíritum,
cum his per ævum tríplici ·
unus Deus cognómine!



Amen.

Versiculus: Angelis suis.

Ad Magnificat antiphona



Nemo te condemnávit, múlier? Nemo, Dómine. Nec ego te
condemnábo; iam ámplius noli peccáre!

Oratio

Concéde, quæsumus, omnípotens Deus, ut qui ex mérito nostræ
actiónis affligimur, tuæ grátiae consolatióne respirémus. Per.

Ad matutinum

Invitorium



Pópulus Dómini, et oves páscae eius, # veníte, adorémus Dóminum!

Ps. Veníte.

In primo nocturno

Antiphona



Satiávit Dóminus quinque mília hóminum de quinque pánibus et duóbus pískibus. **Ps.** Beátus vir.

Versiculus: Dicit Dómino.

Lectio I.

Hæc sunt nómina filiórum Israel, qui ingrési sunt in Ægýptum cum Iacob, sínguli cum dómibus suis introiérunt: Ruben, Símeon, Levi, Iuda, Isachar, Zábulon, Béniámin, Dan et Néphtali, Gad et Aser. Erant ígitur omnes ánimæ eórum, quæ egréssæ sunt de femóre Iacob, septuagínta quinque. Ioseph autem erat in Ægýpto, quo mórtuo et ómnibus frátribus suis, et univérsa cognatióne sua, filii Israel crevérunt, et quasi germinántes, multiplicáti sunt ac roboráti nimis, implevérunt terram. Tu.

Responsorium



Locútus est Dóminus ad Móysen, dicens: Descénde in Ægýptum, et dic Pharaóni, ut dimíttat pópulum meum! # Indurátum est cor Pharaónis, non vult dimítttere pópulum meum, nisi in manu forti. **V.** Videns vidi afflictiónem pópuli mei, qui est in Ægýpto, et gémitum eius audívi, et descéndi liberáre eum. **I.** Indurátum.

Lectio II.

Surréxit intérea rex novus super Ægýptum, qui ignorábat Ioseph, et ait ad pópulum suum: Ecce, pópulus filiórum Israel multus et fórtior nobis est. Veníte, sapiénter opprimámus eum, ne forte multiplicétur! Et si ingrúerit contra nos bellum, addátur inimícis nostris; expugnatisque nobis, egrediátur e terra; præpósuit itaque eis magistros óperum, ut afflígerent eos onéribus. Ædificaverúntque urbes tabernaculórum Pharaóni, Pithon et Ramésses. Quantóque opprimébant eos, tanto magis multiplicabántur, et crescébant. Tu.

Responsorium



Stetit Móyses coram Pharaóne, et dixit: Hæc dicit Dóminus: # Dimítte pópulum meum, ut sacrificet mihi in desérto! **V.** Dóminus, Deus Hebræórum misit me ad te, ut dicam tibi: **D**imítte pópulum.

Lectio III.

Oderant autem fílios Israel Ægýptii, et affligéntes, illudébant eis, et invidéntes, atque ad amaritúdinem perducébant vitam eórum opéribus duris, luti et láteris, omníque famulátu, quo in terræ opéribus præmébant. Dixit rex Ægýpti obstetrícibus Hebræórum: Quarum una vocabátur · Sephóra, áltera Phua, præcípiens eis? Quando obstetricábitis Hebræas, et partus tempus advénerit, si másculus fúerit, óccide illum, si fémina, reserváte! Timuérunt autem obstetrícés Deum, et non fecérunt iuxta præcéptum regis Ægýpti, sed conservábant mares, quibus ad se accersítis, rex ait: Quid nam est hoc, quod fácere voluístis, ut púeros reservarétis? Quæ respondérunt: Non sunt Hebrææ, sicut Ægýptiæ, mulíeres. Ipse enim obstetricándi habent sciéntiam, et priúsqvam veniámus ad eas, páriunt. Bene ergo fecit Deus obstetrícibus. Et crevit pópulus, confortatúsque est nimis. Tu.

Responsorium



Cantémus Dómino, glorióse enim honorificátus est, equum et ascensórem proiécit in mare; # adiútor et protéctor factus est mihi Dóminus in salútem. **V.** Currus Pharaónis et exércitum eius proiécit in mare. **A**diútor.

In secundo nocturno

Antiphona



De quinque pánibus et duóbus píscibus satiávit Dóminus quinque mília hóminum. **Ps.** Consérva.

Versiculus

V. Ipse liberávit me de láqueo venántium.

R. Et a verbo áspero.

Sermo beáti Ioánnis Chrisostómi.

Lectio IV.

Orat Móyses et vincit, cessat, et víncitur. Dídicit cristiánus, quid gerat, ínvenit, quod fúgiat. Dídicit, inquam, unde vincátur aut vincat. Quamvis?? instántius cristiáno orándum sit, quia praeliátor hostis est, et pro seípso, non pro áltero pugnat. Móyses enim contra hóminem et pro áliis orándo pugnat. Nec quisquam póterit excusári, qui hostem víncere vóluit, dum orándo cessávit. Et tamen in Móyse corpus deficiébat, non volúntas aliquándo?? cessábat. Tu.

Responsorium



In mari viæ tuæ, et sémitæ tuæ in aquis multis. # Dedúxisti, sicut oves, pópulum tuum in manu Móysi et Aaron. **V.** Illuxérunt coruscatiónes tuæ orbi terræ; vidit, et commóta est terra. **D**eduxísti.

Lectio V.

Si ergo fragilitátis causa in Móyse excusári non pótuit, quemádmódum in nobis volúntas póterit excusári, unde áppet vires hosti illum dare, qui cessat, et sese illi subiícere, qui non orat, quod totum est odísse sua, dilígere aliéna, sibiípsum hostem exístere, dum contra hostem nolit iúgiter exoráre. Hostis enim, dum oras, præmitur, dum cessas, erígitur. Iniúriam ab hómine nonnúmquam nobis illátam impatiénter, quod non licet, férimus, et maiórem contuméliam in illum, qui íntulit, revocámus. Tu contuméliam a te

illátam · quómodo póteris vindicáre, qui ab álio illátam non potes sustinére? Aut tu in te ultiónem tui mandábis, cum contra teipsum non orándo admíttis? Orátio iugis, infirmitas hostis. Tu.

Responsorium



Ecce, mitto ángelum meum, qui præcédet te, et custódiat semper; obsérva, et audi vocem meam, inimícus ero inimícis tuis, # et affligéntes te afflígam, et præcédet te ángelus meus. **V.** Israel, si me audieris, non erit in te deus recens, neque adorábis deum aliénum, ego enim Dóminus. **E**t affligéntes te.

Lectio VI.

Céterum ipse contra se tela mínistrat, qui hostem precum instántia non fatígat. Qua in oratiónis instántia hostis sævítia debellétur, non resúmat vires, dum párcimus, non erigátur, dum aliquándo cessámus. Opórtet, inquit, semper oráre, et non defícere, cum opórtet, dicit, necessitátem indúcit. Necéssitas autem tanta vi adstríngitur, ut quod necesse est, étiam si velis præterírre, non possis. Dénique manducánda, bibénda, vestiénda necéssitas a natúra illáta præterírre non potest, sine quibus geri vita ista non póterit, aut prætermíttæ ista · et vivæ, sine quibus vívere non potes, si prætermíttis. Tu autem.

Responsorium



Qui persequébántur pópulum tuum, Dómine, dimersísti eos in profúndum, # et in colúmna nubis ductor eórum fuísti, Dómine. **V.** Exclamavérunt fílii Israel in angústia sua ad te, Dómine, et misísti eis salvatórem. **E**t in colúmna.

In tertio nocturno

Antiphona



Illi ergo hómines, cum vidissent, quod fécerat signum, dicébant: Quia hic est vere prophéta, qui ventúrus est in mundum. **Ps.** Cæli enárrant glóriam.

Versiculus: Scápulis suis.

Secundum Ioannem

In illo témpore. Abiit Iesus trans mare Galilææ, quod est Tiberiádis, et sequebátur eum multitúdo magna, quia vidébant signa, quæ faciébat super his, qui infirmabántur. Et réliqua.

Homélia venerábilis Bedæ presbýteri.

Lectio VII.

Ecce, appropinquánte Pascha, die festo Iudæórum, sequéntem se multitudínem Dóminus, verbo salútis et ópere curatiónis erigébat, eandémque doctrína et sanatióne compléta, paucis de cibáriis abundantíssime refécit. Et nos ergo, fratres caríssimi, huius exémplo facti, propinquánte Pascha, die festo nostræ redemptiόνis, adiúncta fratrum catérva, Dóminum toto corde sequámur, quo actiόνum itfnere ingrèssus sit, diligentíssime contemplémur, ut vestígia eius sequi mereámur! Tu.

Responsorium



Móyses, fámulus Dómini, ieiunávit quadragínta diébus et quadragínta nóctibus, # ut legem Dómini mererétur accípere. **V.** Ascéndit Móyses in montem Sínei. **Ut** legem.

Lectio VIII.

Eius ergo grátiam flagitémus, ut nos virtútum spirituálium donis satiáre dignétur, quátenus témpore sacrosánctæ resurrectiόνis illius, intérius exteriúsque ornáti, sacraménta nostræ salútis · puro corde

simul et corpore sumamus! Mare, quod Dominus transiit, turbida ac tuméntia sæculi huius volúmina signat, in quibus pravi quilibet iniúste delectáti, quasi profúndis déditi pisces, mentem ad supérna gáudia non inténdunt. Sed, abeúntem trans mare Galilææ Iesum, multitúdo máxima sequebátur, quæ doctrínæ sanatiónis ac refectiúnis ab eo cæléstis múnere summa percíperet, quia priúsqvam Dóminus in carne appáreret, sola illum gens Iudææ sequebátur credéndo. Tu.

Responsorium



Spléndida facta est fácies Móysi, dum respíceret in eum Dóminus. # Vidéntes senióres claritátem vultus eius, admirántes timuérunt valde. **V.** Descéndit Móyses de monte, portans duas tábulas lapídeas in mánibus suis, scriptas utrásque dígito Dei. **Vidéntes.**

Lectio IX.

Postquam vero per incarnatiónis suæ dispensatióne · fluctus vitæ corruptíbilis calcávit, máxima mox eum multitúdo credéntium secúta est natiónum, spirituáliter ínstrui, sanári ac satiári desíderans. Quod autem subiens in montem, ibi sedébat cum discíplulis suis, sed veniéntem multitúdinem, in inferióribus refécit, mýstice signat, quia doctrínæ et charísmatum suórum infirmis quidem méntibus · Dóminus simplicióra trádidit sacraménta, celsióribus autem sénsibus secretióra suæ maiestátis réserat arcána. Tu.

Responsorium: Audi, Israel, **ut supra.**

Ad laudes

Antiphona



Tunc acceptábis sacrificium iustítiæ, si avérteris fáciem tuam a peccátis meis. **Ps.** Miserére.

Antiphona



Bonum est speráre in Dómino, quam speráre in princípibus. **Ps.** Confitémini.

Antiphona



Benedícat nos Deus, Deus noster, benedícat nos Deus! **Ps.** Deus, Deus meus.

Antiphona



Potens es, Dómine, erípere nos de manu mortis; liberáre nos, Deus noster! **Canticum:** Benedícite.

Antiphona



Reges terræ et omnes pópuli, laudáte Deum! **Ps.** Laudáte Dóminum de.

Capitulum, ut supra.

Hymnus



Summi lárqitor práemii, spes, qui es uníca mundi, preces inténde servórum, ad te devóte clamántium!

Nostra te consciéntia
grave offendísse monstrat,
quam emúndes, supplicámus,
ab ómnibus piáculis!

Si rénnuis?? quis tríbuet,
indúlge, quia potens es,
te corde rogáre mundo ·
fac nos, precámur, Dómine!

Ergo, accépta te nostrum,
qui sacrásti ieiúnum,
quo mýstice pascália
capiámus sacraménta.

Summa nobis hæc cónferat
in deitáte Trínitas,
in qua gloriátur unus ·
per cuncta sâcula Deus.



Amen.

Versiculus: Scuto circúmdabit te.

Ad Benedictus antiphona



Abiit Iesus trans mare Galiléæ, et sequebátur eum multitúdo magna,
quia vidébant signa, quæ faciébat; erat autem próximum Pascha,
dies festus Iudæórum.

Ad primam, ut supra dicuntur omnia.

Ad tertiam

Antiphona: Satiávit Dóminus. **Psalmus:** Legem pone mihi, Dómine. **Capitulum:** Fratres. Scriptum est, **ut supra.** **Responsorium:** Bonum mihi, Dómine.

Ad sextam

Antiphona: De quinque pánibus. **Psalmus:** Defécit.

Capitulum

Sina mons est in Arábia, qui iunctus est ei, quæ nunc est Ierúsalem, líbera est, quæ est mater nostra. Scriptum est enim: Lætáre, stérilis, quæ non paris, erúmpe et clama, quæ non párturis, quia multi filii desértæ, magis, quam eius, quæ habet virum. Deo.

Ad nonam

Antiphona: Illi ergo hómines. **Psalmus:** Mirabília.

Capitulum

Fratres. Nos secúndum Isaac promissionis filii sumus, sed quómo modo tunc, qui secúndum carnem natus fúerat, persequébátur eum, qui secúndum spíritum, ita et nunc. Sed quid dicit scriptúra? Eiice ancíllam et fílium eius, non enim heres erit fílius ancíllæ cum fílio líberæ. Itaque, fratres, non sumus ancíllæ filii, sed líberæ, qua libertáte Christus nos liberávit. Deo.

Ad secundas vesperas

Antiphona: Advenérunt. **Psalmus:** Dixit Dóminus, **per ordinem.** **Capitulum:** Fratres. Scriptum est. **Responsorium:** Audi, Israel. **Hymnus:** Iesu, quadragenária. **Versiculus:** Angelis suis.

Ad Magnificat antiphona



Cum sublevásset óculos Iesus, et vidísset máximam multitúdinem, veniéntem ad se, dicit ad Philíppum: Unde emémus panes, ut mandúcent hii? Hoc autem dicébat, tentans eum, ipse enim sciébat, quid esset factúrus.

FERIA SECUNDA

ad matutinum

Invitatorium: Promísit enim, et cetera.

Secundum Ioannem

In illo témpore. Prope erat Pascha Iudæórum, et ascéndit Iesus Ierosólymam. Et invénit in templo vendéntes oves et boves. Et réliqua.

Homélia beáti Augustíni epíscopi.

Lectio I.

Quid audívimus, fratres? Ecce, templum istud figúra adhuc erat, et eiécit inde Dóminus omnes, qui sua quærébant, qui ad nún-dinas vénerant, et quæ ibi vendébant illi. Illa, quæ opus habébant hómines, in sacrificiis illíus témporis. Novit enim cáritas vestra, quod sacrificia illi pópulo pro eius carnalitáte et corde adhuc lapídeo tália data sunt, quibus tenerétur, ne in idóla deflúeret, et immolábant ibi sacrificia, boves et oves et colúmbas. Tu.

Responsorium



Atténdite, pópule meus, legem meam, # inclináte aurem vestram in verba oris mei! **V.** Apérim in parábolis os meum, loquar propositiónes ab iní-tio sáeculi. **I**nclináte.

Lectio II.

Nostis, quia legístis, non ergo magnum peccátum, si hoc vendébant in templo, quod emebátur, ut offerétur in templo, et tamen eiécit inde illos. Quid si ibi ebriósos inveníret, quid fáceret Dóminus, si vendéntes ea, quæ lícita sunt, et contra iustítiam non sunt, eiécit? Quæ enim honéste emúntur, non illicite vendúntur. Expulit tamen, et non est passus domum oratiónis fieri domum negotiatiónis. Si negotiatiónis domus non debet fieri domus Dei, potatiónis debet fieri? Tu.

Responsorium



Vos, qui transitóri estis Iordánem, ædificáte altáre Dómino de lapídibus, quos ferrum non tétigit, # et offérte super illud holocáusta, et hóstias pacíficas Deo vestro! **V.** Cumque intravéritis terram, quam Dóminus datúrus est vobis, ædificáte altáre Dómino! **E**t offérte.

Lectio III.

Nos autem, quando ista dícimus, strident déntibus suis advérsus nos. Et consolátur nos psalmus, quem audístis: “Stridérunt super me déntibus suis.” Nóvimus, et nos audíre, unde curémus, et sic ingeminántur flagélla Christo, quia flagellátur sermo ipsíus. Congregáta sunt, inquit, in me flagélla, et nesciérunt. Flagellátus est flagéllis Iudæórum, flagellátur blasphémiis falsórum christianórum. Multíplicant flagélla Dómino suo, et nésciunt. Fácimus nos, quantum ipse ádiuvat! “Ego autem, cum mihi molésti essent, induébam me cilício, et humiliábam in ieiúnio ánimam meam.” Dícimus tamen, fratres: Non enim ipse pepércit illis, qui flagellándus ab eis erat, prior illos flagellávit. Tu.

Responsorium



Sicut fui cum Móyse, ita ero tecum, dicit Dóminus. # Confortáre, et esto robústus; introdúces pópulum meum in terram lacte et melle manéntem. **V.** Quóniam tecum sum, Dóminus Deus tuus, in ómnibus ubicúmque perréxeris. **C**onfortáre et.

[Ad laudes]

Capitulum

In diébus illis. Venérunt duæ mulíeres meretríces ad regem Salomónem, steterúntque coram eo, quarum una ait: Obsécro mi, Dómine, ego et mulier hæc habitabámus in domo una, et péperi apud eam in cubículo, tértia vero die, postquam ego péperi, péperit

et hæc, et erámus simul, nullúsque álius in domo nobíscum excéptis nobis duábus. Deo.

Ad Benedictus antiphona



Auférte ista hinc, dicit Dóminus, et nolíte fácere domum Patris mei · domum negotiatiónis!

Oratio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut observatiónes sacras ánnua devotióne recoléntes, et cópore tibi placeámus et mente.

Super populum oratio

Deprecatióem nostram, quæsumus, Dómine, benígnus exáudi, et quibus supplicándi præstas afféctum, tríbue defensiónis auxiliúm! Per.

Ad tertiam

Antiphona: Advenérunt. **Psalmus:** Legem pone mihi, Dómine. **Capitulum:** In diébus illis. Venérunt duæ mulíeres. **Responsorium:** Bonum mihi, *ut supra, cum ceteris.*

Ad sextam

Capitulum

In diébus illis. Dixit múlier, cuius fílius erat vivus, ad regem, commóta sunt quippe víscera eius super filio suo: Obsécro, Dómine, date illi infántem vivum, et nolíte interfícere eum; econtrário illa dicébat: Nec mihi, nec tibi sit, sed dividátur! Respóndit rex, et ait: Date huic infántem vivum, et non occidátur, hæc est enim mater eius. Deo.

Ad nonam

Capitulum

In diébus illis. Audívit enim omnis Israel iudícium, quod iudicásset rex, et timuérunt regem, vidéntes sapiéntiam Dei esse in eo, ad faciéndum iudícium. Deo.

[Ad vespervas]

Ad Magnificat antiphona



Sóluite templum hoc, dicit Dóminus, et post tríduum reædificábo illud; hoc autem dicébat de templo córporis sui.

FERIA TERTIA

[ad matutinum]

Secundum Ioannem

In illo tēpore. Iam die festo mediānte, ascēdit Iesus in templum, et docēbat, et admirabāntur Iudæi. Et réliqua.

Homélia beāti Augustíni epíscopi.

Lectio I.

Ille, qui latēbat, docēbat, et palam loquebātur, et non tenebātur. Illud enim, ut non latēret, erat causa exēmpli, hoc potestātis. Sed cum dóceret, mirabāntur Iudæi. Omnes enim, quantum arbítror mirabāntur, sed non omnes convertebāntur. Et unde admirátio? Quia multi nóverant, ubi natus, quemádmódum fúerit educátus, numquam enim víderant eum, discēntem lítteras. Audiēbant autem de lege disputāntem, legis testimónia proferēntem, quæ nemo póterat proférre, nisi legísset; nemo légeret, nisi lítteras didicísset. Tu autem.

Responsorium



Pópule meus, quid feci tibi, aut quid moléstus fui tibi, respónde mihi; quóniam edúxi vos de terra Ægýpti et de domo servitútis. # Quadragínta annos in erémo manna pluī vobis, et oblíti estis me, dicit Dóminus. **V.** Addúxi vos per desértum quadragínta annos in erémo, ego Dóminus. **Q**uadragínta.

Lectio II.

Eórum autem admirátio magístra facta est, insinuándæ altérius veritátis occasio. Ex eórum quippe admiratióne et verbis dixit Dóminus áliquíd profúndum, et diligéntius inspici et discúti dignum. Propter quod inténtam fácio caritátem vestram, non solum audiéndum pro vobis, sed étiam ad orándum pro vobis. Quid ergo Dóminus respóndit eis admirántibus, quómodo sciret lítteras, quas non didícerať? Mea, inquit, doctrína non est mea, sed eius, qui misit me. Hæc est enim profúnditas prima. Vidétur enim paucis verbis, quasi contrária locútus. Tu.

Responsorium



Addúxi vos per desértum quadragínta annos, ego Dóminus, non sunt attríta vestiménta vestra. # Manna de cælo plui vobis, et oblíti estis me, dicit Dóminus. **V.** Pópule meus, quid feci tibi, aut quid moléstus fui tibi, respónde mihi, quóniam ego edúxi vos de terra Ægýpti. **M**anna de cælo.

Lectio III.

Non enim ait: ista doctrína non est mea, sed: mea doctrína non est mea. Si non tua, quómo modo tua? Si tua, quómo modo non tua? Tu enim dicis utrúmque et mea doctrína et non mea. Nam si dixisset: Ista doctrína non est mea, nulla esset quæstio. Nunc vero, fratres, prímítus inténdite quæstiónem, et sic ex órdine exspectáte solutió nem! Nam qui non videt quæstiónem, quæ propónitur, quómo modo intélligit, quod expónitur? Hoc est ergo in quæstiónem, quod ait: mea et non mea, hoc vidétur esse contrárium: quómo modo mea, quómo modo non mea? Si ergo diligénter intueámur, quod ipse in exórdio sanctus evangelísta dicit: "In princípío erat verbum, et verbum erat apud Deum, et Deus erat verbum." Inde pendet huius solútió quæstiónis. Tu.

Responsorium: Audi Israel, præcépta.

[Ad laudes]

Capitulum

In diébus illis. Locútus est Dóminus ad Móysen, dicens: Descénde de monte, quia peccávit pópulus tuus, quem eduxísti de terra Ægýpti, recessérunt cito de via, quam ostendísti eis, fecerúntque sibi vítulum conflátilem, et adoravérunt, atque immolántes hóstias dixerunt: Isti sunt dii tui, Israel, qui te eduxérunt de terra Ægýpti. Rursúmque ait Dóminus ad Móysen: Cerno, quod pópulus iste duræ cervícis sit; dimítte me, ut irascátur furor meus contra eos, et déleam eos, faciámque te in gentem magnam. Deo.

Ad Benedictus antiphona

Quid me quæritis interficere, hóminem, qui vera locútus sum vobis?

Oratio

Sacræ nobis, Dómine, quæsumus, observatiónis ieiúnia et piæ conversatiónis augméntum, et tuæ propitiatiónis contínuum præstent auxiliúm.

Super populum oratio

Miserére, Dómine, pópulo tuo, et contínuis tribulatióibus laborántem propítius respiráre concéde! Per.

Ad sextam

Capitulum

Móyses orábat ad Dóminum, Deum suum, dicens: Cur, Dómine, iráscitur furor tuus contra pópulum tuum, quem eduxísti de terra Ægýpti in fortitúdine magna, et in manu robústa; ne, quæso, dicant Ægýptii: Cállide edúxit eos, ut interficeret eos in móntibus, et deléret de terra; quiéscat ira tua, Dómine, et esto placábilis super nequítia pópuli! Deo.

Ad nonam

Capitulum

Orávit Móyses ad Dóminum, Deum suum, dicens: Recordáre, Dómine, Abraham, Isaac et Israel, servórum tuórum, quibus iurásti per temetípsum, dicens: Multiplicábo semen vestrum, sicut stellas cæli, et univérsam terram hanc, de qua locútus sum, dabo sémini vestro, et possidébitis eam semper; placatúsque est Dóminus, ne fáceret malum, quod locútus fúerat, et misértus est pópulo suo Dóminus, Deus noster. Deo.

[Ad vesperas]

Ad Magnificat antiphona



Nemo in eum misit manum, quia nondum vénerat hora eius.

FERIA QUARTA

[ad matutinum]

Secundum Ioannem

In illo tēpore. Prætériens Iesus, vidit hóminem cæcum a nativité, et interrogévérunt eum discípuli eius: Rabbi! Quis peccávit, hic aut paréntes eius, ut cæcus nascerétur? Et réliqua.

Homélia beáti Augustíni epíscopi.

Lectio I.

Exiens Iesus, vidit hóminem cæcum, non utcúmque cæcum, sed a nativité. Et interrogávérunt eum discípuli eius: Rabbi! Scitis rabbi, quia magíster est. Magístrum appellábant, quia díscere desiderábant. Quæstiónem quippe Dómino proposuérunt, tamquam magístro: “Quis peccávit, hic, aut paréntes eius, ut cæcus nascerétur? Respóndit Iesus: Neque hic peccávit, neque paréntes eius.” Quid est, quod dicit? Si nullus homo sine peccáto, numquid paréntes istíus cæci sine peccáto erant? Numquid ipse vel sine peccáto origináli natus erat, vel vivéndo nihil addíderat? An quia óculos clausos habébat, concupiscéntiæ mínime vigilábat? Tu.

Responsorium: Móyses, fámulus Dómini, **et cetera.**

Lectio II.

Quanta enim mala cæci committunt? A quo malo ábstinet mens mala, étiam óculis clausis non póterat vidére, sed nóverat cogitáre, et forte concupíscere áliud, quod cæcus non posset implére, sed in corde iudicári a nullo póterit, nisi a cordis perscrutatóre. Si ergo et paréntes eius habuérunt peccátum, quare Dóminus dixit: Neque hic peccávit, neque paréntes eius, nisi ad rem, de qua interrogátus est, ut cæcus nascerétur? Tu.

Responsorium: Spléndida facta, **et cetera.**

Lectio III.

Habébant enim paréntes eius peccátum, sed non ipso peccáto factum est, ut cæcus nascerétur. Si autem non peccáto paréntum factum est, ut cæcus nascerétur, quare cæcus natus est? Audi magístrum docéntem! Quære credéntem, ut fáciat intelligéntem! Ipse tamen

dicit: Quare ille cæcus sit natus? Neque hic peccávit, inquit, neque paréntes eius, sed ut manifesténtur ópera Dei in illo. Deínde séquitur: “Me opórtet operári ópera eius, qui misit me.” Ecce, est ille missus, in quo fáciem lavit cæcus. Et vidéte, quid díxerit: “Me opórtet operári ópera eius, qui misit me, donec dies est.” Mementóte, quómodo univérsam glóriam illi dat, de quo est, quia ille habet fílium, qui de illo sit, ipse non habet, de quo sit. Sed quare dixísti, Dómine: donec dies est? Audi, quare? “Véniet nox, quando nemo potest operári.” Nec tu, Dómine. Ita ne tantum valébit nox illa, ita ut nec tu in illa possis operári, cuius opus est nox? Puto enim, Dómine Iesu, immo non puto, sed credo, atque confírmo te ibi fuísse, quando dixit Deus: fiat lux, et facta est lux. Si enim verbo fecit, per te fecit. Et ídeo dictum est: Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. Divísit Deus inter lucem et ténebras; lucem vocávit diem, et ténebras vocávit noctem. Tu.

Responsorium: Audi, Israel.

[Ad laudes]

Capitulum

Hæc dicit Dóminus Deus. Lavámini, et mundi estóte; auférte malum cogitátionum vestrárum ab óculis meis; quiéscite ágere pervérsæ, díscite benefácere! Deo.

Ad Benedictus antiphona



Rabbi, quid peccávit homo iste, ut cæcus natus est? Respóndit Iesus, et dixit: Neque hoc peccávit, neque paréntes eius, sed ut manifesténtur ópera Dei in illo.

Oratio

Deus, qui et iustus præmia meritórum, et peccatóribus per ieiúnium véniam præbes: miserére supplicibus tuis, ut reátus nostri conféssio indulgéntiam percípere váleat delictórum! < Per >.

Super populum oratio

Páteant aures misericórdiæ tuæ, Dómine, précibus supplicántium, ut peténtibus desideráta concédes, fac eos, quæ tibi plácita sunt, postuláre! Per.

Ad sextam**Capitulum**

Hæc dicit Dóminus Deus. Quærite iudícium, subveníte opprésso, iudicáte pupíllo, deféndite víduam, et veníte et argúite me, dicit Dóminus. Deo.

Ad nonam**Capitulum**

Hæc dicit Dóminus Deus. Si fúerint peccáta vestra, ut cóccinum, quasi nix, dealbabúntur, et si fúerint rubra, quasi vermículus, velut lana, alba erunt; si voluéritis et audiéritis me, bona terræ comedétis, dicit Dóminus omnípotens. Deo.

[Ad vespervas]**Ad Magnificat antiphona**

A sǎculo non est audítum, quia quis apéruit óculos cæci nati, nisi Christus, Fílius Dei.

FERIA QUINTA

[ad matutinum]

Secundum Lucam

In illo tēpore. Ibat Iesus in civitāte, quæ vocātur Naim, et ibant cum illo discipuli eius, et turba copiōsa. Et réliqua.

Homélia beāti Ambrósii epíscopi.

Lectio I.

Hic locus ad utrāque redúndat grátiam, et ut cito flecti divínam misericórdiam matris víduæ lamentatióne credámus, eius præcípue, quæ únici fílii labóre vel morte frangátur. Cui tamen víduæ gravitátis méritum exsequiárum turba concíliet, et hanc víduam populórum turba septam plus esse, quam féminam, quæ resurrectiōnem únici adolescéntis fílii sui · lácrimis mérui impetráre, eo quod Sancta Ecclésia pópulum iuniórem a pompa fúneris · atque a suprémis sepúlcri, suárum révocet ad vitam contemplatióne lacrimárum. Tu autem.

Responsorium: Locútus est Dóminus ad Móysen.

Lectio II.

Quæ flere prohibétur eum, cui resurrectio debebátur, qui quidem mórtuus in lóculo materiálibus quáttuor ad sepúlcrum ferebátur eleméntis, sed spem resurgéndi habébat, quia ferebátur in ligno. Quod et si nobis ante non próderat, tamen póstea, quóniam Iesus id tétigit, profícere cœpit ad vitam, ut esset indício salutem pópulo, per crucis patíbulum refundéndam. Audíto ígitur Dei verbo, steterunt acérbi illíus fúneris portitóres, qui corpus humánum letáli fluxu natúræ materiális urgébant. Tu autem.

Responsorium: Stetit Móyses coram Pharaóne.

Lectio III.

Quid enim áliud, nisi quasi in quodam ferétro, hoc est suprémí fúneris instruménto, iacémus exánimes, vel cum ignis in módice cupiditátis exéstuet, vel frígídis humor exúndat, vel pigra quadam corpóris hebetúdine vigor hebetátur animórum, vel concrétam in

opus labe puræ lucis vácuus alit mentem? Hi sunt nostri fúneris portitóres. Tu.

Responsorium: Cantémus Dómino, glorióse enim, *ut supra*.

[Ad laudes]

Capitulum

In diébus illis. Venit múlter Sunamítis ad Eliséum in monte Carméli. Cumque vidisset eam vir Dei · de contra, ait ad Giézi, púerum suum: Ecce, Sunamítis illa, vade in occúrsum eius, et dic ei: Recte ne ágitur circa te et circa virum tuum, et circa fílium tuum? Quæ respóndit: Recte. Deo.

Ad Benedictus antiphona



Accépit autem omnes timor, et magnificábant Deum, dicéntes: Quia prophéta magnus surréxit in nobis, et quia Deus visitávit plebem suam.

Oratio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut quos ieiúnia votíva castígant, ipsa quoque devótio sancta lætíficet, ut terrénis afféctibus mitigátis, facílius cæléstia capiámus. Per.???

Super populum oratio

Pópuli tui, Deus, institútor et rector, peccáta, quibus impugnátur, expélle, ut semper tibi plácitus, et tuo munímine sit secúrus! Per.

Ad sextam

Capitulum

In diébus illis. Ingréssus est Eliséus domum, et ecce, puer mórtuus iacébat in léctulo eius; ingréssusque clausit óstium super se et super púerum, et orávit ad Dóminum. Deo.

Ad nonam

Capitulum

Vocávit Eliséus Giézi, et dixit ei: Voca Sunamít[id]en hanc; quæ vocáta, ingrèssa est ad eum, qui ait: Tolle filium tuum! Venit illa, et córruit ad pedes eius, et adorávit super terram, tulítque filium suum, et egrèssa est, Eliséus vero revérsus est in Gálgala.

Deo.

[Ad vesperas]

Ad Magnificat antiphona



Prophéta magnus surréxit in nobis, et quia Deus visitávit plebem suam.

FERIA SEXTA

[ad matutinum]

Secundum Ioannem

In illo tēpore. Erat quidem languens Lázarus a Bethánia, de castéllō Mariæ et Marthæ sorórum eius. Et réliqua.

Homélia beáti Augustíni epíscopi.

Lectio I.

In superióre lectione meministi, quod Dóminus éxiit de mánibus eórum, qui lapidáre eum voluérunt, et discéssit trans Iordánem, ubi Ioánnes baptizábat. Ibi Dómino constitúto, infirmabátur in Bethánia Lázarus, quod castéllum erat próximum Ierosólymis. María autem erat, quæ unxit Dóminum unguénto, et extérsit pedes eius capíllis suis, cuius frater, Lázarus, infirmabátur. Misérunt ergo soróres eius ad eum. Iam intelligimus, quo misérunt, ubi erat Dóminus, quóniam absens erat. Trans Iordánem sćlicet misérunt ad Dóminum, nuntiántes, quod ægrotáret frater eárum, ut dignarétur veníre, et eum ab ægritúdine liberáret. Ille dístulit sanáre, ut posset resuscítare. Tu autem.

Responsorium: In mari viæ tuæ, et sémitæ, *et cetera.*

Lectio II.

Quid ergo annuntiavérunt soróres eius? *“Dómine, ecce, quem amas, infirmátur.”* Non dixérunt: veni et sana. Non ausæ sunt dícere: ibi iube, et hic fiet. Cur enim non et istæ, si fides centuriónis inde laudátur? Ait enim: *“Non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanábitur puer meus.”* Nihil horum istæ, sed tantúmmodo: *“Dómine, quem amas, infirmátur.”* Tu.

Responsorium: Ecce, mitto ángelum, *et cetera.*

Lectio III.

Súfficit, ut nóveris. Non enim amas, et déservis. Sed díceret áliquis: Quómodo per Lázarus peccátor significabátur, et a Dómino sic amabátur? Audiatur enim dicéntem: *“Non veni vocáre iustos, sed peccatóres.”* Si enim Dóminus peccatóres non amáret, de cælo ad terras non descénderet. Audiens autem Iesus, dixit eis: *“Infírmitas*

hæc non est ad mortem, sed pro glória Dei, ut glorificétur Fílius Dei per eam." Talis glorificátio ipsíus non ipsum auxit, sed nobis prófuit. Hoc ergo ait: Non est ad mortem, sed pótius ad miráculum, quo facto, créderent hómínes in Christum, et vitárent veram mortem. Tu autem.

Responsorium: Qui persequébántur.

[Ad laudes]

Capitulum

In diébus illis. Ægrotávit fílius mulieris matrifamílias, et erat languor fortíssimus, ita ut non remanéret in eo hálitus. Dixit ergo ad Elíam: Quid mihi et tibi, vir Dei? Ingréssus es ad me, ut rememoraréntur iniquitátes meæ, et interfíceres fílium meum! Et ait ad eam Elías: Da mihi fílium tuum! Tulítque illum de sinu illíus, et portávit in cænáculum, ubi ipse manébat, et pósuit super léctulum suum, et clamávit ad Dóminum. Deo.

Ad Benedictus antiphona



Lázarus, amícus noster dormit; eámus, et a somno suscitémus eum!

Oratio

Deus, qui ineffabílibus mundum rénovas sacraméntis: præsta, quæsumus, ut Ecclésia tua ætérnis proficiat institútis, et temporálibus non destituátur auxiliis.

Super populum oratio

Da, quæsumus, omnípotens Deus, ut qui infirmitátis nostræ cónsocii de tua virtúte confídimus, sub tua semper pietáte gaudeámus. Per.

Ad sextam

Capitulum

Dixit Elías: Dómine Deus, étiam ne víduam, apud quam ego utcúmque susténtor, afflixísti, ut interfíceres filium eius; et expándit se super púerum tribus vícibus, clamavítque ad Dóminum, et ait: Dómine, Deus meus, revertátur, oro, ánima púeri huius in víscera eius; et exaudívit Dóminus vocem Elíæ, et revérsa est ánima púeri intra eum, et revíxit. Deo grátias.

Ad nonam

Capitulum

Tulit Elías púerum, et depósuit eum de cænáculo in inferiórem domum, et trádedit matri suæ, et ait illi: En vivit fílius tuus. Dixítque múlier ad Elíam: Nunc in isto cognóvi, quóniam vir Dei es tu, et verbum Dómini in ore tuo verum est. Deo.

[Ad vespéras]

Ad Magnificat antiphona



Dómine, si hic fuísses, Lázarus non esset mórtuus; ecce iam foetet · quat(d)riduánus in monuménto.

SABBATO

[ad matutinum]

Secundum Ioannem

In illo tēpore. Dicébat Iesus turbis Iudæórum: Ego sum lux mundi. Qui séquitur me, non ámbulat in ténebris, sed habébit lumen vitæ. Et réliqua.

Homélia beáti Augustíni epíscopi.

Lectio I.

Quod nunc ait Dóminus: Ego sum lux mundi, clarum puto esse eis, qui habent óculos, unde huius lucis partícipes fiant. Qui autem habent óculos, nisi in sola carne mirántur, quod dictum est a Dómino, Iesu Christo: *“Ego sum lux mundi.”* Et forte non desit, qui dicat apud semetípsum. Numquid forte Dóminus est Christus sol istæ, qui ortu et occásu suo perágit diem? Non enim defuérunt herétici, qui ista sensérunt. Tu autem.

Responsorium: Móyses, fámulus Dómini, et cetera.

Lectio II.

Manichæi solem istum óculis carnis visíbilem expósitum et públicum non tantum homínibus, sed étiam pecóribus ad vidéndum Christum Dóminum putavérunt. Sed cathólicæ Ecclésiæ recta fides ímprobat tale comméntum, et diabólicam doctrínam esse cognóscit, non solum agnóscit credéndo, sed in quibus potest, convínцит étiam disputándo. Tu.

Responsorium: Spléndida facta est fácies.

Lectio III.

Improbémus itaque huiúsmodi errórem, quem sancta ab inítio anathematizávit Ecclésia! Non arbitrémur Dóminum, Iesum Christum hunc esse solem, quem vidémus oríri ab oriénte, cuius cúrsui nox succédit, cuius rádii nube obumbrántur, qui certe de loco ad locum motióne transmígrat. Non est hic Dóminus Christus, non est Dóminus Christus sol factus, sed per quem sol factus est. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. Est ergo lux, quæ fecit hanc lucem, hanc amémus, hanc intellígere cupiámus, ipsam

sitiámus, ut ipsa duce ad ipsam aliquándo veniámus, et in illa ita vivámus, ut numquam omníno moriámur! Tu.

Responsorium: Audi, Israel, et cetera.

[Ad laudes]

Capitulum

Hæc dicit Dóminus. In témpore plácito exaudívi te, et in die salútis auxiliátus sum tui, et servávi te, et dedi te in fœdus pópuli, ut suscitáres terram, et possidères hereditátes dissipátas, ut díceres his, qui vincti sunt: Exíte; et his, qui in ténebris sunt: Revelámini. Deo.

Ad Benedictus antiphona



Ego sum lux mundi; qui séquitur me, non ámbulat in ténebris, sed habébit lumen vitæ, dicit Dóminus.

Oratio

Fiat, quæsumus, Dómine, per grátiam tuam fructuósus nostræ devotiónis efféctus, quia tunc nobis próderunt suscépta ieiúnia, si tuæ sint plácita pietáti. Per.????

Super populum oratio

Deus, qui sperántibus in te miseréri pótius éligis, quam irásci: da nobis dígne flere mala, quæ fécimus, ut tuæ consolatiónis grátiam inveníre valeámus! Per Dóminum.

Ad sextam

Capitulum

Hæc dicit Dóminus. Laudáte cæli, et exsúlta terra, iubiláte montes laudem, quia consolátus est Dóminus pópulum suum, et páuperum suórum miserébitur. Deo.

Ad nonam

Capitulum

Et dixit Sion: Derelíquit me Dóminus, et Dóminus oblítus est mei; numquid oblivísci potest múlíer infántem suum, ut non misereátur fílio úteri sui? Et si illa oblíta fúerit, ego tamen non oblivíscar tui, dicit Dóminus omnípotens. Deo.

DOMINICA IN PASSIONE DOMINI

ad vesp̄eras

Antiphona



Animæ impiórum fremébant advérsum me, et gravátum est cor meum super eos. **Ps.** Benedíctus.

Capitulum

Fratres. Christus, assístens póntifex futurórum bonórum, perámplius et perféctius tabernáculum non manufáctum, id est non huius creatiónis, neque per sánguinem hircórum et vitulórum, sed per próprium sánguinem introívit semel in sancta, ætérna redemptióne invénta. Deo.

Responsorium



Circumdedérunt me viri mendáces, sine causa flagéllis cecidérunt me, # sed tu, Dómine, defénsor, víndica me! **V.** Quóniam tribulátio próxima est, et non est, qui ádiuvet. **Sed tu.**

Sine Glória Patri incipe iterum abantea responsum. Et sciendum, quod ab hac die usque festum Paschæ ad responsoria Glória Patri non dicitur, tam ad maiora, quam ad minora, nec in matutinis, nec in aliis horis, nec in vesp̄eris, nec etiam in missa ad officium, nec in matutinis ad invitatorium. Sed ad vesp̄eras, tam diurnos, quam nocturnos dicitur Glória Patri, usque feriam quintam maioris hebdomadæ, scilicet Cenæ Domini exclusive. Et quando agitur de aliquo festo, tunc omnia ista præscripta dicuntur ordine suo.

Hymnus



Vexílla regis pródeunt, fulget crucis mystérium, quo carne carnis cónditor, suspensus est patíbulo.

Quo vulnerátus însuper ·
mucrónē diro lánceæ,
ut nos laváret crímīne,
manávit unda, sánguine.

Impléta sunt, quæ cóncinit ·
David fidélis cármine,
dicens: In natióñibus ·
regnávit a ligno Deus.

Arbor decóra et fúlgida,
ornáta regis púrpura,
elécta digno stípīte ·
tam sancta membra tángere.

Beáta, cuius bráchiis
sæcli pepéndit prétium,
statéra facta est córporis,
prædámque tulit tártaris.

O, crux, ave, spes única,
hoc passióñis témpore;
auge piis iustítiam,
reísque dona véniam!

Te, summa Deus, Trínitas,
colláudat omnis spíritus,
quos per crucis mystérium
salvas, rege, per sácula.



Amen.

Versiculus

V. Eripe me, Dómine, ab hómīne malo!

R. A viro iníquo éripe me!

Ad Magnificat antiphona

Ego sum, qui testimónium perhíbeo de meípso, et testimónium pérhibet de me, qui misit me, Pater.

Oratio

Qésumus, omnípotens Deus, famíliam tuam propítius réspice, ut te largiénte regátur in córpore, et te servánte custodiátur in mente. Per Dóminum.

Ad completorium

Psalmus: Cum invocárem. **Hymnus:** Christe, qui lux.

Capitulum

Confundántur, qui me persecuúntur, et non confúndar ego; páveant illi, et non páveam ego; induc super eos diem afflictiónis · et dúplici contritióné; cóntere eos, Dómine, Deus noster! Deo.

Responsorium

In manus tuas, Dómine, # comméndo spíritum meum. **V.** Redemísti me, Dómine, Deus veritátis. **C**omméndo. **Sine** Glória. **I**n manus.

Versiculus

V. Usquequo exaltábitur inimícus meus super me?

R. Réspice et exáudi me, Dómine, Deus meus!

Ad Nunc dimittis antiphona

O, Rex glorióse inter sanctos tuos, qui semper es laudábilis, et tamen ineffábilis; tu in nobis, Dómine, et super nos, ne derelínquas nos, Dómine, Deus noster, sed in treméndo iudício # nos collocáre

dignéris ## inter sanctos et eléctos tuos, ### Rex, benedícite! **V.** Rex benedícite, tuos per próspéra dirige servos! **Nos** collocáre. **V.** Ut tergat míseras · pia per ieiúnia culpas! **Inter sanctos. V.** Atque colant puræ sollémnia mýstica Pachæ! **Rex benedícite!**

Oratio: Deus, qui illúminas.

Ferialis antiphona



Gregem tuum, Dómine, ne déseras, pastor bone, qui dormíre nescis, sed semper vígilas! **Canticum:** Nunc dimíttis.

Ad matutinum

Invitatorium



Hódie, si vocem Dómini audiéritis, # nolíte obduráre corda vestra!
Ps. Veníte. **Sine** Glória.

In primo nocturno

Antiphona



Ego dæmónium non hábeo, sed honorífico Patrem meum, dicit Dóminus. **Ps.** Beátus vir.

Versiculus

V. Erue a frámea, Deus, ánimam meam!

R. Et de manu canis únicam meam!

Lectio I.

Verba Ieremiæ, filii Hérciæ, de sacerdotibus, qui fuerunt in Anáthot, in terra Béniamin. Quod factum est verbum Dómini ad eum in diébus Iósiæ, filii Amon, regis Iuda, in tértio décimo anno regni eius. Et factum est in diébus Ióachim, filii Iósiæ, regis Iuda, usque ad consummationem undécimi anni Sedechiæ, filii Iósiæ, regis Iuda, usque ad transmigratióem Ierúsalem in mense quinto. Hæc dicit Dóminus.

Responsorium

Isti sunt dies, quos observáre debétis tempóribus suis: # Quartadécima die ad vésperum Pascha Dómini est, et in quintadécima sollemnitatem celebrábitis altíssimo Dómino. **V.** Locútus est Dóminus ad Móysen, dicens: Lóquere fíliis Israel, et dices ad eos: **Q**uartadécima.

Lectio II.

Et factum est verbum Dómini ad me, dicens: Priúsqvam te formárem in útero, novi te, et ántequam exíres de vulva, sanctificávi te, et prophétam in géntibus dedi te. Et dixi: A, a, a, Dómine Deus, ecce, nésccio loqui, quia puer ego sum; quóniam ad ómnia, quæ mittam te, ibis, et univérsa, quæ mandávero tibi, lóqueris. Ne tímeas a fácie eórum, quia ego tecum sum, dicit Dóminus. Et misit Dóminus manum suam, et tétigit os meum. Et dixit Dóminus ad me: Ecce, dedi verba mea in ore tuo; ecce, constítui te hódie super gentes et super regna, ut evéllas, et déstruas, et dispérdas, et díssipes, et ædífices, et plantes. Hæc dicit.

Responsorium

Multiplicáti sunt, qui tríbulant me, et dicunt: non est salus ipsi in Deo eius. # Exsúrge, Dómine, salvum me fac, Deus meus! **V.** Nequándo dicat inimícus meus: præválui advérsus eum. **E**xsúrge, Dómine.

Lectio III.

Et factum est verbum Dómini ad me, dicens: Quid tu vides, Ieremía? Et dixi: Virgam vigilántem ego vídeo. Et dixit Dóminus ad me: Bene vidísti, quia vigilábo ego super verbo meo, ut fáciam illud. Et factum est verbum Dómini secúndo ad me, dicens: Quid tu vides? Et dixi: Ollam succénsam ego vídeo, et fáciem eius a fácie aquilónis. Et dixit Dóminus ad me: Ab aquilóne pandétur malum super omnes habitatóres terræ, quia ecce, ego convocábo omnes cognatiónes regnórum aquilónis. Ait Dóminus Deus: Convertímini ad me, et salvi éritis. [Hæc.]

Responsorium

Qui custodiébant ánimam meam, consílium fecérunt in unum, dicéntes: # Deus derelíquit eum; persequímini et comprehéndite eum, quia non est, qui líberet eum; Deus meus, ne elóngas a me, Deus meus, in adiutórium meum inténde! **V.** Omnes inimíci mei advérsus me cogitábant mala mihi, verbum iníquum mandavérunt advérsus me, dicéntes: **D**eus derelíquit eum.

In secundo nocturno**Antiphona**

Ego glóriam meam non quæro; est, qui quærat, et iúdicet. **Ps.** Consérva.

Versiculus

V. De ore leónis líbera me, Dómine!

R. Et a córnibus unicórnium humilitátem meam.

Sermo beáti Ioánnis epíscopi.

Lectio IV.

Magnum Ieremiæ sanctíssimi méritum. Magnum in eo collátum est divinitátis donum. Magnum, inquam, est Ieremiæ méritum, qui ante promerétur, quam náscitur, ante sanctificátur, quam éditur, ante prophéta constitúitur, quam mundi exórdio potiátur. Dicúntur eius mérita et ab eo necdum exercéntur offícia, dona narrántur, nec tamen donórum causæ tractántur, promotio dícitur, et necdum promotiónis negótium aperítur. Noli, inquit Dóminus, putáre, Ieremía, quod hódie te prophétam constitúo, aut nunc primum ad istam gentem corrigéndam præmítto. Olim enim mihi probátus ac notus es, olim consecrátus ac dignus, olim prophéta géntibus institútus. Tu.

Responsorium



Adiútor et protéctor meus tu es, Dómine, et in verbum tuum sperávi.
Declináte a me, malígni, et scrutábor mandáta Dei mei! **V.** Eripe me de inimícis meis, Deus meus, et ab insurgéntibus in me líbera me!
Ddeclináte a me, malígni.

Lectio V.

Te mihi aptum, te idóneum præsciéntia ipsa monstrávit. Tibi prophetándi præságium, et fidúciam prædicándi attríbui. Per te prophetæ offícia, et meæ dispositiónis núntia præférrí ad illos instítui. Te tamen nemo detérreat! Nemo tibi formídinem vanam immíttat! Inter me et ipsos tu eris médius, qui iussa pérferas, præcépta osténdas, mandáta ædíficas. Nec póteris reticére, quæ loquor, ne siléndo possis afférre perniciém, qui prædicándo póteris conférre salútem. Tu autem.

Responsorium



Deus meus es tu, ne discédas a me, **#** quóniam tribulátio próxíma est, et non est, qui ádiuвет. **V.** Deus, Deus meus, réspice in me, quare me dereliquísti longe a salúte mea? **Q**uóniam tribulátio próxíma.

Lectio VI.

Qui est, inquit, dominátor, Dómine? Cur iunióri mihi tam onerosum pondus impónis? Cur ad corrigéndum pópulum ætátem párvulam dírigis? Cur prophetánda mihi tantam óperam credis? Ego enim nec ad exsequéndum idoneus sum, qui ætáte premor, sermóne impéndior, officio térreor. Noli, inquit Dóminus, dícere, quia iúnior ego sum. Hoc enim per te fieri vólui, hoc per te impléri præcépi, ut iúnior senes et inelóquens eloquéntes obiúrges. Te mihi dignum, méritum · non ætas constituit, te idóneum sánctitas, non quáalitas sermónis assérvit. Tu autem.

Responsorium

Deus meus, éripe me de manu peccatóris, et de manu contra legem agéntis, et iníqui, # quóniam tu es patiéntia mea. **V.** Eripe me de inimícis meis, Deus meus, et ab insurgéntibus in me líbera me! **Q**uóniam tu es.

In tertio nocturno**Antiphona**

Abraham, pater vester, exsultávit, ut vidéret diem meum; vidit, et gavísus est. **Ps.** Cæli enárrant.

Versiculus

V. Ne perdas cum ímpiis, Deus, ánimam meam!

R. Et cum viris sánguinum vitam meam.

Secundum Ioannem

In illo témpore. Dixit Iesus turbis Iudæórum: Quis ex vobis árguet me de peccáto? Si veritátem dico, quare vos non créditis mihi? Qui est ex Deo, verba mea audit. Proptérea vos non audítis, quia ex Deo non estis. Et réliqua.

Homéliea beáti Gregórii papæ.

Lectio VII.

Pensáte, fratres caríssimi, mansuetúdinem Dei; relaxáre peccáta vénerat, et dicébat: *“Quis ex vobis árguet me de peccáto?”* Non dedignátur ex ratióne osténdere se peccatórem non esse, qui ex virtúte divinitátis póterat peccatóres iustificáre. Sed terríbile est valde, quod súbditur: *“Qui est ex Deo, verba Dei audit, própterea vos non audítis, quia ex Deo non estis.”* Si enim ipse verba Dei audit, qui ex Deo est, et audíre verba Dei non potest quisquis, ex illo non est; intérriget se unusquisque, si verba Dei in aure cordis percípit, et intélligit, unde sit. Tu autem.

Responsorium



Tota die contristátus ingrediébar, Dómine, quóniam ánima mea impléta est illusió nibus, # et vim faciébant, qui quærébant ánimam meam. **V.** Et qui inquirébant mala mihi, locúti sunt vanitátes, et dolos tota die meditabántur. **Et** vim.

Lectio VIII.

Cæléstem pátriam desideráre véritas iubet, carnis desidéria cónteri, mundi glóriam declináre, aliéna non áppetí, própria largíri. Penset ergo apud se unusquisque vestrum, si hæc vox Dei in cordis aure conváluit, et quia iam ex Deo sit, agnóscit? Nam sunt nonnúlli, qui præcépta Dei nec aure córporis percípere dignántur. Et sunt nonnúlli, qui hæc quidem córporis aure percípiunt, sed nullo ea mentis desidério complectúntur. Tu autem.

Responsorium



In próxímo est tribulátio mea, Dómine, et non est, qui ádiuвет, ut fódiant manus meas et pedes meos. # Líbera me de ore leónis, ut narrem nomen tuum frátribus meis! **V.** Deus, Deus meus, respice in me; quare me dereliquísti longe a salúte mea? **Líbera.**

Lectio IX.

Et sunt nonnulli, qui libenter verba Dei suscipiunt, ita ut etiam in fléribus compungantur, sed post lacrimarum tempus ad iniquitatem redeunt. Hi profecto, verba Dei non audiunt, quia hæc exercere in opere contemnunt. Vitam ergo vestram, fratres carissimi, ante mentis oculos revocate, et alta consideratione pertimescite hoc, quod ex ore veritatis sonat: *“Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.”* Sed hoc, quod de reprobis veritas loquitur, ipsi hoc de semetipsis reprobi suis operibus ostendunt. Tu autem.

Responsorium

In te iactatus sum ex útero, de ventre matris meæ Deus meus es tu, ne discedas a me, # quoniam tribulatio próxima est, et non est, qui adiuvet. **V.** Erue a fræmea, Deus, animam meam, et de manu canis unicam meam! **Quoniam.** **Sine** Glória Patri.

Ad laudes**Antiphona**

Vide, Dómine, afflictionem meam, quoniam erectus est inimicus meus. **Ps.** Miserere mei, Deus.

Antiphona

In tribulatione invocavi Dóminum, et exaudivit me in latitudine. **Ps.** Confitemini Dómino.

Antiphona



Iudicásti, Dómine, causam ánimæ meæ, defénsor vitæ meæ,
Dómine, Deus meus. **Ps.** Deus, Deus meus.

Antiphona



Pópule meus, quid feci tibi, aut quid moléstus fui tibi, respónde
mihi! **Canticum:** Benedícite.

Antiphona



Numquid rédditur pro bono malum, quia fodérunt fóveam ánimæ
meæ? **Ps.** Laudáte Dóminum de cælis.

Capitulum: Christus assistens.

Hymnus



Pange, lingua, gloriósi proelium certáminis, et super crucis
trophæum · dic triúmphum nóbilem, quáliter Redémptor orbis ·
immolátus vícerit!

De paréntis protoplásti ·
fraude factor cóndolens,
quando pomi noxiális
morsu · in mortem córruit,
ipse lignum tunc notávit ·
damna ligni ut sólveret.

Hoc opus nostræ salútis
 ordo depopóscerat,
 multifórmis proditóris ·
 ars ut artem fálleret,
 et medélam ferret inde,
 hostis, unde læserat.

Quando venit ergo sacri
 plenitúdo témporis,
 missus est ab arce Patris
 natus, orbis Cónditor,
 atque ventre virgináli ·
 caro factus, pródiit.

Vagit infans inter arta ·
 cónditus præsåpia,
 membra pannis involúta,
 virgo mater álligat,
 et pedes manúsque crura ·
 stricta cingit fáscia.

Lustra sex, qui iam perácta,
 tempus implens córporis,
 se volénte natus ad hoc ·
 passióni déditus,
 agnus in cruce levátur,
 immolándus stípíte.

Hic acétum, fel, arúndo,
 sputa, clavis, láncea,
 mite corpus perforátur,
 sanguis unda prófluit,
 terra, pontus, astra, mundus,
 quo lavántur flúmíne.

Flecte ramos, arbor alta,
 tensa laxa víscera,
 et rigor lentéscat ille,
 quem dedit natívitas,
 ut supérni membra regis
 miti tendas stípíte!

CruX fidélis inter omnes,
 arbor una nóbilis,
 nulla silva talem profert ·
 fronde, flore, gérmine,
 dulce lignum, dulces clavos,
 dulce pondus sústinet.

Sola digna tu fuísti
 ferre prétium sœculi,
 atque portum præparáre
 nauta mundo náufrago,
 quem sacer cruor perúnxit,
 fusus Agni córpore.

Glória ætérno Patri,
 qui creávit ómnia,
 glória Unico eius,
 pro salúte pósito,
 Spíritui quoque Sancto
 per ætérna sœcula!



Amen.

Versiculus

V. Eripe me de inimícis meis, Deus meus!

R. Et ab insurgéntibus in me líbera me!

Ad Benedictus antiphona



Dixit Iesus turbis: Quis ex vobis árguet me de peccáto: Si veritátem dico, quare vos non créditois mihi? Qui est ex Deo, verba Dei audit, proptérea vos non audítis, quia ex Deo non estis.

Oratio: Quæsumus, omnípotens Deus, **ut supra.**

Ad primam

Hymnus: Iam lucis, et cetera. Te summa.

Antiphona



Libera me, Dómine, et pone me iuxta te, et cúiusvis manus pugnet contra me! **Ps.** Deus, Deus meus, réspice.

Capitulum: Confundántur, ut supra. **Responsorium:** Iesu Christe, Fili. **V.** Qui passus es cleménte pro nobis. **Sine** Glória Patri. **Versiculus:** Usquequo exaltábitur. **Oratio:** Dómine, sancte Pater.

Ad tertiam

Antiphona: Ego daemónium. **Psalmus:** Legem pone mihi, Dómine. **Capitulum:** Fratres. Christus, assistens pónitífex futurórum.

Responsorium



Erue a frámea, Deus, ánimam meam, # et de manu canis únicam meam! **V.** Eripe me, Dómine, ab hómine malo, a viro iníquo líbera me! **Et** de. **Sine** Glória Patri.

Versiculus: De ore leónis.

Ad sextam

Antiphona: Ego glóriam meam. **Psalmus:** Defécit in.

Capitulum

Fratres. Si enim sanguis hircórum aut taurórum, et cinis vítulæ aspérsus, coinquínátos sanctíficat ad emundatiónem carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per Spíritum Sanctum semetípsum óbtulit immaculátum Deo, emundábit consciéntiam nostram ab opéribus mórtuis, ad serviéndum Deo vivénti. Deo.

Responsorium

De ore leónis líbera me, Dómine, # et a córnibus unicórnium humilitátem meam! **V.** Erue a frámea, Deus, ánimam meam, et de manu canis únicam meam! **E**t a córnibus.

Versiculus: Ne perdas cum ímpiis ánimam meam!

Ad nonam

Antiphona: Abraham, pater. **Psalmus:** Mirabília.

Capitulum

Fratres. Christus novi testaménti mediátor est, ut morte intercedénte, in redemptiónem eárum pærvaticiónum, quæ erat sub prióri testaménto, repromissiónem accípiant, qui vocáti sunt ætérnæ hereditátis · in Christo Iesu, Dómino nostro. Deo.

Responsorium

Príncipes persecúti sunt me gratis, et a verbis tuis formidávit cor meum. # Lætábor ego super elóquia tua. **V.** Quasi qui ínvenit spólia multa. **L**ætábor.

Versiculus

V. Eripe me de inimícis meis, Deus meus!

R. Et ab insurgéntibus in me líbera me!

Ad secundas vesperas

Antiphona: Animæ impiórum. **Psalmus:** Dixit Dóminus, *per ordinem*. **Capitulum:** Fratres. Christus, assístens póntifex. **Responsorium:** In te iactátus sum. **Hymnus:** Vexílla regis. **Versiculus:** Eripe me, Dómine, ab hómine malo! **R.** A viro.

Ad Magnificat antiphona



Tulérunt lápides Iudáei, ut iácerent in eum; Iesus autem abscondit se, et exívit de templo.

FERIA SECUNDA

ad matutinum

Invitorium



Plorémus ante Dóminum, qui fecit nos, # quia ipse est Deus noster.
Ps. Veníte.

Ad nocturnum

Antiphona: Dóminus, illuminátio. **Psalmus:** Ipsum. **Versiculus:** Erue a frámea.

Secundum Ioannem

In illo témpore. Misérunt príncipes et pharisæi minístros, ut apprehénderent Iesum. Et réliqua.

Homélia beáti Augustíni epíscopi.

Lectio I.

Quómodo apprehénderent adhuc noléntem? Quia ergo non póterant apprehénderere noléntem, missi sunt, ut audírent docéntem. Quid docéntem? Dixit ergo Iesus: Adhuc módicum tempus vobíscum sum. Quod modo vultis fácere, factúri estis, sed non modo, quia modo nolo. Quare modo nolo? Quia adhuc módicum tempus vobíscum sum, et tunc vado ad eum, qui misit me; implére débeo dispensatióem meam, et sic perveníre ad passióem meam. *“Quæritis me, et non inveniétis, et ubi sum ego, vos non potéstis veníre.”* Hic iam resurrectióem suam prædíxit. Noluérunt enim eum agnóscere præsentem, et póstea quæsiérunt eum, cum vidérent in eum multítudinem iam credéntem. Tu.

Responsorium



Ne avértas faciém tuam a púero tuo, Dómine; # quóniam tríbulor, velóciter exáudi me! **V.** Eripe me, Dómine, ab hómine malo; a viro iníquo líbera me! **Q**uóniam tríbulor.

Lectio II.

Magna enim signa facta sunt · étiam, cum Dóminus resurréxit, et ascéndit in cælum. Tunc per discípulos facta sunt signa magna, sed ille per illos, qui et per seípsum. Ipse illis quippe díxerat: Sine me nihil potéstis fácere. Quando claudus ille, qui sedébat ad portam, ad vocem Petri surréxit, et suis pédibus ambulávit, ut hómines miraréntur. Sic eos allocútus est Petrus, quia non in sua potestáte ista fecit, sed in virtúte illíus, quem ipsi occíderant. Tu.

Responsorium



Pacífice loquebántur mihi inimíci mei, et in ira molésti erant mihi. # Vidísti, Dómine, ne síleas, ne discédas a me! **V.** Omnes inimíci mei cogitábant mala mihi; verbum iníquum mandavérunt advérsus me. **V**idísti.

Lectio III.

Multi compúncti díxerunt: Quid faciémus? Vidérunt enim se ingénti crímine impietátis astríctos, quando illum occídérunt, quem venerári et adoráre debuérunt, et hoc putábant esse inexpiábile. Magnum enim fácinus erat, cuius considerátio illos fáceret desperáre, pro quibus in cruce pendens, Dóminus dignátus est oráre. Díxerat enim: Pater, ignósce illis, quia nésciunt, quid faciunt. Vidébat quosdam suos inter multos aliénos. Illis iam petébat véniam, a quibus adhuc accipiebat iníuriam. Non enim attendébat, quod ab ipsis moriebátur, sed quia pro ipsis moriebátur. Multum est, quod illis concéssum est, et ab ipsis et pro ipsis, ut nemo de sui peccáti dimissióne désperet, quando illi véniam meruérunt, qui Christum occíderent. Tu autem.

Responsorium



Ne perdas cum ímpiis, Deus, ánimam meam, et cum viris sánguinum vitam meam; # rédime me, Dómine! **V.** Eripe me, Dómine, ab hómine malo; a viro iníquo líbera me! **Rédime. Sine Glória.**

Laudes

De psalterio.

Capitulum

In diébus illis. Factum est verbum Dómini ad Ionam prophétam secúndo, dicens: Surge, et vade in Níniven, civitátem magnam, et prædica in ea prædicatióem, quam ego loquor ad te! Et surréxit Ionas, et ábiit in Níniven iuxta verbum Dómini. Deo.

Hymnus: Pange, lingua.

Ad Benedictus antiphona



In die magno festivitátis · stabat Iesus, et clamábat, dicens: Si quis sitit, véniat ad me, et bibat!

Oratio

Sanctífica, quæsumus, Dómine, nostra ieiúnia, et cunctárum nobis propítius indulgéntiam largíre culpárum.

Super populum antiphona



Sicut exaltátus est serpens in erémo, ita exaltári opórtet Fílium hómínis.

Versiculus: De ore leónis.

Oratio

Da, quæsumus, Dómine, pópulo tuo salútem mentis et córporis, ut bonis opéribus inhæréndo, tua semper mereátur protectióne deféndi. Per.

In missa, orationi diei adiunguntur duæ orationes, scilicet: Ecclésiæ tuæ, quæsumus, Dómine, preces. *Alia:* Pietáte tua. *Subdiaconus et diaconus sine dalmaticis.*

Ad primam

Antiphona: Libera me, Dómine, *ut supra.* *Psalmus:* Deus, in nómine. *Capitulum:* Confundántur. *Responsorium:* Christe, Fili Dei. *V.* Qui passus. *Versiculus:* Usquequo.

Ad tertiam

Antiphona: Animæ impiórum. *Psalmus:* Legem pone. *Capitulum:* In diébus illis. Factum est verbum. *Responsorium:* Erue a frámea, *ut supra.* *Versiculus:* De ore leónis.

Ad sextam

Antiphona: Abraham, pater vester. *Psalmus:* Defécit.

Capitulum

Erat Nínive cívitas magna, itínere diérum trium, et cœpit Ionas introíre in civitátem, itínere diéi uníus, et clamávit, et dixit: Adhuc quadragínta dies, et Nínive subvertétur; et credidérunt viri Ninivítæ in Dómino, et prædicavérunt ieiúnium, et vestíti sunt saccis, a maióre usque ad minórem. Deo.

Responsorium: De ore leónis.

Ad nonam

Antiphona



Quinquaginta annos nondum habes, et Abraham vidisti? Amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum. **Ps.** Mirabilia.

Capitulum

Quis scit, si convertatur, et ignoscat Deus, et revertatur a furore iræ suæ, et non peribimus? Et vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala, et misertus est populo suo Dominus, Deus noster. Deo.

Responsorium: Principes persecuti.

Ad <secundas> vesperas

Antiphona: Animæ impiorum. **Psalmus:** Diléxi, quóniam. **Capitulum:** In diébus illis. Factum est. **Responsorium:** Circumdedérunt me. **Vel:** In te iactatus sum. **Hymnus:** Vexilla regis. **Versiculus:** Eripe me, Dómine, ab hómine malo.

Ad Magnificat antiphona



Si quis sitit, véniat, et bibat, et de ventre eius fluent aquæ vivæ.

FERIA TERIA

[ad matutinum]

Secundum Lucam (valójjában secundum Ioannem)

In illo témpore. Ambulábat Iesus in Galilæam. Non enim volébat in Iudæam ambuláre, quia quærébant eum Iudæi interfícere. Et réliqua.

Homélia beáti Augustíni epíscopi.

Lectio I.

Dóminus noster, Iesus Christus, Deus et homo, Deus cum Patre, semper homo nobíscum ex témpore. Non enim quæreret, quod fécerat, nisi ipse, quod fécerat, fíeri voluísset. Verum hoc mementóte, et de córdibus vestris nolíte dimíttre sic esse Christum hómínem factum, ut non destíterit Deus esse! Manens Deus, accépit hómínem, qui fecit hómínem. Tu.

Responsorium



Dóceam iníquos vias tuas, et ímpii ad te converténtur; # líbera me de sanguínibus, Deus, salútis meæ! **V.** Dómine, lábia mea apéries, et os meum annuntiábit laudem tuam. **L**íbera me.

Lectio II.

Quando ergo látuit, ut homo, non poténtiam perdidísse putándus est, sed exéplum nostræ infirmitáti præbúisse. Ille enim, quando vóluit, deténtus est, quando vóluit, occísus est. Sed quóniam futúra erant membra eius, id est fidéles eius, qui non habérent illam potestátem, quam habébat, et ipse Dóminus noster, quod latébat, quod se, tamquam ne occiderétur, occultábat. Tu.

Responsorium: Deus meus es tu. *Quære supra, in dominica.*

Lectio III.

Hæc indicábant factúra esse membra sua, in quibus utíque membris suis ipse erat. Non enim Christus in cápíte, et non in córpore, sed Christus totus in cápíte et in córpore. Quod ergo membra eius, hoc ipse, quod autem ipse, hoc contínuo membra eius; nam si ipsi non

essent membra eius, non diceret Saulo: “Quid me perséqueris?” Non enim Saulus ipsum, sed membra eius, id est fideles eius in terra persequebátur. Nóluit tamen dícere sanctos meos, servos meos. Postrémo honorabílius fratres meos, sed me, hoc est membra mea, quibus ego sum caput. His prædictis, puto vos in hoc capítulo, quod modo lectum est, non esse laboratúros. Sæpe enim significátum est in cápíte, quod futúrum erat in córpore. Tu.

Responsorium: Deus meus, éripe.

[Ad laudes]

Capitulum

In diébus illis. Congregáti sunt Babylónii ad regem, et dixerunt ei: Trade nobis Daniélem, qui Bel destrúxit, et dracónem interfécit; alióquin interficiémus te et domum tuam. Vidit ergo rex, quod irrúerent in eum veheménter, et necessitáte compúlsus, trádedit eis Daniélem, qui misérunt eum in lacum leónum, et erat ibi sex diébus. [Deo.]

Hymnus: Pange, lingua. **Versiculus:** Eripe me.

Ad Benedictus antiphona



Tempus meum nondum advénit, tempus autem vestrum semper est parátum.

Oratio

Nostra tibi, quæsumus, Dómine, sint accépta ieiúnia, quæ nos et expiándo grátia tua dignos efficiant, et ad remédia perdúcant æténa.

Super populum antiphona: Sicut exaltátus.

Oratio

Da nobis, quæsumus, Dómine, perseverántem in tua voluntáte famulátum, ut in diébus nostris · et mérito et número pópulus tibi sérvians augeátur. Per.

Ad sextam

Capitulum

Venit rex die séptima, ut lugéret Daniélem, et venit ad lacum, et introspéxit, et ecce, Dániel, sedens in médio leónum; et clamávit rex voce magna, dicens: Magnus es, Dómine, Deus Daniélis; et extráxit eum de lacu. Deo.

Ad nonam

Capitulum

Tunc rex ait: Páveant habitántes in univérſa terra Deum Daniélis, quia ipse est liberátor et salvátor, fáciens signa et mirábília in cælo et in terra, qui liberávit Daniélem de lacu leónum. Deo.

[Ad vesperas]

Ad Magnificat antiphona



Vos ascéndite ad diem festum hunc, ego non ascéndam, quia tempus meum nondum advénit.

FERIA QUARTA

Secundum Ioannem

In illo tēpore. Facta sunt encænia in Ierosólymis, et hiems erat. Et ambulábat Iesus in templo, in pórticu Salomónis. Et réliqua.

Homélia beáti Augustíni epíscopi.

Lectio I.

Encænia festívitatis erat dedicatiónis templi. Græce enim cænon dicitur novum. Quandocúmque novum áliquíd fúerit dedicátum, encænia vocátur. Iam et usus habet hoc verbum: Si quis nova túnica induátur, encæniáre dicitur. Illum ergo diem, quo templum dedicátum est, Iudæi sollémniter célebrant. Ipse dies festus agebátur cum ea, quæ lecta sunt: Locútus est Dóminus: *“Hiems erat, et ambulábat Iesus in templo, in pórticu Salomónis. Circumdedérunt ergo eum Iudæi, et dicébant ei: Quoúsque ánimam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam!”* Non veritátem desiderábant, sed calúmniam præparábant. Tu.

Responsorium: Tota die, *ut supra.*

Lectio II.

Hiems erat, et frígidi erant, ad illum enim divínus ignem accédere pigri erant, sed accédere est crédere. Qui credit, accédit, qui negat, recédit. Non movétur ánima pédibus, sed afféctibus. Frígidi erant non diligéndo caritátem, et ardébent nocéndo cupiditáte. Longe áberant, et ibi erant. Non accedébant credéndo, et premébant persequéndo. Quærébant audíre a Dómino: ego sum Christus. Et fortásse de Christo secúndum hómínem sapiébant. Prædicavérunt enim prophétæ Christum, sed divinitátem Christi, et in prophétis et in ipso evangélio nec herétici intélligunt, quanto minus Iudæi, quámdiú velámen est super cor eórum! Tu autem.

Responsorium: In próximo.

Lectio III.

Dénique quodam loco, scines eos Dóminus Iesus de Christo secúndum hómínem sápere, non secúndum Deum, secúndum id, quod homo erat, non secúndum id, quod Deus étiam assúmpto hómíne permanébat, ait illis: *“Quid vobis vidétur de Christo, cuius Fílius est?”* Respondérunt secúndum opinatióem suam: *“David.”*

Sic enim légerant, et hoc solum tenébant, quia divinitátem eius legébant, sed non intelligébant. Dóminus autem, ut eos suspénderet, ad quæréndam eius divinitátem, cuius contemnébant infirmitátem, respóndit eis: “Quómodo ergo David in spírítu dicit eum Dóminum: Dixit Dóminus Dómino meo: sede a dextris meis, donec ponam inimícos tuos sub pédibus tuis? Si ergo David in spírítu dicit eum Dóminum, quómodo fílius eius est?” Non negávit, sed interrogávit, ne quis hoc, cum audíerit, putet, quod Dóminus Iesus negáverit se fílium esse David. Tu.

Responsorium: In te iactátus.

[Ad laudes]

Capitulum

In diébus illis. Locútus est Dóminus ad Móysen, dicens: Ego Dóminus, Deus vester. Non faciétis furtum, non mentiémini, nec decípiat unusquisque próximum suum, non periurábis in nómine meo, nec póllues nomen Dei tui, ego Dóminus. Deo.

Ad Benedictus antiphona



Oves meæ vocem meam áudiunt, et ego, Dóminus, agnósko eas.

Oratio

Sanctificáto hoc ieiúnio, Deus, tuórum corda fidélium miserátor illústra, et quibus devotiónis præstas efféctum, præbe supplicántibus pium benígnus audítum!

Super populum antiphona: Sicut exaltátus est.

Oratio

Adésto supplicatió nibus nostris, omnípotens Deus, et quibus fidúciã sperándæ pietátis indúlges, consuétæ misericórdiæ tríbue benígnus efféctum! Per.

Ad sextam

Capitulum

Hæc dicit Dóminus. Non fácies calúmniam próximo tuo, nec vi ópprimes eum, non morábitur opus mercenárii tui apud te usque mane, non maledíces surdo, nec coram cæco pones offendículum, sed timébis Dóminum, Deum tuum, quia ego sum Dóminus. Deo.

Ad nonam

Capitulum

Hæc dicit Dóminus. Non óderis fratrem tuum in corde tuo, sed públice árgue eum, ne hábeas super illum peccátum, nec quæras ulciónem, nec memor eris iniúriæ cívium tuórum! Díliges amícum tuum, sicut teípsum, ego Dóminus; leges meas custodíte, ego enim sum Dóminus, Deus vester. Deo.

Ad Magnificat antiphona



Multa bona ópera operátus sum vobis; propter quod opus vultis me occídere?

FERIA QUINTA

[ad matutinum]

Secundum Lucam

In illo tēpore. Rogábat Iesum quidam pharisæus, ut manducáret cum illo. Et réliqua.

Homélia beáti Gregórii papæ.

Lectio I.

Cogitánti mihi de Mariæ pæniténtia · flere magis libet, quam áliquid dícere. Cuius enim, vel saxéum pectus ille, huius peccatricis lácrimæ ad exéplum pæniténdi non emolliántur? Considerávit namque, quid fecit, et nóluit moderári, quod fáceret. Super convivántes ingrèssa est, non iussa venit, inter épulas · lácrimas óbtulit. Dísците, quo dolóre ardet, quæ flere inter épulas non erubéscit! Hanc vero, quam Lucas peccatricem mulierem, Ioánnes Mariám nóminat, illam esse Mariám crédimus, de qua Marcus septem dæmónia eiécta fuisse testátur. Tu autem.

Responsorium: Isti sunt.

Lectio II.

Et quid per septem dæmones, nisi univérssa vítia designántur? Quia enim septem diébus omne tempus comprehénditur, recte septenário número univérsitas figurátur. Septem ergo dæmónia Mariá hábuit, quæ univérsis vítiis plena fuit. Sed ecce, quia turpitudinis suæ máculas aspéxit, laudánda ad fontem misericórdiæ cucúrrit. Convivántes non erúbuit, nam quia semetípsam gráviter erubescébat intus, nihil esse crédidit, quod verecundarétur foris. Quid ígitur mirámur, fratres? Mariám veniéntem, an Dóminum suscipiéntem? Suscipiéntem dicam an trahéntem? Sed mélius et trahéntem et suscipiéntem. Qui nimírum ipse eam per misericórdiam traxit intus, qui per mansuetúdinem suscepit foris. Tu.

Lectio III.

Sed iam textum sancti Evangélii percurréntes, ipsum quoque órdinem, quo vénerat, sanánda videámus! Attulit alabástrum unguénti, et stans retro secus pedes Dómini Iesu, lácrimis cœpit rigáre pedes eius, et capíllis cápitis sui tergébat, et osculabátur pedes

eius, et unguénto unguébat. Liqueat, fratres, quod illicitis áctibus prius múlier inténta, unguéntum sibi pro odóre suæ carnis adhíbuit. Quod ergo sibi túrpius exhibúerat, hoc iam Dómino laudábiter offerébat. Oculis terréna concupíerat, sed hos iam per pæniténtiam cónterens, flebat. Capíllos ad compositiónem vultus exhibúerat, sed iam capíllis lácrimas tergébat. Ore supérba díxerat, sed pedes Dómini ósculans, hoc in Redemptóris sui vestígia figébat. Quot ergo in se hábuit oblectaménta, tot de se invénit holocáusta. Convértit ad virtútes númerum críminum, ut totum servíret Deo in pæniténtia, quicquid ex se duri contémpserat in culpa. Tu.

[Ad laudes]

Capitulum

In diébus illis. Orávit Dániel, dicens: Dómine, Deus, ne despicias pópulum tuum, neque áuferas misericórdiam tuam a nobis propter Abraham, diléctum tuum, et Isaac, servum tuum, et Israel, sanctum tuum, quibus locútus es, póllicens, quod multiplicáres semen eórum, sicut stellas cæli, et sicut arénam, quæ est in lítore maris! Deo.

Ad Benedictus antiphona



Desidério desiderávi hoc pascha manducáre vobíscum, ántequam pátiar.

Oratio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut dígnitas conditionis humanæ · per immoderántiam sauciáta, medicínalis parsimóniæ stúdio reformétur.

Super populum oratio

Esto, Dómine, propítius plebi tuæ, ut quæ tibi non placet réspuens, tuórum pótius repleátur delectatióibus mandatórum! Per.

Ad sextam

Capitulum

Orávit Dániel, dicens: Dómine, imminúti sumus plus, quam omnes gentes, sumúsque húmiles in univérſa terra hódie propter peccáta nostra, et non est in témpore hoc princeps et prophéta et dux, neque holocáustum, neque sacrificium, neque oblátio, neque incésum, neque locus primitiárum coram te, ut póssimus inveníre misericórdiam coram te, sed in ánimo contríto et spírítu humilitátis suscipiámur! Deo.

Ad nonam

Capitulum

Orávit Dániel, dicens: Dómine, confundántur omnes, qui osténdunt servis tuis mala, confundántur in omni poténtia sua, et robur eórum conterátur, et sciant, quia tu es Dóminus, Deus solus, et glorióſus super omnem terram, Dómine, Deus noster! Deo.

Ad Magnificat antiphona



Magíster dicit: Tempus meum prope est; apud te fácio pascha cum discípuſis meis.

FERIA SEXTA

[ad matutinum]

Secundum Ioannem.

In illo tēpore. Collegērunt pontífices et pharisæi concílium, et dicébant: Quid fácimus, quia hic homo multa signa facit? Et réliqua.

Homélia beáti Augustíni epíscopi.

Lectio I.

Pontífices et pharisæi, quia sibi consulébant, nec tamen dicébant: credámus. Plus enim pérditi hómines cogitábant, quómo do nocérent, ut pérderent, quam quómo do sibi consulérent, ne périrēt. Et tamen timébant, et quasi consulébant. Dicébent enim: *“Quid fácimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimíttimus eum sic, omnes credent in eum, et vénient Románi, et tollent nostrum locum et gentem.”* Temporália quidem pérdere timúerunt, et vitam ætérnam non cogitavérunt, ac sic utrúmque amisérunt. Nam et Románi post Dómini passiónem et glorificatió nem · tulérunt eis locum et gentem, expugnádo et transferéndo. Et ... eos séquitur, quod álibi dictum est: *“Fílii autem regni ibunt in ténebras exterióres.”* Tu.

Responsorium: Adiútor et protéctor.

Lectio II.

Hoc autem timúerant, ne si omnes in Christum créderent, nemo remanéret, qui advérsus Romános civitátem Dei · templúmque defénderet, quia contra ipsum templum et contra suas patérnas leges · doctrínam Christi esse sentiébant. *“Unus autem ex ipsis, Cáiphas, cum esset pón tífex anni illíus, dixit illis: Vos nescítis quicquam, nec cogitátis, quia expedit vobis, ut unus moriá tur homo pro pópulo, et non tota gens péreat. Hoc autem a seípso non dixit, sed cum esset pón tífex anni illíus, prophetávit.”* Hic docémur étiam pro hómines malos prophétíæ spírítum futúra prædicere, quod tamen evangelísta divíno tríbuit sacraménto, quia pón tífex fuit, id est summus sacérdos. Tu autem.

Lectio III.

Potest autem movére, quómo do dicátur pón tífex anni illíus, cum Dóminus unum constitúerit summum sacerdotem, cui mórtuo, unus succéderet. Sed per ambi tiónes et contentiónes inter Iudæos

intelligendum est, póstea constitútum, ut plures essent, et per annos síngulos vícibus ministrárent. Nam et de Zacharía dicitur hoc: Factum est autem, cum sacerdotío fungerétur in órđine vicis suæ, ante Deum secúndum consuetúdinem sorte éxiit, ut incénsum póneret; ingræssus in templum Dómini, hinc áppet plures eos fúisse, et et vices suas habúisse. Nam incénsum non licébat pónere, nisi summo sacerdoti. Et forte étiam unum annum plures administrábant, quibus álio anno álii succedébant, ex quibus sorte exíbat quis, ut incénsum póneret. Tu autem.

[Ad laudes]

Capitulum

In diébus illis. Dixit Ieremías: Dómine, omnes, qui te derelínquunt, confundéntur; recedéntes a te, in terra scribéntur, quóniam dereliquerunt venam aquárum vivéntium Dóminum. Sana me, Dómine, et sanábor, salvum me fac, et salvus ero, quóniam laus mea tu es. Deo.

Ad Benedictus antiphona



Appropinquábat autem dies festus Iudæórum, et quærébant príncipes sacerdotum, quómođo Iesum interficerent, sed tímébant plebem.

Oratio

Córdibus nostris, quæsumus, Dómine, grátiam tuam benígnus infúnde, ut peccáta nostra castigatióne voluntária cohibéntes, temporáliter pótius macerémur, quam supplicíis deputémur aetérnis.

Super populum oratio

Concéde, quæsumus, omnípotens Deus, ut qui protectiόνis tuæ grátiam quærimus, liberáti a malis ómnibus, secúra tibi mente serviámus. Per.

Ad sextam

Capitulum

Dixit Ieremías: Ecce, ipsi dicunt ad me: Ubi est verbum Dómini? Véniat, et ego non sum turbátus, te pastórem sequens, et diem hóminis non desiderávi, tu scis. Quod egréssum est de lábiis meis, rectum in conspéctu tuo fuit; non sis mihi tu formídini, spes mea tu in die afflictiónis meae! Deo.

Ad nonam

Capitulum

Dixit Ieremías: Confundántur omnes, qui me persequúntur, et non confúndar ego; páveant illi, et non páveam ego; induc super eos diem afflictiónis, et dúplici contritióne cóntere eos, Dómine, Deus noster! [Deo.]

[Ad vesperas]

Ad Magnificat antiphona



Príncipes sacerdotum consílium fecérunt, ut Iesum occíderent; dicébant autem: Non in die festo, ne forte tumúltus fíeret in pópulo!

SABBATO

[ad matutinum]

Secundum Ioannem

In illo tēpore. Dicébat Iesus ad eos, qui credidérunt ei, Iudæos: Si vos manséritis in sermóne meo, vere discípuli mei éritis. Et réliqua.

Homélia beáti Augustíni epíscopi.

Lectio I.

Cum Rex iustítiæ séderit in throno, sicut scriptúra lóquitur, quis gloriábitur castum se habére cor, aut quis gloriábitur mundum se esse peccáto? Multum nos térruit, o, fratres mei, dicéndo: *“Servus non manet in domo in ætérnum.”* Adiúngit autem, et dicit: *“Fílius manet in ætérnum.”* Ergo solus in domo sua erit Fílius. Nullus ibi pópulus cohærébit. Cui erit caput, si non erit corpus? An forte totum Fílius caput et corpus? Tu autem.

(Responsorium?)

Lectio II.

Non enim sine causa térruit, et spem dedit. Térruit, ne peccátum amarémus, spem dedit, ne de peccáti solutióne diffiderémus. *“Omnis quippe, qui facit peccátum, servus est peccáti. Servus autem non manet in domo in ætérnum.”* Quæ ergo nobis spes est, qui non sumus sine peccáto? Audi spem tuam! *“Fílius manet in domo in ætérnum. Si ergo Fílius vos liberáverit, tunc vere líberi éritis.”* Hæc spes nostra est, fratres, ut a líbero liberémur, et liberándo servos nos facit. Servi enim erámus cupiditátis, et liberáti, servi effícimur caritátis. Hoc et apóstolus dicit: *“Vos autem, fratres, in libertátem vocáti estis, tantum ne libertátem in occasiónem carnis detis, sed per caritátem servíte invicem!”* Tu.

Lectio III.

Non ergo dicat cristiánus: Liber sum, et in libertátem vocátus sum; servus eram, sed redēptus sum, et in ipsa redemptiÓne liber efféctus sum. Fáciam, quod volo, et nemo me perhíbeat a voluntáte mea, si liber sum. Sed si ista voluntáte peccátum facis, servus es peccáti. Noli ergo libertáte abúti, ad líbere peccándum, sed útere ad non peccándum! Erit enim volúntas tua líbera, si fúerit pia. Eris liber, si fúeris servus. Liber peccáti, servus iustítiæ, dicénte apóstolo:

“Cum servi essétis peccáti, líberi fuístis iustítiae. Nunc autem liberáti a peccáto, servi autem facti Deo, habétis fructum vestrum in sanctificatióne, finem vero vitam aetérnam; hoc conémur, id agámus! Prima libértas est cárere crimínibus. Tu. HOL AZ IDÉZET VÉGE?

[Ad laudes]

Capitulum

In diébus illis. Dixérunt ímpii Iudáei ad ívicem: Veníte, cogitémus contra iustum cogitatiónes! Non enim períbit lex a sacerdoté, neque consílium a sapiénte, nec sermo a prophéta; veníte, et percutiámus eum lingua, et non attendámus ad univérsos sermónes eius! Atténde, Dómine, ad me, et audi voces adversariórum meórum! Deo.

Ad Benedictus antiphona



Clarífica me, Pater, apud temetípsum, claritáte, quam hábui, priúsquam mundus fíeret!

Oratio

Proficiat, quáesumus, Dómine, plebs tibi dicáta pie devotiónis afféctu, ut sacris actiúnibus erudíta, quanto maiestáti tuæ fit grátior, tanto donis potióribus augeátur.

Super populum oratio

Tueátur, quáesumus, Dómine, dextera tua pópulum tuum deprecántem, et purificátum dignánter erúdiat, ut consolatióne praesénti, ad futúra bona proficiat. Per.

Ad sextam

Capitulum

Numquid reddétur pro bono malum, quia fodérunt fóveam anímæ meæ; recordáre, quod stéterim in conspéctu tuo, ut lóquerer pro eis bonum, et avérterem indignatióem tuam ab eis! Deo.

Ad nonam

Capitulum

Tu autem Dómine, scis omne consílium eórum advérsus me in mortem; ne propitíeris iniquitati eórum, et peccátum eórum a fácie tua non deleátur; fiant corruéntes in conspéctu tuo in témpore furóris tui, Dómine, Deus noster! Deo.

DOMINICA IN RAMISPALMARUM

sabbato præcedenti ad vesperas

Antiphona: Animæ impiórum. **Psalmus:** Benedíctus.

Capitulum

Fratres. Hoc sentíte in vobis, quod et in Christo Iesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitrátus est esse se æquálem Deo, sed semetípsum exinanívit, formam servi accípiens, in similitúdinem hóminum factus, et hábitu invéntus, ut homo. Deo.

Responsorium



Ingréssus Pilátus cum Iesu in prætórium, tunc ait illi: Tu es rex Iudæórum? Respóndit: Tu dicis, quia rex sum. Exívit ergo Iesus de prætório, portans corónam, et vestem purpúream. # Et cum indútus fuisset, exclamavérunt omnes: Crucifigátur, quia Fílium Dei se fecit! **V.** Tunc ait illis Pilátus: Regem vestrum crucifígam? Respondérunt pontífices: Regem non habémus, nisi Cæsarem. **E**t cum.

Hymnus: Vexilla regis. **Versiculus:** Eripe me, Dómine, ab hómine malo.

Ad Magnificat antiphona



Pater iuste, mundus te non cognóvit, ego autem cognóvi te, quia tu me misísti.

Oratio

Omnípotens, sempitérne Deus, qui humano géneri, ad imitándum humilitátis exéplum, Salvatórem nostrum carnem súmerere, et crucis subíre fecísti: concéde propítius, ut et patientiæ ipsíus habére documénta, et resurrectionis eius consórtia mereámur! Per eúndem.

Ad completorium

Antiphona: Misérére. **Psalmus:** Cum invocárem. **Hymnus:** Christe, qui lux.
Capitulum: Confundántur, qui.

Responsorium



Dixi: conscéndam in palmam, # et apprehéndam fructus eius. **V.** In qua exaltátus a terra, ómnia traham ad meípsum. **Et.**

Versiculus: Usquequo.

Ad Nunc dimittis antiphona

Simon, dormis? Non potuísti una hora vigiláre mecum, vel Iudam non vides, quómo modo non dormit, sed festínat trádere me Iudáeis?

Oratio: Deus, qui illúminas.

Ad matutinum

Invitatorium



Ipsi vero non cognovérunt via[s] meas, quibus iurávi in ira mea: # Si introíbunt in réquiem meam. Ps. Veníte.

In primo nocturno

Antiphona



Púeri Hebræórum, tolléntes ramos olivárum, obviavérunt Dómino, clamántes et dicéntes: Hosánna in excélsis. **Ps.** Beátus vir.

Versiculus: Erue, a frámea, Deus, ánimam meam.

Lectio I.

Verbum, quod factum est ad Ieremíam a Dómino, quando misit ad eum rex Sedecías Phassur, filium Mélchiaë, et Sophóniam, filium Maasiæ sacerdotem, dicens: Interroga pro nobis Dóminum, quia Nabuchodonósor, rex Babylónis, præliátur advérsus nos; si forte fáciat Dóminus nobíscum secúndum ómnia mirabília sua, et recédât a nobis! Et dixit Ieremías ad eos: Sic dicétis Sedecíæ: Hæc dicit Dóminus, Deus Israel: Convertímini ad me. (Nincs hæc?)

Responsorium



In die, qua invocávi te, Dómine, dixísti: Noli timére! # Iudicásti causam meam, et liberásti me, Deus meus. **V.** Deus meus, éripe me de manu peccatóris, et de manu contra legem agéntis et iníqui! **I**udicásti.

Lectio II.

Ecce, ego convértam vasa belli, quæ in mánibus vestris sunt, quibus vos pugnástis advérsus regem Babylónis et Chaldæos, qui óbsident vos in circúitu murórum, et congregábo ea in médium civitátis huius, et debellábo ego vos in manu exténta et bráchio forti, et in furóre et in indignatióne, et in ira grandi. Et percútiám habitátóres civitátis huius, hómines et béstiæ pestiléntia magna moriéntur. Et post hæc ait Dóminus: Dabo Sedecíam, regem Iuda et servos eius et pópulum eius, et qui derelícti sunt in civitaté hac · a peste et gládío et fame in manu Nabuchodonósor, regis Babylónis, et in manu inimicórum eórum, et in manu quæréntium ánimam eórum, et

percútiet eos in manu gládii, et non movébitur, neque parcet, neque miserébitur. Hæc dicit.

Responsorium



Fratres mei elongavérunt a me, et noti mei, # quasi aliéni recessérunt a me. **V.** Amíci mei et próximi mei. **Q**uasi.

Lectio III.

Hæc dicit Dóminus. Ecce, ego do coram vobis viam vitæ et viam mortis; qui habitáverit in urbe hac, moriétur gládio, et fame et peste. Qui autem egressus fúerit, et transfúgerit ad Chaldæos, qui óbsident vos, vivet. Et erit ei ánima sua, quasi spólium. Pósuí enim fáciem meam super civitátem hanc in malum, et non in bonum, ait Dóminus. In manu regis Babylónis dábitur, et exúret eam igni, et domum regis Iuda. Audíte verbum Dómini, domus David! Hæc dicit Dóminus: Iudicáte mane iudícium, et erúite vi oppræssos de manu calumniántis, ne forte egrediátur, ut ignis, indignátio mea, et succendátur, et non sit, qui exstínguat · propter malítiam studiórum vestrórum. Hæc dicit.

Responsorium



Atténde, Dómine, ad me, et audi voces adversariórum meórum; numquid rédditur pro bono malum, # quia fodérunt fóveam ánimæ meæ? **V.** Homo pacis meæ, in quo sperábam, ampliávit advérsum me supplantatiónem. **Q**uia.

In secundo nocturno

Antiphona



Púeri Hebræórum vestiménta prosternábant in via, et clamábant, dicéntes: Hosánna fílio David; benedíctus, qui venit in nómine Dómini. **Ps.** Consérva.

Versiculus: De ore leónis.

Sermo beáti Máximi epíscopi.

Lectio IV.

Psalmi vicésimi primi, qui lectus est sériem decursúri, diligénter prius debémus inténdere, quid in superscriptióne contíneat, ut cógnota eius orígine, intelligéntiam ipsíus facilius consequámur, et manifestáto cápite, possint réctius membra distribui. Inscríbitur enim ita: “In finem pro susceptióne matutína, psalmus ipsi David.” Nisi fallor, susceptio solis ortum semper antevénit, et priúsqvam hómínem radiórum clarus splendor illúminet matutína nóctium, ténebris términum ponit, ac resoluta sensim caliginum cæcitate, rebus cunctis fácies quædam ac lumen infúnditur. Tu autem.

Responsorium



Noli esse mihi, Dómine, aliénus, parce mihi in die mala, confundántur omnes, qui me persecúntur, # et non confundar ego! **V.** Confundántur omnes inimíci mei, qui quærunt ánimam meam, ut áuferant eam. **Et** non confundar.

Lectio V.

Et, cum velúti sub una matéria tenebrárum mundus, in confusióne iacérit, interveniénte matutíno, diversá speciérum veritate distinguitur, hoc est, cum ómnia cæca fúerint, óculi ómnium reparántur. Nox enim quodámmodo aufert óculos mundo, auróra restítuit, atque ita, ante matutína susceptióne perfrúimur, ut gloriósius póstmodum solis splendóre potiámur. Sed, quóniam sicut

dicit apóstolus: Lex spiritalis est, et spiritalibus spiritalia comparanda sunt, solem hic iustitiae arbitror designari, hoc est Christum Dóminum, qui nobis ignorantiae tenebris peccatorum caecitate submersis, caelestis doctrinae suae lumen infundit, et quos non habebamus oculos cordis, inseruit. Tu autem.

Responsorium



Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquae usque ad animam meam; ne avertas faciem tuam a me, # quoniam tribulor, velociter exaudi me! **V.** Intende animae meae, et libera eam; propter inimicos meos eripe me, Dómine! **Q**uoniam.

Lectio VI.

Et velut radios quosdam apóstolos suos misit, qui nos de nocte teterrima delinquentiae liberarent, et paulatim resolutis in nobis peccatorum tenebris, matutina nos susceptione consuescerent, ut profecti, facilius possimus tolerare solis ardorem. Hoc est primum nos praecipis simplicioribus erudirent, quo capaciores efficerent caelestium secretorum. Huius itaque solis iustitiae matutino peccatorum caligo tota perimitur, sicut ipse propheta ex persona Dómini dicit: "In matutinis interficiebam omnes peccatores terrae." Hoc est, oriente nobis sole iustitiae, qui habitacula Dómini sumus, omnis cogitatio iniqua subvertitur. Totus autem hic psalmus digestus est ex persona Dómini Salvatoris, quippe cum plura de eo in novo sunt posita testamento. Tu autem.

Responsorium



Synagoga populorum circumdedérunt me, et non reddidi retribuéntibus mihi mala. # Consumetur, Dómine, nequítia peccatorum, et diriges iustum! **V.** Tu autem, Dómine, susceptor meus es, et glória mea, et exáltans caput meum. **C**onsumetur, Dómine.

In tertio nocturno

Antiphona



Hosánna fílio David, benedíctus, qui venit in nómine Dómini, rex Israel, hosánna in excélsis! **Ps.** Cæli enárrant.

Versiculus: Ne perdas cum.

Secundum Matthæum

In illo témpore. Cum appropinquásset Iesus Ierosólymis, et venísset Béthphage, ad montem Olivéti, tunc misit duos discípulos, dicens eis: Ite in castéllum, quod contra vos est, et statim inveniétis ásinam alligátam, et pullum cum ea. Et réliqua.

Homélia venerábilis Bedæ presbýteri.

Lectio VII.

Mediátor Dei et hóminum homo, Christus Iesus, qui pro humáni géneris salúte, passúrus de cælo descénderat ad terras, appropinquánte hora passiónis, appropinquáre vóluit loco passiónis, ut étiam per hoc clarésceret, quia non invítus, sed sponte paterétur. In ásino veníre, et a turbis rex appellári · ac laudári vóluit, ut étiam per hoc erudítus quisque, cognósceret ipsum esse Christum, quem sic illo ventúrum prophétia olim præmíssa signáverat. Ante quinque dies Paschæ veníre vóluit, sicut ex Evangélio Ioánnis didícimus, ut étiam per hoc osténderet se esse agnum immaculátum, qui peccáta tólleret mundi. Tu autem.

Responsorium



Oppróbrium factus sum nimis inimícis meis; vidérunt me, et movérunt cápita sua. # Aduva me, Dómine, Deus meus! **V.** Perséquar inimícos meos, et comprehéndam illos, et non convértar, donec deficiant. **A**duva me.

Lectio VIII.

Agnus quippe paschális, cuius immolatióne pópulus Israel est ab Ægyptia servitúte liberátus, ante quinque dies Paschæ, id est quartadécima luna, ad vésperum iussus est immolári, significans eum, qui nos suo sáanguine redemptúrus erat. Ante quinque dies Paschæ, id est hodiérna die, magno præcedéntium subsequentiúmque populórum gáudio, ad laudatiónem dedúctus, venit in templum Dei, et erat cottídie docens in eo. Quinta demum perácta die, ubi véteris Paschæ sacraménta háctenus observáta consummávit, ac novi deinceps observánda discíplis contradídít, egressus in montem Olivéti, tentus est a Iudæis, et mane crucifíxus. Tu.

Responsorium

Deus Israel, propter te sustínui impropérium; opéruit reveréntia faciém meam, extráneus factus sum frátribus meis, et hospes fíliis matris meæ, # quóniam zelus domus tuæ comédit me. **V.** Deus meus, réspice in me; quare me dereliquísti longe a salúte mea? **Q**uóniam zelus.

Lectio IX.

Et bene, cum ad montem Olivéti venísset Dóminus, discípuos, qui hæc animália addúcerent, misit, quia non nostris ad eum méritis, sed sola ipsíus grátia largiénte pervénimus, Ioánne attestánte, qui ait: “Et in hoc est caritas, non, quasi nos, dilexérimus Deum, sed quóniam ipse diléxit nos.” Mons namque Olivéti celsitúdine domínice dilectiúnis, qua nos misericórditer illustráre ac salváre dignátus est, insinuat, non solum, quia ólei natúra lucis minstra est, et labórum dolorúmque solámen, verum étiam, quia cunctis, quibus immiscétur, solet excéllere liquóribus. Et apóstolus de caritaté locutúrus: “Adhuc, inquit, excellentiorem viam vobis demónstro.” Ad montem ígitur Olivéti véniens Dóminus, ásinos sibi, quibus Ierosólymam petat præcipi exhibéri, figuráte signans hoc, quod álibi dicit apérte. Tu autem.

Responsorium



Ingrédiēte Dómino in sanctam civitátem, Hebræórum púeri resurrecciónem vitæ pronuntiántes, # cum ramis palmárum Hosánna clamántes, in excélsis. **V.** Cumque audíssent, quia Iesus venit Ierosólymam, exiérunt óbviā ei. **Cum. Sine Glória.**

Ad laudes

Antiphona



Dóminus, Deus, auxiliátor meus, et ídeo non sum confúsus. **Ps.** Miserére.

Antiphona



Circumdántes circumdedérunt me, et in nómine Dómini vindicábor in eis. **Ps.** Confitémini.

Antiphona



Iúdica causam meam, defénde, quia potens es, Dómine! **Ps.** Deus, Deus meus.

Antiphona



Cum ángelis et púeris fidéles inveniántur triumphatóri mortis, clamántes: Hosánna in excélsis. **Canticum:** Benedícite.

Antiphona

Confundántur, qui me persequúntur, et non confúndar ego, Dómine, Deus meus! **Ps.** Laudáte Dóminum de cælis.

Capitulum: Fratres. Hoc sentíte. **Hymnus:** Pange, lingua. **Versiculus:** Eripe me de inimícis meis.

Ad Benedictus antiphona

Turba multa, quæ convénerat ad diem festum, clamábat Dómino: Benedíctus, qui venit in nómine Dómini; hosánna in excélsis!

Oratio, ut supra.

Ad primam

Antiphona

Mittens hæc múlier in corpus meum hoc unguéntum, ad sepeliéndum me fecit. **Ps.** Deus, Deus meus, réspice.

Capitulum: Confundántur. **Responsorium:** Iesu Christe. **V.** Qui passus, **et cetera.** **Versiculus:** Usquequo exal... **Oratio:** Dómine, sancte Pater.

Ad tertiam

Antiphona: Púeri Hebraeorum, tolléntes. **Psalmus:** Legem pone. **Capitulum:** Fratres. Hoc sentíte. **Responsorium:** Erue a frámea. **V.** De ore leónis.

Ad sextam

Antiphona: Púeri Hebraeorum vestiménta. **Psalmus:** Defécit.

Capitulum

Fratres. Christus humiliávit semetípsum, factus obédiens Deo Patri usque ad mortem, mortem autem crucis. Deo.

Responsorium: De ore leónis. **V.** Ne perdas cum.

Ad nonam

Antiphona: Hosánna filio. **Psalmus:** Mirabília.

Capitulum

Propter quod et Deus exaltávit illum, et donávit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nómine Iesu omne genu flectátur, cæléstium, terréstrium et infernórum, et omnis lingua confiteátur, quia Dóminus, Iesus Christus in glória est Dei Patris. Deo.

Responsorium: Príncipes persecúti, **ut supra.**

Ad secundas vespervas

Antiphona: Animæ impiórum. **Psalmus:** Dixit Dóminus, **per ordinem.** **Capitulum:** Fratres. Hoc sentíte. **Responsorium:** Ingrediénte Dómino. **Hymnus:** Vexílla regis. **Versiculus:** Eripe me, Dómine, ab hómine malo.

Ad Magnificat antiphona



Cepérunt omnes turbæ descendéntium gaudéntes laudáre Deum voce magna super ómnibus, quas víderant virtútibus, dicéntes: Benedíctus, qui venit rex, in nómine Dómini; pax de cælis, et glória in excélsis!

FERIA SECUNDA

ad matutinum

Invitorium



Ubi tentaverunt me patres vestri, # probaverunt et viderunt opera mea. **Ps.** Veníte. **Sine** Glória.

Ad nocturnum

Antiphona



Infirmata est virtus mea in manibus inimicorum meorum. **Ps.** Dominus, illuminatio.

Versiculus: Erue a fræmea.

Secundum Ioannem

Ante sex dies Paschæ, venit Iesus Bethániam, ubi fuerat Lázarus mórtuus, quem suscitávit Iesus. Et réliqua.

Homélia beáti Augustíni epíscopi.

Lectio I.

Ne putarent hómines phantásma esse factum, quia mórtuus resurrexit Lázarus, unus erat ex recumbéntibus. Vivébat, loquebátur, epulabátur, véritas ostendebátur, infidélitas Iudæórum confundebátur. Discumbébat ergo Dóminus cum Lázaro · et cum céteris, ministrábat Martha, una ex soróribus Lázari. María, áltera soror Lázari, *accépit libram unguénti nardi písciti prætiósi, et unxit pedes Iesu, et extérsit capillis suis pedes eius, et domus impléta est ex odóre unguénti.* Factum audívimus, mystérium requirámus! Quæcúmque

ánima fidélis vis esse cum María, unge pedes Dómini prætióso unguénto! Unguéntum illud iustítia fuit, ídeo libra fuit. Tu autem.

Responsorium



Conclúsit vias meas inimícus meus, insidiátor factus est mihi, sicut leo in abscondito replévit, et inebriávit me amaritúdine; deduxérunt in lacu mortis vitam meam, et posuérunt lápides contra me. # Vide, Dómine, iniquitátem illórum, et iúdica causam ánimæ meæ, defénsor vitæ meæ! **V.** Omnes inimíci mei advérsus me cogitábant mala mihi, verbum iníquum mandavérunt advérsus me. **Vide.**

Lectio II.

Erat autem unguéntum nardi písciti prætiósi. Quod ait pístici, locum áliquem crédere debémus, unde hoc erat unguéntum prætiósum. Nec tamen hoc vacat, et sacraménto óptime cónsonat. Piscis Græce dicitur fides. Quærébas operári iustítiam, iustus ex fide vivit. Unge pedes Iesu bene vivéndo, Dómini sectáre vestigia! Capíllis terge; si habes supérflua, da paupéribus, et Dómini pedes tersísti. Capílli enim supérflua córporis vidéntur; habes, quod agas de supérfluis tuis. Tibi supérflua sunt, sed Dómini pédibus necessária sunt. Tu autem.

Responsorium



Dixerunt ímpii apud se, non recte cogitántes: Circumveniámus iustum, quóniam contrárius est opéribus nostris; promíttit se sciéntiam Dei habére, Fílium Dei se nóminat, et gloriátur Patrem se habére Deum. # Videámus, si sermónes illíus veri sint, et si est verus Fílius Dei, líberet illum de mánibus nostris; morte turpíssima condemnémus eum! **V.** Viri ímpii dixerunt: Opprimámus virum iustum iniúste, et de spóliis eius sortem mittámus! **Videámus.**

Lectio III.

Forte in terra pedes Dómini Iesu índigent, de quibus enim nisi de membris suis in fine dictúrus est, quod enim uni ex mínimis meis fecístis, mihi fecístis. Supérflua vestra impendístis, sed pédibus meis

obsecúti estis. Domus autem repléta est odóre, mundus implétus est bona fama. Nam odor bonus bona fama est. Qui male vivunt, et christiáni vocántur, iniúriam Christo faciunt. De quibus dictum est, quod per eos nomen Dei blasphemátur. Si per tales nomen Dei blasphemátur, per bonos nomen laudátur. Audi Apóstolum: Christi bonus odor sumus, inquit, in omni loco. Dicitur et in Cánticis Canticórum: “Unguéntum effúsum est nomen tuum.” Tu.

Responsorium



Dóminus mecum est, tamquam bellátor fortis, proptérea persecúti sunt me, et intelligere non potuérunt. # Dómine, probans renes meos et corda, tibi revelávi causam meam. **V.** Et vim faciébant, qui quærébant ánimam meam, et qui inquirébant mala mihi, locúti sunt vanitátes.

Ad laudes

Antiphona



Fáciem meam non avérti ab increpántibus et conspuéntibus in me.
Ps. Miserére.

Antiphona



Frámea suscitáre advérsus eos, qui dispérgunt gregem meum. **Ps.**
Verba mea.

Antiphona



Appendérunt mercédem meam trigínta argéntis, quos appreciátus sum ab eis. **Ps.** Deus, Deus meus.

Antiphona



Inundavérunt aquæ super caput meum; dixi, périi, invocábo nomen tuum, Dómine, Deus. **Canticum:** Confitébor.

Antiphona



Lábia insurgéntium et cogitatiónes eórum vide, Dómine! **Ps.** Laudáte Dóminum de cælis.

Capitulum

In diébus illis. Dixit Isaías: Dóminus Deus apéruit mihi aurem, ego autem non contradíco, retrórsum non ábii, corpus meum dedi percutiéntibus, et genas meas velléntibus; fáciem meam non avérti ab increpántibus et conspuéntibus in me, Dómine, Deus, auxiliátor meus, ídeo non sum confúsus. Deo.

Hymnus: Pange, lingua. **Versiculus:** Eripe me de inimícis meis.

Ad Benedictus antiphona



Non habéres in me potestátem, nisi désuper datum tibi fuísset.

Oratio

Da, quæsumus, omnípotens Deus, ut qui in tot advérsis ex nostra infirmitáte defécimus, intercedénte unigéniti Fílii tui passióne respirémus.

Super populum antiphona

Si oportúerit me mori tecum, non te negábo, Dómine, Deus meus.

Versiculus: De ore leónis.

Oratio

Adiuva nos, Deus, salutáris noster, et ad benefícia recolénda, quibus nos instauráre dignátus es, tríbue veníre gaudétes! Per.

Ad primam

Antiphona: Mittens hæc múlier. **Psalmus:** Deus, in nómine. **Capitulum:** Confundántur. **Cetera, ut supra.**

Ad tertiam**Antiphona**

Quid molésti estis hæc mulíeri? Opus enim bonum operáta est in me.

Ps. Legem pone.

Capitulum: In diébus illis. Dixit Isaías. **Responsorium:** Erue a frámea, **ut supra.**
Orationes, ut supra.

Ad sextam

Antiphona



Ancílla dixit Petro: Vere tu ex illis es, nam et loquela tua manifestum te facit. **Ps.** Defécit.

Capitulum

Pósui fáciem meam, ut petram duríssimam, et scio, quóniam non confúndar; iuxta est, qui iustificat me, quis contradícit mihi? Stemus simul; quis est adversárius meus? Accédát ad me; ecce, Dóminus, Deus, auxiliátor meus. Quis est, qui condémnet me? Ecce, omnes, quasi vesiméntum, conteréntur, tínea comédet eos. Deo.

Responsorium: De ore leónis, *ut supra*.

Ad nonam

Antiphona



Rogábo Patrem meum, ut non defíciat fides tua, Petre. **Ps.** Mirábília.

Capitulum

Quis ex vobis, timens Deum, áudiens vocem servi sui; quis ambulávit in ténebris, et non est lumen ei; speret in nómine Dómini, et innitátur super Dómino, Deo suo? Deo.

Responsorium: Príncipes persecúti, *ut supra*.

Ad vesperas

Antiphona



Non sis mihi tu formídini, spes mea in die afflictiónis meæ! **Ps.**
Diléxi, quóniam.

Capitulum, ut supra. Responsorium: Ingréssus Pilátus. **Vel:** Ingrediénte Dómino.
Hymnus: Vexílla regis. **Versiculus:** Eripe me, Dómine, ab hómine.

Ad Magnificat antiphona



Potestátem hábeo ponéndi ánimam meam, et íterum suméndi eam.

FERIA TERTIA

ad matutinum

Invitorium



Quadráginta annis offensus fui generatióni huic, et dixi: semper hii errant corde. **Ps.** Veníte. **Sine** Glória.

Ad nocturnum

Antiphona



Tibi revelávi causam ánimæ meæ, deféansor vitæ meæ, Dómine, Deus meus. **Ps.** Dixi, custódiám.

Versiculus: Erue a frámea.

Sermo beáti Augustíni epíscopi.

Lectio I.

De Dómino et Salvatóre nostro, fratres dilectíssimi, ante multa témpora prophetátum est. “Ascéndit, sicut virgúltum, et sicut radix de terra sitiénti.” Quare, ut radix? Ideo, quia non est spécies illi, neque decor. Passus est, humiliátus est, conspútus est, non habébat spéciem. Homo apparébat, cum Deus esset. Sed quómodo radix non est pulchra, sed intus habet vim pulchritúdinis suæ? Atténdite, fratres mei, vidéte misericórdiam Dei! Attendéntes arbórem pulchram, aménam, fóliis viréntem, frúctibus opuléntam, laudas! Deléctat áliquid de fructu cápere, sub umbra eius sedére, et requiescere ab æstu; laudas totam illam pulchritúdinem! Si radix ostendátur tibi, nulla pulchritúdo in ea est. Noli contémnere, quod abiéctum est; inde procéssit, quod miráris, ut radix sit in terra sitiénti. Tu autem.

Responsorium



Contumélias et terróres passus sum ab eis, qui erant pacífici mei, custodiéntes latus meum, # dicéntes: Decipiámus eum, et prævaleámus illi; sed tu, Dómine, mecum es, tamquam bellátor fortis; cadant in oppróbrium sempitérnum, et vídeam vindíctam in eis, quia tibi revelávi causam meam. **V.** Omnes inimíci mei advérsus me cogitábant mala mihi; verbum iníquuum mandavérunt advérsus me. **Dicéntes:** Decipiámus.

Lectio II.

Atténdite modo claritátem arbóris! Crevit Ecclésia, credidérunt gentes, victi sunt terræ príncipes sub nómine Christi, ut essent victóres in orbe terrárum, pósitum collum sum iugo Christi. Persequébántur ante cristiános propter idóla, persecúntur idóla propter Christum. Omnes confúgiunt ad auxiliúm Ecclésiæ · in omni pressúra, in omni tribulatióne. Crevit illud granum sínapis, factum est maius super ómnia ólera. Véniunt volatília cæli supérbi sæculi, et requiésunt sub ramis eius. Unde est tanta pulchritúdo? Nésicio, de qua radíce surréxit ista pulchritúdo; in magna glória est. Quæramus radicem! Conspútus est, humiliátus est, flagellátus est, crucifíxus est, vulnerátus est, contéptus est. Ecce, hic spécies non est, sed in Ecclésia glória radícis pollet. Tu autem.

Responsorium



Viri ímpii dixerunt: Opprimámus virum iustum iniúste, et deglutiámus eum, tamquam inférnus, vivum; auferámus memóriam illíus de terra, et de spóliis eius sortem mittámus inter nos! # Ipsi enim homicíde thesaurizavérunt sibi malum insipiéntes, et maligni odérunt sapiéntiam, et rei facti sunt in cogitatióibus suis. **V.** Dixerunt ímpii apud se, non recte cogitántes: Circumveniámus iustum, quóniam contrárius est opéribus nostris! **Ipsi enim.**

Lectio III.

Ergo ipsum descríbit sponsum illum contéptum, inhonorátum, abiéctum. Sed modo vidére habétis arbórem, quæ surréxit de ista

radíce, et implévit orbem terrárum. Radix in terra sitiénti, non est spécies illi, neque honor, et vídimus illum, et non hábuit spéciem, neque decórem. Nonne hic est fabri fílius, qui non hábuit decórem, ut dicerétur: Nonne verum dícimus, quia dæmónium habes? In nómine autem ipsíus dæmónia fugiébant, et illi obiícitur, quia dæmónium habes. Sed quare hoc? Vídimus eum, et non habébat spéciem, neque decórem. Quæ spécies illíus erat intus, ubi non videbátur? “In princípio erat verbum, et verbum erat apud Deum, et Deus erat verbum.” Quæ est spécies illíus? “Qui cum in forma Dei esset, non rapínam arbitrátus est esse æquálem Deo.” Et ubi visus est non habére spéciem, neque decórem? “Et non hábuit spéciem.” Tu autem.

Responsorium



Insurrexérunt in me viri iníqui absque misericórdia; quæsiérunt me interfícere, et non pepercérunt in fáciem meam spúere, et lánceis suis vulneravérunt me, et concússa sunt ómnia ossa mea, # ego autem aestimábam me, tamquam mórtuum super terram. **V.** Et dedérunt in escam meam fel, et in siti mea potavérunt me acéto. **E**go autem.

Ad laudes

Antiphona



Vide, Dómine, et considéra, quóniam tríbulor; velóciter exáudi me!
Ps. Misérére.

Antiphona



Discérne causam meam, Dómine, ab hómine iníquo et dolóso éripe me! **Ps.** Iúdica me, Deus, et discérne.

Antiphona

Dum tribulárer, clamávi ad Dóminum de ventre inférni, et exaudívit me. **Ps.** Deus, Deus meus.

Antiphona

Dómine, vim pátiór, respónde mihi, quia néscio, quid dicam inimícis meis! **Canticum:** Ego dixi.

Antiphona

Dixerunt ímpii: Opprimámus virum iustum, quóniam contrárius est opéribus nostris. **Ps.** Laudáte Dóminum de cælis.

Capitulum

In diébus illis. Dixit Ieremías: **Dómine**, demonstrásti mihi, et cognóvi, tu ostendísti mihi stúdia eórum, et ego, quasi agnus mansuétus, qui portátur ad víctimam. Deo.

Hymnus: Pange, lingua. **Versiculus:** Eripe me de inimícis.

Ad Benedictus antiphona

Nemo tollet a me ánimam meam, sed ego pono eam, et íterum sumo eam.

Oratio

Omnípotens, sempitérne Deus: da nobis ita domínicae passiónis sacraménta perágere, ut indulgéntiam percípere mereámur!

Super populum antiphona: Si oportúerit, **ut supra.**

Oratio

Tua nos misericórdia, Deus, et ab omni surreptiõne vetustátis expúrget, et capáces sanctæ novitátis effíciat! Per.

Ad horas, ut supra.

Ad sextam**Capitulum**

Dixit Ieremías: Dómine, non cognóvi, quia cogitavérunt super me consília, dicéntes: Mittámus lignum in panem eius, et eradámus eum de terra vivéntium, et nomen eius non memorétur ámplius! Deo.

Ad nonam**Capitulum**

Tu autem, Dómine Sábaoth, qui iúdicas iuste, et probas renes et corda: vídeam ultiónem tuam ex eis, tibi enim revelávi causam meam, Dómine, Deus meus. Deo.

Ad secundas vespervas**Antiphona**

Recordáre mei, Dómine, tuére me ab hiis, qui persecúntur me! Ps.
Lætátus.

Capitulum, ut supra. Hymnus: Vexílla regis. **Versiculus:** Eripe me, Dómine, ab hómine malo.

Ad Magnificat antiphona



Simon, dormis? Non potuístis una hora vigiláre mecum?

FERIA QUARTA

ad matutinum

Invitorium



Quibus iurávi in ira mea: # si introíbunt in réquiem meam. **Ps.**
Veníte. **Sine** Glória.

Ad nocturnum

Antiphona



Quia ego tecum sum, de manu pessimórum liberábo te, dicit
Dóminus. **Ps.** Dixit insípiens.

Versiculus: Erue a frámea.

Sermo beáti Ambrósii epíscopi.

Lectio I.

Légimus, quod Christus peccáta nostra portat, et pro nobis dolet. Doles ergo, Dómine, non tua, sed nostra vúlnera; non tua mortem, sed nostram infirmitátem. Et nos æstimávimus te esse in dolóribus, cum tu non propter te, sed pro me doléres. Infirmátus es, sed propter peccáta nostra. Non, quia tibi illa infírmitas erat ex Patre assúmpta, sed pro me suscépta, quia mihi próderat, ut erudítio pacis nostræ esset in te, et livóre tuo vúlnera nostra sanáres. Tu.

Responsorium



Amícus meus ósculi me trádidit signo: quem osculátus fúero, ipse est, tenéte eum; hoc malum fecit signum, qui per ósculum adimplévit homicídium. # Infélix prætermísit prétium sánguinis, et in fine láqueo se suspéndit. **V.** Mélius illi erat, si natus non fuísset. **I**nfélix.

Lectio II.

Sed quid mirum, si pro ómnibus dóluit, qui pro uno flevit? Quid mirum, si pro ómnibus moritúrus tædeat, qui Lázarus resuscitatúrus illácrimat? Sed et ibi piæ soróris lácrimis commovétur, quia mentem humánam tangébat, et hic alto aperítur afféctu, ut quia in carne sua peccáta nostra præmébat, mortem quoque ánimæ nostræ suæ ánimæ meror aboléret. Et fortásse ídeo tristis est, quia post Adæ lapsum tali tránsitu nobis erat de hoc sáculo recedéndum, ut mori esset necesse. Deus enim mortem non fecit, nec lætátur in perditíone vivórum, et ídeo fastídít, quod ipse non fecit. Dénique ait: Transfer a me cálicem istum, quasi homo, mortem recúsans, quasi Deus, senténtiam suam resévans. Opórtet enim nos mori sáculo, ut resurgámus Deo, ut iuxta divínam senténtiam, lex maledictiónis resolutó, in terræ limum natúræ sine fine solvátur. Duas voluntátes in Christo intéllige! Tu autem.

Responsorium



Iudas, mercátor péssimus, ósculo pétiit Dóminum; ille, ut agnus ínnocens, non negat Iudæ ósculum. # Denariórum número Christum Iudæis trádidit. **V.** Mélius illi erat, si natus non fuísset. **D**enariórum número.

Lectio III.

Quod autem ait: non mea volúntas, sed tua fiat, suam ad hómínem rétulit, Patris ad divinitátem. Volúntas enim hómínis temporális, volúntas divinitátis æténa. Non ália volúntas Patris, ália Fílii; una volúntas, ubi una divínitas. Disce tamen Deo esse subiéctus, et non, quod ipse vis, elígas, sed quod Deo scias esse placitúrum! Deínde verbórum ipsórum proprietátem considerémus! “Tristis est ánima

mea usque ad mortem.” Et álibi: “Nunc ánima mea turbáta est valde.” Non ergo suscípiens, sed suscépta turbátur. Anima enim obnóxia passióibus · divínitas líbera. Dénique spíritus promptus est, caro autem infírma. Tristis est autem · non ipse, sed ánima. Non est tristis sapiéntia, non divína substántia, sed ánima. Suscépit corpus meum, non me feféllit, ut áliud esset, et áliud viderétur. Tristis videbátur, et tristis erat, non pro sua passióne, sed pro nostra dispersióne. Tu autem.

Responsorium



Ecce, turba, qui vocabátur Iudas, venit, et dum appropinquáret ad Iesum, ut eum oscularétur, Iesus dixit ad eum: Iuda, ósculo tradis Fílium hóminis # ad crucifigéndum? **V.** Fílius quidem hóminis vadit, sicut scriptum est de illo; væ autem hómini illi, per quem tradétur. **A**d crucifigéndum.

Ad laudes

Antiphona



Libera me de sanguínibus, Deus, Deus meus, et exsultábit lingua mea iustítiam tuam! **Ps.** Misérére.

Antiphona



Contumélias et terróres passus sum ab eis, et Dóminus mecum est, tamquam bellátor fortis. **Ps.** Te decet.

Antiphona



Ipsi vero in vanum quæsiérunt ánimam meam; introíbunt in inferióra terræ. **Ps.** Deus, Deus.

Antiphona



Omnes inimíci mei audiérunt malum meum; Dómine, lætáti sunt, quóniam tu fecísti. **Canticum:** Exsultávit.

Antiphona



Alliga, Dómine, in vínculis nátiónes géntium, et reges eórum in compédibus! **Ps.** Laudáte Dóminum de cælis.

Capitulum

In diébus illis. Dixit Isaías: Dómine, quis crédidit audítui nostro, et bráchium Dómini cui revelátum est? Et ascéndit, sicut virgúltum coram eo, et sicut radix de terra sitiénti, et non est spécies illi, neque decor, et vídimus eum, et non erat aspéctus, et desiderávimus eum despéctum et novíssimum virórum, virum dolórum et sciéntem infirmitátem, et quasi abscónditus vultus eius et despéctus, unde nec reputávimus eum; vere languóres nostros ipse tulit, et dolóres nostros ipse portávit. Deo.

Hymnus: Pange, lingua. **Versiculus:** Eripe me.

Ad Benedictus antiphona



Tanto témpore vobíscum eram, docens vos in templo, et non me tenuístis, modo flagellátum dúcitis, ad crucifigéndum.

Oratio

Deus, qui pro nobis Fílium tuum crucis patíbulum subíre voluísti, ut inimíci a nobis expélleres potestátem: concéde nobis, fámulis tuis, ut resurrectionis glóriam consequámur!

Super populum antiphona: Si oportúerit.

Oratio

Réspice, quæsumus, Dómine, super hanc famíliam tuam, pro qua Dóminus noster, Iesus Christus non dubitávit mánibus tradi nocéntium, et crucis subíre torméntum. Qui tecum.

Ad primam et ad alias horas antiphonas et cetera, ut supra. Et isto die in nona terminantur preces, et non dicuntur ad vespas.

Ad sextam

Capitulum

Et nos putávimus eum, quasi leprósum a Deo et humiliátum; ipse autem vulnerátus est propter iniquitátes nostras, attrítus est propter scélera nostra, disciplína pacis nostræ super eum, et livóre eius sanáti sumus. Deo.

Ad nonam

Capitulum

Si posúerit pro peccáto ánimam suam, vidébit semen longævum, et volúntas Dómini in manu eius dirigétur, pro eo, quod trádedit in mortem ánimam suam, et cum scelerátis deputátus est, et ipse peccáta multórum tulit, et pro transgressóribus rogávit, ut non períret, dicit Dóminus omnípotens. Deo.

Ad secundas vesperas

Antiphona



Consílium fecérunt inimíci mei, dicéntes: Conterámus eum de terra vivéntium! **Ps.** Nisi Dóminus aedificáverit, **cum ceteris.**

Capitulum: In diébus illis. Dixit Isaías.

Responsorium



Vadis, propitiátor, ad immolándum pro ómnibus; non tibi occúrrit Petrus, qui dicébat: pro te móriar; relíquit te Thomas, qui clamábat, dicens: omnes cum eo moriámur; et nullus ex ipsis, sed tu solus dúceris, # qui immaculátam me conservásti, Fílius et Deus meus. **V.** Veníte, et vidéte Deum et hómínem, pendéntem in cruce. **Qui. Sine Glória.**

Hymnus: Vexílla regis. **Versiculus:** Eripe me, Dómine, ab hómíne.

Ad Magnificat antiphona



Cottídie apud vos eram in templo, docens, et non me tenuístis, et ecce, flagellátum dúcitis, ad crucifigéndum.

Preces non dicuntur. Oratio: Réspice, quæsumus, Dómine, super hanc famíliam, **ut supra. Cum sola collecta.**

Ad completorium

Antiphona: Misérére. **Psalmus:** Cum invocárem. **Hymnus:** Christe, qui lux. **Capitulum:** Confundántur. **Responsorium:** In manus. **Versiculus:** Usquequo exaltábitur. **Ad Nunc dimittis antiphona:** Simon, dormis. **Oratio:** Deus, qui illúminas.

IN CENA DOMINI

Nota, in principio matutinalis officii hoc servandum est his tribus diebus, ut Dómine, lábia mea non dicatur, nec Deus in adiutorium, sed tantum antiphona: Zelus domus tuæ cum psalmis: Salvum me fac, sine Glória. Versiculus dicatur subtrahendo finem, lector non petat benedictionem, nec finem solitum faciat, sed de ipsa lectione finem terminet, luminaria vero ad singulos psalmos exstinguantur. Sequitur:

Antiphona



Zelus domus tuæ comédit me, et oppróbria exprobántium tibi cecidérunt super me. **Ps.** Salvum me.

Antiphona



Avertántur retrórsum, et erubéscant, qui cógitant mihi mala. **Ps.** Deus, in adiutórium.

Antiphona



Deus meus, éripe me de manu peccatóris! **Ps.** In te, Dómine.

Versiculus

V. Homo pacis meæ, in quo sperábam.

R. Ampliávit super me supplantatiónem.

Lamentatio prima Ieremiæ prophetæ

Et factum est, postquam in captivitátem ductus est Israel, et Ierúsalem destrúcta est, sedit Ieremías flens, et planxit lamentatiónem hanc in Ierúsalem, et dixit: Aleph. Quómodo sedet sola cívitas plena pópulo, facta est, quasi vídua, dómina géntium, princeps provinciárum facta est sub tribúto. Beth. Plorans plorávit in nocte, et lácrimæ eius in maxíllis eius; non est, qui consolétur eam ex ómnibus caris eius; omnes amíci eius spreverunt eam, et facti sunt ei inimíci. Gimel. Migrávit Iuda propter afflictiónem et multitúdinem servitútis, habitávit inter gentes, nec invénit réquiem. Omnes

persecutores eius apprehenderunt eam inter angustias. Ierusalem, Ierusalem, convertere ad Dominum, Deum tuum!

Non dicatur Deo gratias.

Responsorium



In monte Oliveti oravi ad Patrem: Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste! # Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma; fiat voluntas tua! **V.** Verumtamen non, sicut ego volo, sed sicut tu vis, Pater. **S**piritus.

Lamentatio II.

Deleth. Viae Sion lugent, eo quod non sint, qui veniant ad sollemnitatem. Omnes portae eius destructae, sacerdotes eius gementes, virgines eius squallide, et ipsa oppressa amaritudine. He. Facti sunt hostes eius in capite, inimici illius locupletati sunt, quia Dominus locutus est super eam. Propter multitudinem iniquitatum eius parvuli eius ducti sunt in captivitatem ante faciem tribulantis. Vav. Et egressus est a filia Sion omnis decor eius. Facti sunt principes eius, velut arietes, non inveniendes pasqua, et abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentis. Ierusalem.

Responsorium



Tristis est anima mea usque ad mortem; sustinete hic, et vigilate mecum! # Nunc videbitis turbam, quae circumdabit me, vos fugam capietis, et ego vadam immolari pro vobis. **V.** Vigilate, et orate, dicit Dominus. **N**unc.

Lamentatio III.

Zai. Recordata est Ierusalem dierum afflictionis suae, et praevaricationis omnium desiderabilium suorum, quae habuerat a diebus antiquis, cum caderet populus eius in manu hostili, et non esset auxiliator. Viderunt eam hostes eius, et desiderunt sabbata eius. Heth. Peccatum peccavit Ierusalem, propterea instabilis facta est. Omnes, qui glorificabant eam, spreverunt eam, quia viderunt

ignomíniam eius, ipsa autem gemens convérsa est retrórsum. Teth. Sordes eius in pédibus eius, nec recordáta est finis sui, depósita est veheménter, non habens consolatórem. Vide, Dómine, afflictiónem meam, quóniam eréctus est inimícus meus! Ierúsalem.

Responsorium



Ecce, vídimus eum, non habéntem spéciem, neque decórem, aspéctus eius in eo non est; hic peccáta nostra portávit, et pro nobis dolens, ipse autem vulnerátus est propter iniquitátes nostras, # cuius livóre sanáti sumus. **V.** Vere languóres nostros ipse ábstulit, et peccáta nostra ipse portávit. **Cuius. Sine Glória.**

[In secundo nocturno]

Antiphona



Liberávit Dóminus páuperem a potén-te, et ínopem, cui non erat adiútor. **Ps.** Deus, iudícium.

Antiphona



Cogitavérunt ímpii, et locúti sunt nequítiam, iniquitátem in excélsó locúti sunt. **Ps.** Quam bonus.

Antiphona



Exsúrge, Dómine, et iúdica causam meam! **Ps.** Ut quid, Deus.

Versiculus

V. Deus meus, éripe me de manu peccatóris!

R. Et de manu contra legem agéntis et iníqui.

Lectio IV.

“Exáudi, Deus, oratióem meam, dum tríbulator, a timóre inimíci érué animam meam!” (Miból idéz?) Sæviérunt inimíci in mártýres. Quid orábat ista vox corpóris Christi? Hoc orábat, ut erueréntur ab inimícis, et non eos possent occídere inimíci. Ergo exaudíti non sunt, quia occísi sunt, et desérvit Deus contrítos corde, servos suos, et sperántes in se despéxit? Absit! Quis enim invocávit Dóminum, et derelíctus est? Quis sperávit in eo, et desértus est ab eo? Exaudiebántur et occidebántur, et tamen ab inimícis eruebántur.

Responsorium



Unus ex discípulis meis tradet me hódie; væ illi, per quem trador ego. # Mélius illi erat, si natus non fuísset. **V.** Qui intíngit mecum manum in parápsidem, hic me traditúrus est in manus peccatórum.

Mélius.

Lectio V.

Alii timéntes consentiébant et vivébant, et tamen ab inimícis eruebántur, álii timéntes consentiébant et vivébant, et tamen ab inimícis ipsi absorbebántur. Inde est et illa vox gratulatiónis: “Fórsitan vivos absorbuísset nos.” Multi absórpti et mórtui. Qui putavérunt esse inánem fidem christiánam, mórtui absórpti sunt. Qui autem sciéntes esse veram prædicatióem evangélii, Christum esse Dei Fílium sciéntes, et hoc credéntes, et hoc intus tenéntes, cessérunt tamen dolóribus, et idólis sacrificavérunt, vivi sunt absórpti. Illi absórpti, quia mórtui. Illi autem, quia absórpti, mórtui. Non enim absórpti vívere potuérunt, quamvis vivi absorberéntur.

Responsorium



Eram, quasi agnus ínnocens, ductus sum ad immolándum, et nesciébam; consílium fecérunt inimíci mei, advérsus me dicéntes: # Veníte, mittámus lignum in panem eius, et conterámus eum de terra vivéntium! **V.** Omnes inimíci mei advérsus me cogitábant mala

mihi, verbum iníquum mandavérunt, advérsus me dicéntes: **V**eníte, mittámus.

Lectio VI.

Ergo hoc orat vox mártýrum: “A timóre inimíci érué ánimam meam.” Non, ut me non occídat inimícus, sed ut non tíream occídentem inimícum. Hoc orat in psalmo servus, quod modo dicébat in Evangélio Dóminus. Quid modo dicébat in Evangélio Dóminus? “Nolíte timére eos, qui occídunt corpus, ánimam autem non possunt occídere, sed pótius eum timéte, qui habet potestátem et ánimam et corpus occídere, et míttre in gehénnam ignis.” (Ez nagycsütörtöki? Hol?) Et repetívit: “Ideo dico vobis: Hunc timéte!”

Responsorium



Una hora non potuístis vigiláre mecum, qui exhortabámini mori pro me? # Vel Iudam non vidétis, quómo non dormit, sed festínat trádere me Iudáeis? **V.** Dormíte iam, et requiéscite; ecce, appropiquábit, qui me traditúrus est in manus peccatórum. **V**el Iudam.

In tertio nocturno

Antiphona



Dixi iníquis: Nolíte loqui advérsus Deum iniquitátem! **Ps.** Confitébimur.

Antiphona



Terra trémuit et quiévit, dum resúrgeret in iudício Deus. **Ps.** Notus in Iudáea.

Antiphona



In die tribulati6nis meæ Deum exquisivi mánibus meis. **Ps.** Voce mea.

Versiculus

V. Exsúrge, Dómine!

R. Et iúdice causam meam!

Lectio VII.

Conveniéntibus vobis in unum, iam non est domínicam cenam manducáre, unusquisque enim suam cenam præsumit ad manducándum, et álius quidem ésurit, álius autem ébrius est. Numquid domos non habétis ad manducándum et bibéndum? Aut ecclésiám Dei contémnitis, et confúnditis eos, qui non habent? Quid dicam vobis? Laudo vos? In hoc non laudo. Ego enim accépi a Dómino, quod et trádidi vobis, quóniam Dóminus Iesus, in qua nocte tradebátur, accépit panem, et grátias agens, fregit et dixit: Accípите et manducáte, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradétur; hoc fácite in meam commemorati6nem!

Responsorium



Seni6res p6puli consílium fecerunt, ut Iesum dolo tenérunt, et occiderent. # Cum gládiis et fústibus exiérunt, tamquam ad latr6nem. **V.** Congregavérunt iniquitatem sibi, et egrediebántur foras. **Cum gládiis.**

Lectio VIII.

Simíliter et cálicem, postquam cenávit, dicens: Hic est calix novum testaméntum in meo sánguine. Hoc fácite, quotiescúmque bíbitis in meam commemorati6nem! Quotiescúmque enim manducábitis panem hunc, et cálicem bibétis, mortem Dómini annunciábitis, donec véniat. Itaque quicúmque manducáverit panem, vel bíberit cálicem Dómini indigne, reus erit córporis et sánguinis Dómini. Probet autem seípsum homo, et sic de pane illo edat, et de cálice bibat! Qui

enim mandúcat et bibit indígne, iudícium sibi mandúcat et bibit, non diiúdicans corpus Dómini.

Responsorium



Revelábunt cæli iniquitátem Iudæ, et terra advérsus eum consúrget, et manífestum erit peccátum illíus in die furóris Dómini # cum eis, qui dixerunt Dómino, Deo: Recéde a nobis, scienciárum viárum tuárum nólumus! **V.** Fiat mensa eórum coram ipsis in láqueum, et in retributiónes, et in scándalum! **Cum.**

Lectio IX.

Ideo inter vos multi infírmi et imbécílles, et dórmiunt multi. Quod, si nosmetípsos diiudicáremus, non útique iudicáremur. Dum iudicámur autem a Dómino, corrípimur, ut non cum hoc mundo damnémur. Itaque, fratres mei, cum venéritis ad manducándum, ínvicem exspectáte! Si quis ésurit, domi mandúcet, ut non in iudícium conveniátis! De spiritalibus autem nolo vos ignoráre, fratres. Scitis, quóniam cum gentes essétis ad simulácra muta, prout ducebámini, eúntes. Ideo notum vobis fácio, quod nemo in Spírítu Dei loquens · dicit anathéma Iesu, et nemo potest dícere: Dóminus Iesus, nisi in Spírítu Sancto. Divisiónes vero gratiárum sunt, idem autem spírítus, et divisiónes ministratiónum sunt, idem vero Deus, qui operátur ómnia in ómnibus.

Responsorium



O, Iuda, qui dereliquísti consílium pacis, et cum Iudæis consiliátus es; trigínta argénteis vendísti sánguinem iustum, # et pacis ósculum ferébas, quod in pectore non habébas. **V.** Verax datur fallácibus, pium flagéllat ímpius. **Et** pacis.

Ad laudes

Antiphona



Iustificéris, Dómine, in sermónibus tuis, et vincas, cum iudicáris. **Ps.** Miserére.

Antiphona



Dóminus, tamquam ovis, ad víctimam ductus est, et non apéruit os suum. **Ps.** Dómine, refúguim.

Antiphona



Contrítum est cor meum in médio mei, et contremuérunt ómnia ossa mea. **Ps.** Deus, Deus meus.

Antiphona



Exhortátus es in virtúte tua, et in refectióne sancta tua, Dómine. **Canticum:** Cantémus.

Antiphona



Oblátus est, quia ipse vóluit, et peccáta nostra ipse portávit. **Ps.** Laudáte Dóminum de cælis.

Ad Benedictus antiphona



Tráditōr autem dedit eis signum, dicens: Quemcúmque osculátus fúero, ipse est, tenéte eum!

Quibus finitis:

Kýrie eléison! Christe, eléison! Kýrie, eléison!



Dómine, miserére nobis! **V.** Iesu, Christe, qui passúrus advenísti propter nos. **R.** Christus Dóminus factus est obœdiens usque ad mortem.

Kýrie eléison! Christe, eléison! Kýrie, eléison!



Dómine, miserére nobis! **V.** Qui prophétice prompsísti: Ero mors tua, o, mors. **R.** Christus Dóminus, **ut supra.**

Kýrie eléison! Christe, eléison! Kýrie, eléison!



Dómine, miserére nobis! **V.** Qui expánsis in cruce mánibus, traxísti ómnia ad te sœcula. **R.** Christus Dóminus, **ut supra.**

Kýrie eléison! Christe, eléison! Kýrie, eléison!



Dómine, miserére nobis! **V.** Vítia in ligno móritur, inférnus ex morsu despoliátur. **R.** Christus Dóminus, **ut supra.**

Kýrie eléison! Christe, eléison! Kýrie, eléison!



Dómine, miserére nobis!

His finitis fit processio.

Hymnus



Rex Christe, factor ómnium, Redémptor et credéntium, placére votis
súpplícum · te láudibus coléntium!

Cuius benígna grátia ·
crucis per alma vúlnera ·
virtúte solvit árdua ·
primi paréntis víncula.

Qui es creátor síderum,
tegmen subísti cárneum,
dignátus hanc vilíssimam ·
pati dolóris fórmulam.

Ligátus es, ut sólveres ·
mundi ruéntis cómplices,
per probra tergens crímína,
quæ mundus auxit plúrima.

Cruce, Redémptor, fígeris,
terram sed omnem cóncutis,
tradis poténtem spíritum,
nigréscit atque sáeculum.

Mox in patérnæ glóriæ ·
victor respléndens cúlmine,
cum Spíritu munímine ·
defénde nos, rex óptime!



Amen.

Quo finito, legatur Miserére mei, Deus, sine Glória Patri.

Antiphona



Christus factus est pro nobis obcædiens usque ad mortem, mortem autem crucis.

Kýrie eléison! Christe, eléison! Kýrie, eléison!

Pater noster **sub silentio**. Réspice, quæsumus, Dómine, super hanc famíliam, **ut supra**.
In reversione cantetur hymnus:



Hymnum dicámus Dómino, laudes Deo cum cántico, qui nos crucis patíbulo · suo redémit sáanguine.

Kýrie eléison! Christe, eléison! Kýrie, eléison!

Die decúrsu ad vésperum,
quo Christus morti tráditur,
ad cenam venit ímpius,
qui erat Christi próditor.

Iesus futúra núnaiat ·
cenántibus discípuis;
unus ex discumbéntibus,
ipse me traditúrus est.

Iudas, mercátor péssimus,
ósculo pétiit Dóminum,
ille, ut agnus ínnocens,
non negat Iudæ ósculum.

Denariórum número
Christum Iudæis trádidit
ínnocens et innóxius,
quem Iudas trádi<di>t ímpius.

Præses Pilátus proclámat:
Nullam culpam invénio.
Ablútis aqua mánibus,
Christum Iudæis trádidit.

Falláces Iudæi ímpii ·
latrónem petunt vívere,
Christum accúsant gráviter:
Crucifigátur, reus est!

Et Bárrabas ‹latro› dimíttitur,
qui reus mortis fúerat,
vita mundi suspénditur,
per quem resúrgunt mórtui.

Glória tibi, Dómine,
glória Unigénito,
una cum Sancto Spírítu
in sempitérna sæcula.



Amen.

In choro legatur sub silentio Deus misereátur nostri. Christus factus est pro nobis, **et cetera**. Kýrie eléison! Christe, eléison! Kýrie, eléison! Pater noster. **Oratio**: Réspice, quæsumus, Dómine, **ut supra**.

Ad primam

Non dicitur Deus in adiutórium meum inténde, **nec hymnus, nec antiphona, sed tantum psalmi**: Deus, in nómine, Beáti immaculáti, Retribue, Laudáte Dóminum omnes gentes. **Psalmus**: Miserére mei, Deus, secúndum. **Antiphona**: Christus factus est pro nobis obædiens. Kýrie eléison! Christe, eléison! Kýrie, eléison! Pater noster. **Oratio**: Réspice, quæsumus, Dómine. **Et sic de aliis horis. His tribus diebus ad omnes horas legatur psalmus**: Miserére mei, Deus, **ut supra**. **Præfatio**: Qui salútem, **cum suo** Communicántes.

Ad secundas vesperas

Cantetur antiphona



Cálícem salutáris accípiam, et nomen Dómini invocábo. **Ps.** Crédidi, propter.

Antiphona



Cum hiis, qui odérunt pacem, eram pacíficus; cum loquébar illis, impugnábant me gratis. **Ps.** Ad Dóminum.

Antiphona



Ab homínibus iníquis líbera me, Dómine! **Ps.** Eripe me.

Antiphona



Custódi me a láqueo, quem statuérunt mihi, et ab scándalis operántium iniquitátem! **Ps.** Dómine, clamávi.

Antiphona



Considerábam ad déxteram, et vidébam, et non erat, qui cognósceret me. **Ps.** Voce mea.

Sine Glória dicuntur psalmi, nec hymnus, nec versiculus dicitur.

Ad Magnificat antiphona



Cenántibus autem accépit Iesus panem, benedíxit ac fregit, dedit discípulis suis. **Sine** Glória.

Oratio: Réspice, quæsumus, Dómine, **ut supra.**

Ad completorium

Psalmi: Cum invocárem, In te, Dómine, Qui hábitat, Ecce, nunc, Nunc dimíttis, Dómine, quid multiplicáti. **Antiphona:** Christus factus est, **ut supra.** Kýrie eléison! Christe, eléison! Kýrie, eléison! Pater noster. **Oratio:** Réspice.

IN DIE PARASCEVES

ad matutinum

Antiphona



Astiterunt reges terræ, et principes convenérunt in unum · advérsus Dóminum, et advérsus Christum eius. **Ps.** Quare fremuérunt.

Antiphona



Diviserunt sibi vestiménta mea, et super vestem meam miserunt sortem. **Ps.** Deus, Deus meus.

Antiphona



Insurrexérunt in me testes iníqui, et mentíta est iníquitas sibi. **Ps.** Dóminus illuminátio.

Versiculus

V. Diviserunt sibi vestiménta mea.

R. Et super vestem [meam miserunt sortem?].

Lamentatio I.

Aleph. Quómodo obtéxit caliginem in furóre suo Dóminus filiam Sion, proiécit de cælo ínclytum in terram Israel, et non est recordátus scabélli pedum suórum in die furóris sui. Beth. Præcipitávit Dóminus Sion, nec pepércit; ómnia speciósá Iacob destrúxit in furóre suo; munitiónes vírginis Iuda deiécit in terram, pólluit regnum et príncipes eius. Gimel. Confrégit in ira furóris sui omne cornu Israel, avértit retrórsus déxteram suam a fácie inimíci, et succéndit in Iacob, quasi ignem, flammæ devorántis in gyro. Ierúsalem, Ierúsalem.

Responsorium



Omnēs amīci mei dereliquērunt me, et praevaluērunt insidiāntes mihi; trādīdit me, quem diligēbam, et terribīlibus óculis plaga crudéli percútiens, # acéto potábant me. **V.** Et dedērunt in escam meam fel, et in siti mea. # **A**céto potábant.

Lamentatio II.

Deleth. Teténdit arcum suum inimicus, et firmávit dēxteram suam, quasi hostis, et occídit omne, quod pulchrum erat visu; in tabernáculo fíliæ Sion effúdit, quasi ignem, <flammæ> indignatióem suam. He. Factus est Dóminus, velut inimicus, præcipitávit ómnia mœnia eius. Dissipávit munitiões eius, et replévit in filia Iuda, et humiliátum et humiliátam. Vav. (A kiadásban itt következetlenül Vau van!) Et dissipávit, quasi ortum, tentórium suum, demolítus est tabernáculum suum. Oblivióni trádīdit Dóminus in Sion festivitátem et Sábbatum, et oppróbrio in indignatióne furóris sui · regem et sacerdotem. Ierúsalem.

Responsorium



Velum templi scissum est, et omnis terra trémuit, latro de cruce clamábat, dicens: # Meménto mei, Dómine, dum véneris in regnum tuum. **V.** Amen dico tibi: Hódie mecum eris in paradíso. [**M**eménto.]

Lamentatio III.

Zai. Réppulit Dóminus altáre suum, maledíxit sanctificatióni suæ. Trádīdit in manu inimíci túrrium eius muros, vocem dedērunt in domo Dómini, sicut in die sollémni. Heth. Cogitávit Dóminus dissipáre murum fíliæ Sion, teténdit funiculum suum, et non avértit manum suam a perditiónē. Teth. Luxítque antemurále, et murus páriter dissipátus est. Defixæ sunt in terram portæ eius; pérdidit, et contrívit vectes eius, regem eius et príncipes eius. In géntibus non est lex, et prophétæ eius non invenérunt visióem a Dómino. Ierúsalem.

Responsorium



Vínea mea elécta, ego te plantávi. # Quómodo convérsa es in amaritúdinem, ut me crucifígeres, et Bárrabam dimítteres? **V.** Ego quidem plantávi te víneam meam eléctam, omne semen verum. **Q**uómodo.

In secundo nocturno

Antiphona



Vim faciébant, qui quærébant ánimam meam. **Ps.** Dómine, ne in furóre **II.**

Antiphona



Confundántur et revereántur, qui quærunt ánimam meam, ut áuferant eam. **Ps.** Exspéctans exspectávi.

Antiphona



Aliéni insurrexérunt in me, et fortes quæsiérunt ánimam meam. **Ps.** Deus, in nómine.

Versiculus

V. Insurrexérunt in me testes iníqui.
R. Et mentíta est [iníquitas sibi.]

Lectio IV.

Videámus ergo, quid factum sit: “Quia exacuérunt, tamquam gládius, linguas suas.” (ps. 53.) “Fílii hóminum dentes eórum arma

et sagittæ, et lingua eorum gladius acutus." (ps. 56.) Quod dicit et alius psalmus · sic et hic: "Exacuérunt, tamquam gladium, linguas suas." Non dicant Iudæi: Non occidimus Christum. Et dedérunt propterea iúdice Piláto, ut quasi ipsi videréntur a morte eius immúnes. Nam cum dixisset eis Pilátus: vos eum occídite, responderunt: Non licet nobis occídere quemquam. Iniquitátem facinoris sui in iúdicem hóminem refúndere volébant, sed numquid Deum iúdicem fallebántur? Quod fecit Pilátus in eo ipso, quod fecit, aliquántulum partícipes fuit, sed in comparatióne eorum multo ipse innocéntior.

Responsorium



Tamquam ad latrónem existis cum gládiis comprehéndere me; cottídie apud vos eram in templo docens, et non me tenuístis, et ecce, flagellátum dúcitis # ad crucifigéndum. **V.** Fílius quidem hóminis vadit, sicut scriptum est de illo; væ autem hómini illi, per quem tradétur. **A**d crucifigéndum.

Lectio V.

Institit enim , quantum pótuit, ut illum ex eorum mánibus liberáret. Nam propterea flagellátum perdúxit ad eos, non persequéndo Deum flagellávit, sed illórum furóri satisfácere volens, ut vel sic iam mitéscerent, et destinérent velle occídere eum, quem flagellátum vidérent. Nostis Pilátum lavísse manum et dixisse: Innocens ego sum a sángine iusti huius, quod non fuit. Sed mundum se esse a morte illíus fecit. Fecit tamen. Sed si reus, quia fecit vel invítus, illi innocétes, qui coegerunt, ut fáceret? Nullo modo, sed ille dixit in eum senténtiam, et iussit eum crucifígi, et quasi ipse occídít, et vos, o, Iudæi, occidístis.

Responsorium



Ténebræ factæ sunt, dum crucifixissent Iesum Iudæi, et circa horam nonam exclamávit Iesus voce magna, dicens: Deus meus, ut quid me dereliquísti? Et inclináto cápíte, emísit spíritum. # Tunc unus ex militibus lancea latus eius perforávit, et continuo exívit sanguis et

aqua. **V.** Et velum templi scissum est a summo usque deorsum, et omnis terra trémuit. **Tunc.**

Lectio VI.

Unde occidístis? Gládio linguæ. Acuístis enim linguas vestras. Et quando percussístis, nisi quando clamástis: crucífíge, crucífíge eum. Proptérea enim non est hoc prætermitténdum, quia venit in mentem, ne forte áliquem pertúrbet léctio divinórum librórum. Quidam evangelísta dicit hora sexta crucifíxum, et quidam hora tértia, nisi intelligámus, perturbámur. Etiam incipiénte hora sexta dicitur Pilátus sedisse pro tribunáli, et revéra, quando levátus est Dóminus in lignum, hora sexta erat. Sed álius evangelísta íntuens ánimum Iudæórum, quia volébant se immúnes vidéri a morte Dómini, narrándo osténdit eos reos, dicens Dóminum hora tértia crucifíxum.

Responsorium



Barrabas latro dimíttitur, et ínnocens Christus occíditur. Nam et Iudas, armidúctor scéleris, qui per pacem dídicit fácere bellum, # osculándo trádidit Dóminum, Iesum Christum. **V.** Verax datur fallácibus, pium flagéllat ímpius. **O**sculándo.

In tertio nocturno

Antiphona



Ab insurgéntibus in me líbera me, Dómine, quia occupavérunt ánimam meam. **Ps.** Eripe me.

Antiphona



Longe fecísti notos meos a me, tráditus sum, et non egrediébar. **Ps.** Dómine, Deus, salútis.

Antiphona



Captábant in ánimam iusti, et sánguinem innocéntem condemnábant. **Ps.** Deus ultiónum.

Versiculus

V. Locúti sunt advérsus me lingua dolósa.

R. Et sermónibus ódii circumdedérunt me.

Lectio VII.

Festinémus íngredi in illam réquiem, ut ne idípsum quis íncidat incredulitátis exémplum! Vivus est enim sermo Dei et éfficax, et penetrábilius omni gládio ancípiti, et pertíngens usque ad divisiónem ánimæ ac spíritus, compágum quoque et medullárum, et discrétor cogitatiónum et intentiόnum cordis, et non est ulla creatúra invisíbilis in conspéctu eius. Omnia autem nuda et apérta sunt óculis eius, ad quem nobis sermo. Habémus ergo pontíficem, qui penetrávit cælos, Iesum, Fílium Dei; teneámus eum confessiόnem! Non enim habémus pontíficem, qui non possit compáti infirmitátibus nostris. Tentátum autem habémus per ómnia, pro similitúdine absque peccáto. Adeámus ergo cum fidúcia ad thronum grátiae eius, ut misericórdiam consequámur, et grátiam inveniámus in auxílio oportúno!

Responsorium



Tradidérunt me in manus impiórum, et inter iníquos proiecérunt me, et non pepercérunt ánimæ meæ; congregáti sunt advérsus me fortes, # et sicut gigántes stetérunt contra me. **V.** Astitérunt reges terræ, et príncipes convenérunt in unum. **R** et sicut gigántes.

Lectio VIII.

Omnis namque pón tifex ex homínibus assúptus, pro homínibus constitúitur in his, quæ sunt ad Deum, ut ófferat dona et sacrificia pro peccátis. Qui condolére possit his, qui ígnorant et errant, quóniam et ipse circúmdatus est infirmitáte. Et proptérea debet quemádmódu pro pópulo, ita étiam pro semetípso offérre pro

peccátis. Nec quisquam sumat sibi honórem, sed qui vocátur a Deo, tamquam Aaron. Sic et Christus non semetípsum clarificávit, ut pón̄tifex fieret, sed qui locútus est ad eum: "Fílius meus es tu, ego hódie genui te." Quemádmódu[m] et in álio loco dicit: "Tu es sacerdos in ætérnum · secúndum órđinem Melchisedech."

Responsorium



Iesum trádidit ímpius · summis pricípibus sacerdotum et senióribus pópuli, Petrus autem sequebátur a longe, # ut vidéret finem. **V.** Et ingressus Petrus in átrium princíp̄is sacerdotum. **U**t vidéret.

Lectio IX.

Et quidem, cum esset Fílius Dei, dídicit ex his, quæ passus est, obediéntiam, et consummátus factus est ómnibus obtemperántibus sibi causa salutis ætérnæ. Appellátus a Deo pón̄tifex iuxta órđinem Melchisedech, de quo nobis grandis sermo et interpretábilis ad docéndum, quóniam imbecílles facti estis ad audiéndum. Etenim, cum deberétis magístri esse · propter tempus, rursus indigétis, ut vos doceámini, quæ sint eleménta exórdii sermónum Dei, et facti estis, quibus lacte opus sit, non sólido cibo. Omnis enim, qui lactis est párticeps, expers est sermónis iustítiae, párvulus enim est. Perfectórum autem est cibus sólido, eórum, qui pro consuetúđine exercitátos habent sensus · ad discretiónem boni ac mali.

Responsorium



Caligavérunt óculi mei a fletu meo, quia elongábitur a me, qui consolabátur me; vidéte, omnes pópuli, # si est dolor símilis, sicut dolor meus! **V.** O, vos omnes, qui transítis per viam, atténdite, et vidéte! **S**i.

Ad laudes

Antiphona



Próprio Fílio suo non pepércit Deus, sed pro nobis ómnibus trádidit illum. **Ps.** Miserére.

Antiphona



Anxiátus est in me spíritus meus; in me turbátum est cor meum. **Ps.** Dómine, exáudi.

Antiphona



Ait latro ad latrónem: Nos quidem digna factis recípimus, hic autem quid fecit? Meménto mei, Dómine, dum véneris in regnum tuum! **Ps.** Deus, Deus.

Antiphona



Dum turbáta fúerit ánima mea, Dómine, misericórdiæ memor eris. **Canticum:** Dómine, audívi.

Antiphona



Meménto mei, Dómine, dum véneris in regnum tuum! **Ps.** Laudáte Dóminum.

Ad Benedictus antiphona



Posuérunt super caput eius causam ipsíus scriptam: Iesus Nazarénus, rex Iudæórum.

Kýrie eléison! Christe, eléison! Kýrie, eléison! Dómine, miserére nobis, *ut supra*.

Ad horas diei, ut in die Cenæ Dómini ad vespervas, sine Deus, in adiutórium, *et sine antiphona*. **Psalmis:** Confitébor; Dómine, probásti; Eripe me, Dómine; Dómine, clamávi; Voce mea; Magníficat; Miserére. Christus factus est, *et cetera*. Kýrie eléison! Christe, eléison! Kýrie, eléison! Pater noster. **Oratio:** Réspice, *ut supra*.

IN SABBATO SANCTO

ad matutinum

Antiphona



In pace inidípsum dórmiam et requiέscam. **Ps.** Cum invocárem.

Antiphona



Habitábit in tabernáculo tuo, requiέscet in monte sancto tuo. **Ps.**
Dómine, quis.

Antiphona



Caro mea requiέscet in spe. **Ps.** Consérva.

Versiculus

V. In pace inidípsum.

R. Dórmiam et requiέscam.

Lamentatio I.

Aleph. Quómodo obscurátum est aurum, mutátus est color óptimus. Dispérsi sunt lápides sanctuárii in cápite ómnium plateárum. Beth. Fílii Sion íncltyti et amícti auro primo. Quómodo reputáti sunt in vasa téstea, opus mánuum fíguli. Gimel. Sed et lamíæ eius nudavérunt mammas, lactavérunt cátulos suos. Fília pópuli mei crudélis, quasi strúthio in desérto. Deleth. Adháesit lingua lactántis ad palátum eius in siti. Párvuli petiérunt panem, et non erat, qui frángeret eis. Ierúsalem, Ierúsalem.

Responsorium



Sepúlto Dómino, signátum est monuméntum; volvéntes lápidem ad óstium monuménti, # ponéntes mílites, qui custodírent illud. **V.** Ne forte véniant discípuli eius, et furéntur eum, et dicant plebi: Surréxit a mórtuis. **P.** Ponéntes mílites.

Lamentatio II.

He. Qui vescebántur voluptuóse, interiérunt in viis; qui nutriebántur in cróceis, amplexáti sunt stércora. Vav. (Itt is vau van a kiadásban.) Et maior effécta est iníquitas pópuli mei peccáto Sodomórum, quæ subvérsa est in moménto, et non cepérunt in ea manus. Zai. Candidióres nazaræi eius nive, nitidióres lacte, rubicundióres ébore antíquo, zaphíro pulchrióres. Heth. Denigráta est super carbónes fácies eórum, et non sunt cogníti in platæis. Adhæsit cutis eórum óssibus, áruit, et facta est, quasi lignum. Ierúsalem.

Responsorium



Ierúsalem, luge, et éxue te véstibus iucunditátis; indúere cínere et cilício, # quia in te est occísus Salvátor Israel! **V.** Ululáte, pastóres, et clamáte, aspérgite vos cínere! **Quia.**

Orátio Ieremíæ prophétæ.

Lectio III.

Recordáre, Dómine, quid accíderit nobis; intúere, et réspice oppróbrium nostrum! Heréditas nostra versa est ad aliénos; domus nostræ ad extráneos. Pupú?lli facti sumus absque patre, matres nostræ, quasi víduæ. Aquam nostram pecúnia bíbimus, ligna nostra prétió comparávimus. Cervícibus minabámur, lassis non dabátur réquies. Ægýpto dédimus manum et Assýriis, ut saturarémur pane. Patres nostri peccavérunt, et non sunt, nos autem iniquitátes eórum portávimus; servi domináti sunt nostri, et non fuit, qui redímeret nos de manu eórum. In mánibus nostris afferebámus panem nobis, a fácie gládii in desérto. Pellis nostra, quasi clíbanus, exústa est, a fácie tempastátum famis. Mulíeres in Sion humiliavérunt vírgines in

civitátibus Iuda. Cécidit coróna cápitis nostri; væ nobis, quia peccávimus. Tu autem, Dómine, in ætérnum permanébis, et sólum tuum in generatióne et generatióne. Quare in perpétuum oblivísceris nostri, et derelínquis nos in longitúdine diérum? Convérte nos, Dómine, et convertémur; ínnova dies nostros, sicut a princípío! Sed proíciens reppulísti nos, irátus es contra nos veheménter. Ierúsalem.

Responsorium



Plange, quasi virgo, plebs mea, ululáte, pastóres, in cínere et cilício, # quia véniet dies Dómini magna et amára valde. **V.** Plausérunt super me mánibus, omnes transeúntes per viam sibilavérunt, et movérunt caput. **Q**uia.

In secundo nocturno

Antiphona



Elevámini, portæ æternáles, et introíbit rex glóriæ! **Ps.** Dómini est terra.

Antiphona



Credo vidére bona Dómini · in terra vivéntium. **Ps.** Dóminus, illuminátio.

Antiphona



Dómine, abstraxísti ab ínferis ánimam meam. **Ps.** Exaltábo te, Dómine.

Versiculus

V. Tu autem, Dómine, miserére mei!

R. Et resúscita me, et retríbuam eis.

Lectio IV.

Mérito ergo perscrutántes, quod contra iustum moliebántur, a iustítia recedébant, et quanto a iustítia recedébant, tanto plus deficiébant, perscrutántes scrutatiónes. Magnum consílium innocentíæ, quando ipsum Iudam pænítuit, quod tradidisset Christum. Proiécit illis pecúniam, quam déderant; illi noluérunt eam mittere in gazophilácium. Et dixerunt: Pecúnia sanguis est; non mittámus illam in gazophilácium! Quid est gazophilácium? Archa Dei, ubi colligebántur ea, quæ ad indigéntiam servórum Dei mittebantur. Christus semel pro peccátis nostris mórtuus est, iustus pro iniústis, ut nos offerret Deo. Tu.

Responsorium



Recéssit pastor bonus fons aquæ vivæ, ad cuius transitum sol obscurátus est; nam et ille captus est, qui captívum tenébat primum hómínem. # Hódie portas mortis et seras páriter Salvátor noster dirúpit. **V.** Destrúxit quidem claustra inférni, et subvértit poténtiam diabóli. **Hódie.**

Lectio V.

O, homo, cor tuum sit pótius archa Dei, ubi hábitent divítiae Dei, ubi sit nummus Dei, mens tua habens imáginem Dei! Cum ergo hæc ita sint, qualis illa innocentia simuláta fuit pecúniam non mittere in archam, et ipsum sánguinem mittere in consciéntiam. Sed quid eis cóntigit? “Defecerunt scrutántes scrutatiónes.” Unde? Quia dixerunt: “Quis vidébit eos?” Id est, quia eos nemo vidébit. Hoc dicébant, hoc apud se opinabántur, quod nemo eos vidéret. Christus semel.

Responsorium



O, vos omnes, qui transítis per viam, atténdite, et vidéte, # si est dolor símilis, sicut dolor meus! **V.** Atténdite, univérsi pópuli, et vidéte dolórem meum! **Si.**

Lectio VI.

Quid ergo séquitur? “Accédet homo ad cor altum, et exaltábitur Deus.” Illi dixerunt: Quis nos vidébit? “Defecérunt scrutántes scrutatiónes consília mala.” Accéssit homo ad ipsa consília. Passus est tenéri homo. Non enim tenerétur, nisi homo, aut viderétur, nisi homo. Accéssit ergo ad illas omnes passiónes, quæ in illo non valérent, nisi homo esset. Sed si ille homo non esset, non liberarétur homo. Christus semel.

Responsorium



Ecce, quómodo móritur iustus, et nemo pércipit corde; viri iusti tollúntur, et nemo consíderat, a fácie iniquitátis sublátus est iustus, # et erit in pace memória eius. **V.** In pace factus est locus eius, et habitatio eius in Sion. **Et.**

In tertio nocturno

Antiphona



Deus ádiuvat me, et Dóminus suscéptor est ánimæ meæ. **Ps.** Deus, in nómine.

Antiphona



In pace factus est locus eius, et in Sion habitatio eius. **Ps.** Notus in Iudæa.

Antiphona



Factus sum, sicut homo, sine adiutorio, inter mortuos liber. **Ps.** Domine, Deus, salútis.

Versiculus: In pace factus est locus eius, *ut supra.*

Lectio VII.

Christus, assistens pón̄tífex futurórum bonórum, per ámplius et perféctius tabernáculum non manufáctum, id est · non huius creatiónis, neque per sánguinem hircórum aut vitulórum, sed per próp̄rium sánguinem introívit semel in sancta, ætérna redemptióne invénta. Si enim sanguis hircórum et taurórum, et cinis vítulæ aspérsus, inquinátos sanctíficat ad emundatiónem carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per Sp̄ritum Sanctum semetípsum óbtulit immaculátum Deo, emundábit consciéntiam nostram ab op̄eribus mórtuis, ad serviéndum Deo vivénti, et ídeo novi testaménti mediátor est, ut morte intercedénte, in redemptiónem eárum prævaricatiónum, quæ erant sub prióri testaménto, repromissiónem accípiant, qui vocáti sunt ætérnæ hereditátis. Christus semel.

Responsorium



Æstimátus sum cum sedcendéntibus in lacum, # factus sum, sicut homo, sine adiutorio, inter mórtuos liber. **V.** Et sicut vulneráti dórmiéntes, proiécti sunt in monuménto, quorum non es memor ámplius, et ipsi de manu tua repúl̄si sunt. **F**actus sum.

Lectio VIII.

Ubi enim testaméntum est, mors necesse est, intercédât testatōris. Testaméntum enim in mórtuis confirmátum est. Alióquin nondum valet, dum vivit, qui testátus est, unde nec primum quidem sine sángine dedicátum est. Lecto enim omni mandáto legis a Móyse univérso pópulo, accípiens sánguinem vitulórum et hircórum · cum aqua et lana coccínea et hyssópo, ipsum quoque librum, et omne pópulum aspérsit, dicens: Hic est sanguis testaménti, quod mandávit ad nos Deus. Christus.

Responsorium

Agnus Dei, Christus, immolátus est pro salúte mundi; nam de paréntis protoplásti fraude factor cóndolens, quando pomi noxiális morsu in mortem córruit. # Ipse lignum tunc notávit, damna ligni, ut sólveret. **V.** Christus factus est pro nobis obœdines usque ad mortem, mortem autem crucis. **I**pse.

Lectio IX.

Et tamen tabernáculum et ómnia vasa ministérii simíliter sángine aspérsit, et ómnia pæne in sángine mundántur secúndum legem, et sine sánguinis effusióne non fit remíssio. Necesse est ergo exemplária quidem cæléstium his mundári. Ipsa autem cæléstia melióribus hóstiis, quam istis esse vidéntur. Non enim in manufáctis sanctis Iesus introívit exemplária verórum, sed in ipsum cælum, ut appáreat nunc vúltui Dei pro nobis. Neque, ut sæpe offérrat semetípsum, quemádmódum póntifex intrábat in sancta per síngulos annos in sángine aliéno. Alióquin oportébat eum frequénter pati ab origine mundi. Christus.

Responsorium

Sicut ovis, ad occisiónem ductus est, et dum maletractarétur, non apéruit os suum. # Tráditus est ad mortem, ut vivificáret pópulum suum. **V.** In pace factus est locus eius, et in Sion habitátió eius. **T**ráditus.

Ad laudes

Antiphona



O, mors, ero mors tua, morsus tuus ero, inférne! **Ps.** Miserére.

Antiphona



Plangent eum, quasi unigénitum, quia ínnocens Dóminus occísus est.
Ps. Iúdica me, Deus.

Antiphona



Atténdite, univérsi pópuli, et vidéte dolórem meum! **Ps.** Deus, Deus.

Antiphona



A porta ínferi érué, Dómine, ánimam meam! **Canticum:** Ego dixi.

Antiphona



O, vos omnes, qui transítis per viam, atténdite, et vidéte, si est dolor símilis, sicut dolor meus! **Ps.** Laudáte.

Ad Benedictus antiphona



Mulíeres sedéntes ad monuméntum, lamentabántur, flentes Dóminum.

Kýrie eléison! Christe, eléison! Kýrie, eléison! **V.** Dómine, miserére, **ut supra.** **Ad omnes horas, ut in die Cenæ Domini.**

Ad vespervas

Sine Deus, in adiutórium meum inténde.

Antiphona



Allelúia, allelúia, allelúia. Ps. Laudáte Dóminum, omnes gentes. **Sine** Glória.

Ad Magnificat antiphona



Véspere autem sábbati, quæ lucéscit in prima sábbati, venit María Magdaléne, et áltera María vidére sepúlcrum, allelúia. **Sine** Glória.

Oratio

Spíritum nobis, Dómine, tuæ caritátis infúnde, ut quos sacraméntis pascálibus satiásti, tua fácias pietáte concórdes! Per eúndem, eíúsdem.

Benedicámus **cum** allelúia.

Completorium

Sine Deus, in adiutórium.

Antiphona



Allelúia, allelúia, allelúia. **Psalmi:** Cum invocárem; In te, Dómine; Qui hábitat; Ecce, nunc. **Sine** Glória.

Antiphona



Pascha nostrum Christus est, allelúia, qui immolátus agnus est, allelúia, allelúia. **Canticum:** Nunc dimíttis. **Sine** Glória.

Oratio: Spíritum nobis; Deus, qui illúminas. Benedicámus **cum** allelúia.
In matutino dicitur Dómine, lábia mea; Deus, in adiutórium.

[DOMINICA RESURRECTIONIS]

ad matutinum

Invitorium



Allelúia, allelúia, allelúia! **Ps.** Veníte.

Antiphona



Ego sum, qui sum, et consílium meum non est cum ímpiis, sed in lege Dómini volúntas mea est, allelúia. **Ps.** Beátus vir.

Antiphona



Postulávi Patrem meum, allelúia; dedit mihi gentes, allelúia; in hereditátem, allelúia. **Ps.** Quare fremuérunt.

Antiphona



Ego dormívi, et somnum cœpi, et resurrexi, quia Dóminus suscepit me, allelúia, allelúia. **Ps.** Dómine, quid multiplicáti.

Versiculus: Surrexit Dóminus de sepúlcro, allelúia. **R.** Qui pro nobis.

Secundum Marcum

In illo témpore. María Magdaléne et María Iacóbi et Salóme emérunt arómata, ut veniéntes, úngerent Iesum. Et valde mane una sabbatórum véniunt ad monuméntum, orto iam sole. Et réliqua.

Homélia beáti Gregórii papæ.

Lectio I.

Audístis, fratres caríssimi, quod sanctæ mulieres, quæ Dóminum secútæ fúerant, cum aromátibus ad monuméntum venérunt, et ei, quem vivéntem diléxerant, étiam mórtuo stúdio humanitátis obsecúntur. Sed res gesta áliquíd in sancta Ecclésia signat geréndum. Sic quippe necesse est, ut audiámus, quæ facta sunt, quátenus cogitémus étiam ea, quæ nobis sunt, ex eórum imitatióne faciéndá. Et nos ergo in eum, qui est mórtuus, credétes, si odóre virtútum reféti cum opinióne bonórum óperum Dóminum quærimus, ad monuméntum profécto, illíus cum aromátibus vénimus. Illæ autem mulieres ángelos vident, quæ cum aromátibus venérunt, quia vidélicet illæ mentes supérnos cives aspíciunt, quæ cum virtútum odóribus ad Dóminum per sancta desidéria proficiscúntur. Tu.

Responsorium



Angelus Dómini descéndit de cælo, et accédens, revólvit lápidem, et super eum sedit, et dixit muliéribus: Nolíte timére; scio enim, quia crucifíxum quæritis! # Iam surrélixit; veníte et vidéte locum, ubi pósitus erat Dóminus, allelúia. **V.** Angelus Dómini locútus est muliéribus, dicens: Quem quæritis, an Iesum quæritis? **I**am surrélixit.

Lectio II.

Notándum vero nobis est, quid nam sit, quod in dextris ángelus sedére cérnitur? Quid namque per sinístram, nisi præsens vita? Quid vero per dexteram, nisi perpétua vita signátur? Unde scriptum est: "Leva eius sub cápite meo, et dextera illíus amplexábitur me." Quia ígitur Redémptor noster iam præsentis vitæ corruptiόνem transierat, recte ángelus, qui nuntiáre perénnem eius vitam vénerat, in dextera sedébat. Qui bene stola cándida coopértus appáruit, quia festivitátis nostræ gáudia nuntiávit. Candor etenim vestis · splendórem denúntiat nostræ sollemnitátis. Nostræ dicámus, an suæ? Sed ut fateámur vérius, et suæ dicámus et nostræ. Illa quippe Redemptóris nostri resurréctio · nostra festivitátis fuit, quia nos ad immortalitátem redúxit, et angelórum festívitatis éxtitit, quia nos revocádo ad cælestia eórum númerum implévit. Tu.

Responsorium



Angelus Dómini locútus est muliéribus, dicens: Quem quæritis, an Iesum quæritis? # Iam surrexit; veníte, et vidéte, allelúia, allelúia. **V.** Ecce, præcédet vos in Galilæam, ibi eum vidébitis, sicut dixit vobis. **Iam.**

Lectio III.

In sua ergo ac nostra festivitáte ángelus in albis véstibus appáruit, quia dum nos per resurrectionem domínica ad supérna redúcimur, cæléstis pátria damna reparántur. Sed quid veniéntes féminas affátur, audiámus! Nolíte expavéscere, ac si apérte dicat: Páveant illi, qui non amant advéntum supernórum cívium; pertiméscant, qui carnálibus desidériis pressi, ad eórum societátem pertíngere posse désperant! Vos autem cur pertiméscitis, qui vestros concíves vidétis? Unde et Matthæus ángelum apparúisse describens, ait: “Erat autem aspéctus eius, sicut fulgur, et vestiménta eius cándida, sicut nix.” In fúlgure étenim terror timóris est, in nive autem blandiméntum candóris. Tu autem.

Responsorium



Dum transisset sábbatum, María Magdaléne et María Iacóbi et Salóme emérunt arómata, # ut veniéntes, úngerent Iesum, allelúia, allelúia. **V.** Et valde mane una sabbatórum, véniunt ad monuméntum, orto iam sole. [**Ut.**]

Te, Deum, laudámus.

Ad laudes

Antiphona



Angelus autem Dómini descéndit de cælo, et accédens, revólvit lápidem, et sedébat super eum, allelúia, allelúia. **Ps.** Dóminus regnávít.

Antiphona



Erat autem aspéctus eius, sicut fulgur, vestiménta eius cándida, sicut nix, allelúia.

Antiphona



Præ timóre autem eius extérriti sunt custódes, et facti sunt, velut mórtui, allelúia.

Antiphona



Respóndens autem ángelus, dixit muliéribus: Nolíte timére; scio enim, quod Iesum quæritis, allelúia.

Antiphona



Cito eúntes, dícite discípulis, quia surréxit Dóminus, allelúia.

Capitulum non dicitur.

Graduale



Hæc dies, quam fecit Dóminus; exsultémus, et lætémur in ea! **V.** Confitémini Dómino, quóniam bonus; quóniam in sæculum misericórdia eius!

[Alleluia]



Allelúia. **V.** Pascha nostrum immolátus est, Christus. [**V.**]Epulémur in ázymis sinceritátis et veritátis!

Ad Benedictus antiphona



Et valde mane una sabbatórum, véniunt ad monuméntum, orto iam sole, allelúia.

Oratio

Deus, qui hodiérna die per Unigénitum tuum · æternitátis nobis áditum, devícta morte reserásti: vota nostra, quæ præveniéndó aspíras, étiam adiuvándo proséquere! Per eúndem.

Ad primam

Deus, in adiutórium **dicatur**. **Sed hymnus non dicitur usque ad sabbatum proxime venturum.** **Antiphona:** Angelus autem Dómini. **Psalmi:** Deus, in nómine tuo; Beáti immaculáti; Retríbue; Confitémini; Laudáte Dóminum, omnes gentes. **Capitulum non dicitur.** **Graduale:** Hæc dies. **V.** Confitémini. Allelúia. **V.** Pascha nostrum. **Oratio:** Spíritum nobis, Dómine, tuæ caritátis; Dómine, sancte Pater. **Preces:** Exsultábunt sancti.

Ad tertiam

Deus, in adiutórium **dicitur**. **Antiphona:** Erat autem. **Psalmus:** Legem pone mihi. **Graduale:** Hæc dies. **V.** Confitémini. Allelúia. **V.** Pascha nostrum. **Oratio:** Deus, qui hodiérna die, **ut supra**.

Ad sextam

Antiphona: Præ timóre. **Psalmus:** Defécit. **Graduale:** Hæc dies. **V.** Confitémini. Allelúia. **V.** Pascha nostrum. **Oratio:** Deus, qui hodiérna die.

Ad nonam

Antiphona: Cito eúntes. **Psalmus:** Mirabília. **Graduale:** Hæc dies. **V.** Confitémini. Allelúia. **V.** Pascha. **Oratio:** Deus, qui hodiérna die.

In secundis vesperis

Primo incipiat: Kýrie eléison! Christe, eléison! Kýrie, eléison! **Sine** Deus, in adiutórium. **Antiphona:** Angelus autem Dómini. **Psalmus:** Dixit Dóminus. **Antiphona:** Erat autem. **Psalmus:** Confitébor. **Antiphona:** Præ timóre. **Psalmus:** Beátus vir. **Graduale:** Hæc dies. **V.** Confitémini. Allelúia. **V.** Pascha.

Ad Magnificat antiphona



Et dicébant ad ínvicem: Quis revólvet nobis lápidem ab óstio monuménti, allelúia, allelúia?

Oratio: Deus, qui hodiérna die, **ut supra**. **Sine** Benedicámus. **Interim præparent se ire ad fontem cum crucibus, chrismate oleo, plenariis thuribulis, canentes in eundo:** Vidi aquam, **et cetera cum versus et** Glória Patri. **Sequitur antiphona:** Respóndens autem ángelus. **Psalmus:** Laudáte, púeri. **Antiphona:** Cito eúntes. **Psalmus:** In éxitu Israel. **Versiculus:** Quóniam apud te est fons vitæ, allelúia. **R.** Et in lúmine, **et cetera**.

Oratio

Deus, qui omnes in Christo renátos genus regum et sacerdotále fecísti: da nobis velle et posse, quæ præcipis, ut pópulo ad æternitátem vocáto · una sit fides córdium et píetas actiónum! Per eúndem.

In reversione: Christus resúrgens. **V.** Dicant tunc. **Quo finito:**

Versiculus

V. In resurrectione tua, Christe, allelúia.

R. Cælum et terra læténtur, allelúia.

Oratio

Præsta, quésumus, omnípotnes Deus, ut qui resurrectionis dominicæ sollémnia cólimus, ereptionis nostræ súscipe mereámur lætítiam! Per eúndem.

Ad completorium

Convérte nos, Deus; Deus, in adiutórium.

Antiphona

Allelúia. Ps. Cum invocárem, **cum ceteris.**

Antiphona

Allelúia, allelúia, allelúia.

Graduale: Hæc dies. **V.** Confitémini. Allelúia. **V.** Pascha. **Versiculus non dicitur.**

Ad Nunc dimittis antiphona



Allelúia. Resurréxit Dóminus, allelúia, sicut dixit vobis, allelúia, allelúia.

Oratio: Spíritum nobis. **Oratio:** Deus, qui illúminas.

Nota, quod quando per te oras, tunc dicas Deus, in adiutórium, **antiphona:** Angelus autem Dómini, **cum quinque antiphonis et psalmis.** **Graduale:** Hæc dies. **V.** Confitémini. Allelúia. **V.** Pascha nostrum. **Quibus finitis dicatur ad Magnificat antiphona:** Et dicébant. **Oratio:** Deus, qui hodiérna die, **ut supra.** **Aliis diebus orationes vide infra omni die.** **Benedicámus cum allelúia.** **Completorium, ut hic, supra.** **Et est sciendum, quod ad omnes horas, et etiam ad vespas dicitur graduale:** Hæc dies, usque feriam sextam inclusive, sed versus alleluia vide infra omni die.

FERIA SECUNDA

ad matutinum

Invitorium



Surréxit Dóminus vere, allelúia. **Ps.** Veníte.

Ad nocturnum

Antiphona



Cognovérunt Dóminum, allelúia, in fractiône panis, allelúia.

Psalmi: Cum invocárem; Verba mea; Dómine, ne in furóre tuo. **Versiculus:** Surréxit Dóminus de sepúlcro, allelúia.

Secundum Lucam

In illo témpore. Duo ex discípuis Iesu · ibant in castéllum, quod erat in spátio stadiórum sexagínta ab Ierúsalem, nómine Emmaus. Et ipsi loquebántur ad ínicem de his ómnibus, quæ accíderant. Et réliqua.

Homélia beáti Gregórii papæ.

Lectio I.

In cottidiána nobis sollempnitáte laborántibus · pauca loquénda sunt, et fortásse hæc útilius próderunt, quia sæpe et aliménta, quæ minus sufficiunt, avidius sumúntur. Lectiόνis ergo evangélicæ summátim sensum státui non per síngula verba discútere, ne dilectiόνem vestram váleat sermo prolíxior expositiόνis oneráre. Ecce, audístis, fratres caríssimi, quia duóbus discípuis, ambulántibus in via, non quidem credéntibus, sed étiam de se loquéntibus, Dóminus appáruit, sed eis spécies, quam recognóscerent, non osténdit; hoc ergo egit foris Dóminus in óculis córporis, quod apud ipsos agebátur intus in óculis cordis. Tu.

Responsorium



María Magdaléne et María Iacóbi ibant dilúculo ad monuméntum. Iesum, quem quæritis, non est hic, surréxit, sicut locútus est. # Præcédet vos in Galilæam, ibi eum vidébitis, allelúia, allelúia. **V.** Cito eúntes, dícite discípuis eius et Petro, quia surréxit Dóminus! **P**ræcédet.

Lectio II.

Ipsi namque apud semetípsos intus et amábant et dubitábant, eis autem Dóminus foris et præsens áderat, et quis esset, non ostendébat. De se ergo loquéntibus præsentiam exhibuit, sed de se dubitántibus · cognitiónis suæ spéciem abscondit. Verba quidem cóntulit, durítiam intelléctus increpávit; scriptúræ sacræ mystéria, quæ de ipso erant, apéruit, et tamen, quia adhuc eórum córdibus perégrinus erat, a fide ire se lóngius finxit. Fíngere namque dícimus compónere. Unde et compositóres luti · fígulos vocámus. Nihil ergo simplex véritas per duplicitátem fecit, sed talem se eis exhibuit in córpore, qualis apud illos erat in mente. Tu.

Responsorium



Surgens Iesus, Dóminus noster, stans in médio discípuorum suórum, dixit: Pax vobis, allelúia! # Gavísi sunt discípuis, viso Dómino, allelúia. **V.** Surréxit Dóminus de sepúlcro, qui pro nobis pepéndit in ligno. **G**avísi.

Lectio III.

Probánda autem erant idem discípuis, si hi, qui eum, et si nec dum et Deum dilígerent, saltem, ut peregrínum amáre potuissent. Sed quia esse extránei a caritáte non póterat, hi, cum quibus caritas gradiebátur, eum ad hospítium, quasi peregrínum vocant. Cur autem dícimus, vocat, cum illic sit scriptum, et coegerunt illum? Ex quo nímirum exémplo collígitur, quia peregríni ad hospítium non solum invitánda sunt, sed étiam trahénda. Mensam ponunt, cibos offerunt, et Deum, quem in scriptúræ sacræ expositiône non cognóverant, in panis fractiône cognóscunt. Audiéndo ergo præcépta

Dei illumináti non sunt, faciéndó illumináti sunt, quia scriptum est: Non auditóres legis iusti sunt apud Deum, sed factóres legis iustificabúntur. Tu.

Responsorium



Congratulámini mihi omnes, qui dilígitis Dóminum, quia quem quærébam, apparuit mihi, # et dum flerem ad monuméntum, vidi Dóminum meum, allelúia. **V.** Tulérunt Dóminum meum, et néscio, ubi posuerunt eum; si tu sustulísti eum, dícite mihi! **Et** dum.

Te, Deum, laudámus.

Ad laudes

Antiphona: Angelus autem Dómini. **Psalmus:** Dóminus regnávít, cum ceteris psalmis et antiphonis.

Graduale



Hæc dies. **V.** Dicat nunc Israel, quóniam bonus, quóniam in sáeculum misericórdia eius!

Alleluia



Allelúia. **V.** Angelus Dómini descéndit de cælo, et accédens, revólvit lápidem, et sedébat super eum. [**V.**] Respóndens autem ángelus, dixit muliéribus: Quem quæritis? Illæ autem dixerunt: Iesum Nazarénum.

Ad Benedictus antiphona

Iesus iunxit se discipulis suis in via, et ibat cum illis; óculi eórum tenebántur, ne agnóscerent eum, et increpábat eos, dicens: O, stulti et tardi corde ad credéndum in hiis, quæ locúti sunt prophétæ, allelúia!

Oratio

Deus, qui sollemnitate pascháli mundo remédia contulísti: pópulum tuum, quæsumus, cælésti dono proséquere, ut et perféctam libertátem conséqui mereátur, et ad vitam proficiat sempitérnam. Per.

Ad omnes horas, ut in die Paschæ, præter versicululus et alleluia et collecta, ut supra.

Ad secundas vesperas

Antiphona: Angelus autem Dómini, *ut supra, cum ceteris antiphonis et psalmis.*

Graduale: Hæc dies. **V.** Dicat nunc Israel, quóniam bonus. Allelúia. **V.** Angelus Dómini.

Ad Magnificat antiphona

Qui sunt hii sermónes, quos confértis ad ínvicem ambulántes, et estis tristes, allelúia? Respóndens unus, cui nomen Cléophas, dixit ei: Tu solus perégrinus es in Ierúsalem, et non cognovísti, quæ facta sunt in illa hiis diébus, allelúia? Quibus ille dixit: Quæ? Et dixerunt de Iesu Nazaréno, qui fuit vir prophéta potens in ópere et sermóne coram Deo et omni pópulo, allelúia, allelúia.

Oratio: Deus, qui sollemnitate pascháli, ut supra. Completorium ut supra, cum ceteris.

FERIA TERTIA

ad matutinum

Invitatorium: Surréxit Dóminus. **Psalmus:** Veníte. **Ad nocturnum antiphona:** Cognovérunt Dóminum. **Psalmi:** Dómine, Deus meus; Dómine, Dóminus noster; In Dómino confído. **Versiculus:** Surréxit Dóminus de sepúlcro.

Secundum Lucam

In illo témpore. Stetit Iesus in médio discipulórum suórum, et dixit eis: Pax vobis, ego sum, nolíte timére! Et réliqua.

Homélia venerábilis Bedæ presbýteri.

Lectio I.

Glóriam suæ resurrectionis Dóminus et Redémptor noster paulátim discipulis et per increméntum témporis osténdit, quia nimirum tantum erat virtus miráculi, ut hanc repénite totam cápere fragília mortálium péctora non possent. Cónsulens ergo ipse imbecillitáti credéntium, primo veniéntibus ad monuméntum, et féminis suo amóre fervéntibus et viris, revolútum lápidem, et abláto suo córpore lintheámina, quibus involútum erat, sola pósita monstrávit. Deínde curiosus inquiréntibus féminis, et de eo, quod invénerant mente consternátis, angelórum visiónem osténdit, qui illum resurrexisse certa manifestatióne patefácerent. Tu.

Responsorium



Virtúte magna reddébant apóstoli # testimónium resurrectionis Dómini nostri, Iesu Christi, allelúia, allelúia. V. In omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum. **Testimónium.**

Lectio II.

Ac sic præcúrrente fama patrátæ resurrectionis, tandem ipse Dóminus virtútum et rex glóriæ appárens, quanta poténtia mortem, quam ad horam gustáverat, devicisset, apéruit. Et quidem quantum ex evangélice série lectiόνis invénimus, quínquies ipsa, qua resurrexit die, visus est homínibus: Primo Mariæ Magdalénæ ad

monumentum, quando ei desideranti, pedes eius amplecti dictum est: "Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum." Deinde duobus a monumento currentibus nuntiare discipulis, quae ab angelis de perfecta eius resurrectione didicerant. De quibus scriptum est, quia accesserunt, et tenuerunt pedes eius, et adoraverunt eum. Tu autem.

Responsorium



Tulerunt Dominum meum, et nescio, ubi posuerunt eum; ait ei angelus: Noli flere, Maria, surrexit, sicut dixit; # praecedet vos in Galilaeam, ibi eum videbitis, alleluia, alleluia. **V.** Cito euntes, dicite discipulis eius et Petro, quia surrexit Dominus. **P**raecedet.

Lectio III.

Apparuit ipsa die ad vesperascente duobus euntibus in castellum Emmaus, qui eum ad hospitium vocantes, in panis fractionis cognoverunt. Apparuit et Petro. Quod si evangelista, quando, vel ubi factum sit, minime designaverit, tamen, quia factum sit, non tacet, scribens, quia cum praefati duo discipuli, cognito Domino in Emmaus, statim rediissent Ierusalem, invenerunt congregatos undecim, et eos, qui cum ipsis erant, dicentes, quia surrexit Dominus vere, et apparuit Simoni. Ac deinde subiungit: "Et ipsi narrabant, quae gesta erant in via, et quomodo cognoverunt eum in fractione panis." Statimque annectit quintam eius apparitionem, de qua modo, cum legeretur, audivimus, ita incipientes: "Dum haec autem loquerentur, stetit Iesus in medio eorum, et dicit eis: Pax vobis! Ego sum, nolite timere!" Tu.

Responsorium



Expurgate vetus fermentum, et sitis nova conspersio; etenim pascha nostrum immolatus est, Christus. # Itaque epulemur in Domino, alleluia, alleluia! **V.** Non in fermento maliciae et nequitiae, sed in azymis sinceritatis et veritatis. **I**taque.

Te, Deum, laudamus.

Ad laudes

Antiphona: Angelus autem Dómini, *per ordinem.*

Graduale



Hæc dies. **V.** Dicant nunc, qui redémpti sunt a Dómino, quos redémít de manu inimíci, et de regiónibus congregávit eos.

Allelúia



Allelúia. **V.** Surgens Iesus, Dóminus noster, stans in médio discipulórum, dixit: Pax vobis, allelúia!

Ad Benedictus antiphona



Stetit Iesus in médio discipulórum suórum, et dixit eis: Pax vobis, allelúia, allelúia!

Oratio

Deus, qui Ecclésiám tuam · novo semper foetu múltiplicas: concéde fámulis tuis, ut sacraméntum vivéndo téneant, quod fide percepérunt! Per.

Ad horas, ut supra.

[Ad vespéras]

Ad Magnificat antiphona



Vidéte manus meas et pedes meos, quia ego ipse sum, allelúia!

FERIA QUARTA

Invitatorium: Surréxit Dóminus. **Psalmus:** Veníte. **Ad nocturnum antiphona:** Cognovérunt. **Psalmi:** Salvum me fac; Usquequo, Dómine; Dixit insípiens. **Versiculus:** Surréxit Dóminus.

Secundum Ioannem

In illo témpore. Manifestávit se Iesus discíplis suis ad mare Tiberíadis; manifestávit autem sic: Erant simul Simon Petrus et Thomas, qui dícitur Dídymus · et Nathánael, qui erat a Chana Galilææ, et filii Zebedæi, et álii ex discíplis eius duo. Et réliqua.

Homélia beáti Gregórii papæ.

Lectio I.

Léctio sancti evangéllii, quæ modo in nostris áuribus lecta est, fratres mei, quæstióne ánimum pulsát, sed pulsatióne sua · vim discretiónis índicat. Quæri étenim potest, cur Petrus, qui piscátor ante conversióne[m] fuit, post conversióne[m] ad piscatióne[m] rédiit. Et cum véritas dicat: Nemo, mittens manum in arátrum, et aspíciens retro, aptus est regno Dei. Cur répetit, quod derelíquit? Sed si virtus discretiónis inspíciatur, cítius vidétur, quia nímirum negótium, quod ante conversióne[m] sine peccáto éxstitit, hoc étiam post conversióne[m] repétere culpa non fuit. Tu.

Responsorium



Ecce, vicit leo de tribu Iuda, radix David, aperíre librum, et sólvete septem signácula eius, # allelúia, allelúia, allelúia. V. Et unus de senióribus dixit mihi: Ne fléveris; dignus est Agnus, qui occísus est, accípere potestátem et fortitúdinem. **Allelúia.**

Lectio II.

Nam piscatórem Petrum, Matthæum vero teloneárium scimus. Et post conversióne[m] suam ad piscatióne[m] Petrus rédiit, Matthæus vero ad telonéi negótium non resédit. Quia et áliud est victum per piscatióne[m] quærere, áliud telonéi lucris pecúnias áugere. Sunt enim pléaque negótia, quæ sine peccátis exhibéri aut vix, aut nullátenus possint. Quæ ergo ad peccátum ímplicant, ad hoc necesse est, ut post conversióne[m] ánimus non recúrrat. Tu.

Responsorium



Isti sunt agni novelli, qui annuntiaverunt, allelúia; modo venerunt ad fontem. # Repléti sunt claritate, allelúia, allelúia. **V.** Amícti stolis albis, et palmi in mánibus eórum. **R.** Repléti.

Lectio III.

Quæri étiam potest, cur discipulis in mari laborántibus, post resurrectionem Dóminus in lítore stetit, qui ante resurrectionem suam coram discipulis in flúctibus maris ambulávit. Cuius rei rátio festíne cognóscitur, si ipsa, quæ tunc ínerat, causa pensétur. Quid étenim mare, nisi præsens sæculum désígnat, quod se causárum tumúltibus et undis vitæ corruptíbilis illídit? Quid per soliditátem lítoris, nisi illa perpetúitas quiétis ætérnæ figurátur? Quia ígitur discipuli adhuc flúctibus mortális vitæ ínerant, in mari laborábant. Tu.

Responsorium



De ore prudéntis procédit mel, allelúia; dulcédo mellis est lingua eius, allelúia; # favus distíllans lábia eius, allelúia, allelúia. **V.** Quam dúlcia fáucibus meis elóquia tua, Dómine, super mel et favum ori meo. **F.** Favus.

Te, Deum, laudámus.

Ad laudes

Antiphona: Angelus autem Dómini, *ut supra.*

Graduale



Hæc dies. **V.** D xtera D mini fecit virtutem, d xtera D mini exaltavit me.

Alleluia



Allel ia. **V.** Christus resurgens ex m rtuis, iam non m ritur; mors illi ultra non dominabitur.

Ad Benedictus antiphona



Mittite in d xteram navigii ret e, et inveni tis, allel ia.

Oratio

Deus, qui nos resurrectionis dominic e   annua sollemnitate l tifficas: concede propitius, ut per temporalia festa, qu e  gimus, pervenire ad g udia  terna mere mur! Per eundem.

Cetera, ut supra.

[Ad vesp ras]

Ad Magnificat antiphona



Dixit Iesus discipulis suis: Afferte de piscibus, quos prendidistis nunc; ascendens autem Simon Petrus, et traxit ret e in terram, plenum magnis piscibus, allel ia.

FERIA QUINTA

[ad matutinum]

Invitatorium: Surréxit Dóminus. **Psalmus:** Veníte. **Ad nocturnum antiphona:** Cognovérunt Dóminum. **Psalmi:** Dómine, quis habitábit; Consérva me; Exáudi, Dómine. **Versiculus:** Surréxit Dóminus.

Secundum Ioannem

In illo témpore. María stabat ad monuméntum foris, plorans; dum ergo fleret, inclinávit se, et prospéxit in monuméntum, et vidit duos ángelos in albis sedéntes, unum ad caput, et unum ad pedes, ubi pósitum fúerat corpus Iesu. Et réliqua.

Homéliea beáti Gregórii papæ.

Lectio I.

María Magdaléne, quæ fúerat in civitáte peccátrix, amándo veritátem, lavit lácrimis máculas críminis. Et vox veritátis implétur, qua dícitur: “Dimíssa sunt ei peccáta multa, quóniam diléxit multum.” Quæ enim prius frígida peccándo remánserat, póstmodo amándo fórtiter ardébat. Nam postquam venit ad monuméntum, ibíque corpus domínicum non invénit, sublátum crédidit, atque discíplis nuntiávit. Qui, veniéntes, vidérunt atque ita esse, ut múlier díxerat, credidérunt. Tu.

Responsorium: María Magdaléne, **ut supra feria secunda.**

Lectio II.

Et de eis prótinus scriptum est: “Abiérunt discípli ad semetípsos.” Ac deínde subiúngitur: “María autem stabat ad monuméntum foris, plorans.” Qua in repensándum est huius mulieris mentem, quanta vis amóris accénderat, quæ a monuménto Dómini, étiam discíplis recedéntibus, non recedébat. Exquirébat, quem non invénerat; flebat inquiréndo, et amóris sui igne succénsa, eius, quem ablátum crédidit, ardébat desidério. Tu.

Responsorium: Surgens Iesus, **ut supra.**

Lectio III.

Unde cóntigit, ut eum sola tunc vidéret, quæ remánsit, ut quæreret, quia nímírum virtus boni óperis perseverántia est. Et voce veritátis dícitur: Qui autem perseverávit usque in finem, hic salvus erit. Et

præcepto legis cauda hóstiæ in sacrificio iubétur offérri. In cauda quippe finis est córporis. Et ille bene ímmolat, qui sacrificium boni óperis usque ad finem débitæ actiónis perdúcit. Hinc Ioseph inter réliquos fratres talárem túnica[m] habuísse describitur. Túnica quippe usque ad talum est, opus bonum usque ad consummationem. Tu.

Responsorium: Congratulámini mihi omnes, *ut supra*.

Ad laudes

Antiphona: Angelus autem Dómini, *ut supra*.

Graduale



Hæc dies. V. Benedíctus, qui venit in nómine Dómini; Deus Dóminus, et illúxit nobis.

Alleluia



Allelúia. V. In die resurrectionis meæ, dicit Dóminus, præcédam vos in Galilæam.

Ad Benedictus antiphona



María stabat ad monuméntum foris, plorans, vidit duos ángelos in albis sedéntes, et sudárium, quod fúerat super caput Iesu.

Oratio

Deus, qui diversitátem géntium in confessióne tui nóminis adunásti: da, ut renátis fonte baptísmatis · una sit fides méntium, et píetas actiónum. Per.

Ad horas, ut supra.

[Ad vesperas]

Ad Magnificat antiphona



Venit María, nuntians discipulis, quia vidi Dóminum, allelúia.

FERIA SEXTA

Invitatorium: Surréxit Dóminus. **Psalmus:** Veníte. **Ad nocturnum antiphona:** Cognovérunt Dóminus. **Psalmi:** Cæli enarrant; Exáudiat te; Dómine, in virtúte. **Versiculus:** Surréxit Dóminus.

Secundum Matthæum

In illo témpore. Undecim discípuli abiérunt in Galilæam, in montem, ubi constituit illis Iesus, et vidéntes eum, adoravérunt, quidam autem dubitavérunt. Et réliqua.

Homélia venerábilis Bedæ presbýteri.

Lectio I.

Evangélica léctio, fratres caríssimi, quam modo audívimus, et iuxta lítteram gáudio plena refúlget, quia triúmphum Redemptóris nostri, simul et redemptionis nostræ dona · plano sermóne describit. Et si hanc enucleátius pertractáre vélimus, gratiórem in líttera fructum spiritalis sensus · ínclytum esse coopérimus. Sermo étenim Dei arómatis more, quo subtílius, quasi teréndo et cernéndo discútitur, eo maiórem intérnæ suæ virtútis fragrántiam reddit. Tu.

Responsorium: Virtúte magna, *ut supra*.

Lectio II.

Planum namque est, et dulce ad audiéndum piis, quod discípuli abiérunt in Galilæam, in montem, ubi constitúerat illis Iesus, et vidéntes eum, adoravérunt. Sed non vacat a mystério, quod Dóminus in Galilæa post resurrectionem, vel quod in monte discípulis appáruit. In monte étenim appáruit, ut significáret, quia corpus, quod de commúni humáni géneris terra nascéndo suscepérat, resurgéndo iam super terréna ómnia sublevátum cælésti virtúte indúerit. In monte appáruit, ut admonéret fidéles, si illic celsítudinem resurrectionis eius cúpiunt vidére, huc ab infímis cupiditatibus ad supérna stúdeant desidéria transíre. Tu.

Responsorium: Tulérunt Dóminum, *ut supra*.

Lectio III.

Nomen vero Galilææ, quid mystérii salutáris contíneat, crebra patrum expositióne notíssimum est. Sed non ab re est sáepius verbo repétere, quod semper necesse est ánimo retinére. Galilæa quippe

transmigratio facta vel revelatio interpretatur. Utraque autem interpretatio nominis ad unum finem respicit. Si quidem supra legimus dixisse angelum mulieribus: Ite, dicite discipulis eius, quia surrexit, et ecce, praecedat vos in Galilaeam; ibi eum videbitis. Et nunc evangelista narrante cognovimus, quia abiierunt discipuli in Galilaeam, et videntes eum, adoraverunt. Quid est ergo, quod Iesus praecedat discipulos in Galilaeam, ut videatur ab eis; sequuntur illi, et videntes adorant, nisi, quia surrexit Christus a mortuis, primitiae dormientium, sequuntur autem hi, qui sunt Christi, et ipsi in suo ordine ad vitam de morte transmigrantur. Tu.

Responsorium: Expurgate, *ut supra*.

Ad laudes

Antiphona: Angelus autem Domini, *et cetera*.

Graduale



Haec dies. **V.** Lapidem, quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli; a Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris.

Alleluia



Alleluia. **V.** Crucifixus surrexit a mortuis.

Ad Benedictus antiphona



Duodecim discipuli in Galilaea, videntes Dominum, adoraverunt, alleluia.

Oratio

Omnípotens, sempitérne Deus, qui paschále sacraméntum in reconciliatiónis humánæ fœdere contulísti: da méntibus nostris, ut quod professióne celebrámus, imitémur efféctu! Per.

Alia omnia, ut supra.

[Ad vesperas]*Ad Magnificat antiphona*

Data est mihi omnis potéstas in cælo et in terra, allelúia.

SABBATO

[ad matutinum]

Invitatorium: Surréxit Dóminus. **Psalmus:** Veníte. **Ad nocturnum antiphona:** Cognovérunt Dóminum. **Psalmi:** Dóminus regit me; Dómini est terra; Iúdica me, Deus, et. **Versiculus:** Surréxit Dóminus de sepúlcro, allelúia.

Secundum Ioannem

In illo témpore. Una sábbati, María Magdaléne venit mane, cum adhuc ténebræ essent, ad monuméntum, et vidit lápidem sublátum a monuménto. Et réliqua.

Homéliea beáti Gregórii Papæ.

Lectio I.

Léctio sancti evangéliei, quam modo audístis, fratres, valde in superfície históriæ est apérta, sed eius nobis sunt mystéria sub brevitate requirénda. “María Magdaléne, cum adhuc ténebræ essent, venit ad monuméntum.” Iuxta históriam notátur hora, iuxta intelléctum vero mýsticum requiréntis signátur intelligéntia. María enim auctórem ómnium, quem in carne viderat · mórtuum, quærébat in monuménto, et quia hunc mínime invénit, furátum crédidit. Tu.

Responsorium: Ecce, vicit leo.

Lectio II.

Adhuc ergo erant ténebræ, cum venit ad monuméntum. Cucúrrit cítius, discípulis nuntiávit. Sed illi præ céteris cucurrerunt, qui præ céteris amaverunt, videlicet Petrus et Ioánnes. Currébant autem duo simul, sed cucúrrit cítius Ioánnes, et venit prior ad monuméntum, et íngredi non præsumpsit. Venit ergo postérior Petrus, et intrávit. Tu autem.

Responsorium: Isti sunt Agni.

Lectio III.

Quid, fratres caríssimi, quid cursus iste signat? Numquid hæc tam subtilis evangélicæ descríptio a mystériis vacáre credénda est? Mínime. Neque enim se Ioánnes et præisse et non intrásse diceret, si in ipsa sua trepidatióne mystérium defuísse credidisset. Quid ergo per Ioánnem, qui prior venit ad monuméntum, et non intrávit, nisi

Synagóga? Quid per Petrum, nisi Ecclésia designátur? Nec mirum videátur esse, quod per iuniórem Synagóga, per seniórem vero Ecclésia perhibétur significári, quia et si ad Dei cultum prior est Synagóga, quam Ecclésia géntium, ad usum tamen sæculi prior est multitúdo géntium, quam synagóga. Paulo attéstante, qui ait: Quia non prius, quod spiritále est, sed quod animále. Per seniórem ergo Petrum significátur Ecclésia géntium. Per iuniórem Ioánnem synagóga Iudæórum. Tu.

Responsorium: De ore prudéntis. Te, Deum, laudámus.

Ad laudes

Antiphona: Angelus autem Dómini, *per ordinem, ut supra.*

Capitulum

Caríssimi. Deponéntes omnem malítiam · et omne dolum, et simulatiónes · et invidias · et omnes detractiões, sicut modo géniti infántes, rationábiles sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescátis in salútem! Deo.

Hymnus



Auróra lucis rútilat,
cælum láudibus íntonat,
mundus exsúltans iúbilat,
gemens inférnus úlulat.

Cum rex ille fortíssimus,
mortis confráctis víribus,
pede concúlcans tártara,
solvit a pœna míseros.

Ille, qui clausus lápide ·
custodítur sub mílite,
triúmphans pompa nóbili,
victor surgit de fúnere.

Solútis iam gemítibus ·
 et inférni dolóribus,
 quia surréxit Dóminus,
 respléndens clamat ángelus.

Tristes erant apóstoli
 de nece sui Dómini,
 quem pœna mortis crudéli
 servi damnárant ímpii.

Sermóne blando ángelus ·
 prædíxit muliéribus:
 In Galiléam Dóminus
 vidéndus est quantótius.

Illæ, dum pergunt cóncitæ ·
 apóstolis hoc dícere,
 vidéntes eum vívere,
 osculántur pedes Dómini.

Quo ágnito, discípuli
 in Galiléam própere ·
 pergunt, vidére fáciem
 desiderátam Dómini.

Claro pascháli gáudio
 sol mundo nitet rádio,
 cum Christum iam apóstoli ·
 visu cernunt corpóreo.

Osténsa sibi vúlnera ·
 in Christi carne fúlgida,
 resurrexisse Dóminum
 voce faténtur pública.

Rex Christe, clementíssime,
 tu corda nostra pósside,
 ut tibi laudes débitas ·
 reddámus omni témpore!

Qæsumus, Auctor ómnium,
 in hoc pascháli gáudio,
 ab omni mortis ímpetu ·
 tuum defénde pópulum!

Glória tibi, Dómine,
 qui surrexísti a mórtuis,
 cum Patre et Sancto Spírítu ·
 in sempitérna sáecula!



Amen.

Versiculus

V. In resurrectione tua, Christe, allelúia.

R. Cælum et terra læténtur, allelúia.

Ad Benedictus antiphona



Currébant duo simul, et ille álius discípulus præcúrrit cítius Petro, et venit prior ad monuméntum, allelúia.

Oratio

Concéde, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui festa paschália venerándo peréginus, per hoc contíngere ad gáudia ætérna mereámur. Per.

Ad primam

Hymnus: Iam lucis. Quæsumus, Auctor ómnium. Glória tibi, Dómine, qui surrexísti.

Antiphona: Angelus autem Dómini. **Psalmi:** Deus, in nómine; Beáti immaculáti; Retribue; Quicúmque.

Capitulum

Christus, resúrgens ex mórtuis, iam non móritur, mors illi ultra non dominábitur; quod enim mórtuus est peccáto, mórtuus est semel, quod autem vivit, vivit Deo. Deo.

Responsorium



Christe, Fili Dei vivi, miserere nobis, allelúia, allelúia! **V.** Qui surrexísti a mórtuis, miserere nobis, allelúia, allelúia! **G**lória Patri. **C**hriste, Fili Dei.

Versiculus: In resurrecióne tua. **Oratio:** Spíritum nobis, Dómine, *ut supra*. Dómine, sancte Pater omnipotens, *ut supra*. **Horæ Beatæ Virginis incipiuntur hac die, et cetera.**

Ad tertiam

Hymnus: Nunc, Sancte. Quæsumus. Glória tibi, Dómine. **Antiphona:** Erat autem. **Psalms:** Legem pone. **Capitulum:** Caríssimi, deponétes, *ut supra*.

Responsorium



Surréxit Dóminus de sepúlcro, allelúia, allelúia. **V.** Qui pro nobis pepéndit in ligno, allelúia.

Versiculus: Surréxit Dóminus. **Oratio, ut supra.**

Ad sextam

Hymnus: Rector potens. **Antiphona:** Præ timóre. **Psalms:** Defécit.

Capitulum

Caríssimi. Gustáte, quóniam dulcis est Dóminus, ad quem accedétes, lápidem vivum, ab homínibus quidem reprobátum, a Deo autem eléctum et honorificátum, et ipsi, tamquam lápides vivi, superædificámini domos spirítales, sacerdotium sanctum, offérre spirítales hóstias acceptábiles Deo per Iesum Christum. Deo.

Responsorium



Surréxit Dóminus vere, allelúia, allelúia. **V.** Et appáruit Simóni.

Versiculus: Surréxit Christus, et illúxit.

Ad nonam

Hymnus: Rerum Deus. **Antiphona:** Cito eúntes. **Psalmus:** Mirabília.

Capitulum

Caríssimi. Vos estis genus eléctum, regále sacerdotium, gens sancta, pópulus adquisitiónis, ut virtútes annuntiétis eius, qui de ténebris vos vocávit in admirábile lumen suum, qui aliquándo non pópulus, nunc autem pópulus Dei, qui non consecúti misericórdiam, nunc autem misericórdiam consecúti. Per Iesum Christum, Dóminum nostrum. Deo.

Responsorium



Surréxit Christus, et illúxit pópulo suo, allelúia, allelúia. **V.** Quem redémit ságuine suo, allelúia.

Versiculus: In resurrectiône tua.

IN OCTAVA PASCHÆ

ad vesp̄eras

Antiphona



Pax vobis, ego sum, allelúia; nolíte timére, allelúia! **Ps.** Benedictus.

Capitulum

Fratres. Expurgáte vetus ferméntum, ut sitis nova consp̄ersio, sicut estis ázymi; étenim pascha nostrum immolátus est, Christus. Deo.

Responsorium



Dum transisset sábbatum, María Magdaléne et María Iacóbi et Salóme emérunt arómata, # ut veniéntes, úngerent Iesum, allelúia, allelúia. **V.** Et valde mane una sabbatorum, véniunt ad monuméntum, orto iam sole. **Et.**

Hymnus



Chorus novæ Ierúsalem nova melli dulcédine · promat, colens cum sóbriis · paschále festum, gáudiis.

Quo Christus, invíctus leo
dracóne surgens óbruto,
dum voce viva p̄sonat,
a morte functos éxcitat.

Quam devorárat ímprobis,
prædam refúdit tártarus,
captivitáte líbera,
Iesum sequúntur ágmina.

Triúmphat ille spléndide
et dignus amplitúdine
soli políque pátriam ·
unam facit rem públicam.

Ipsum canéndo súpplīces ·
regem precémur mílites,
ut in suo claríssimo
nos órđinet palátio!

Per sáecla mente néscia
Patri suprémō glória,
honórque sit cum Fílio,
et Spírītu Paráclyto!



Amen.

Versiculus: Surréxit Dóminus de sepúlcro.

Ad Magnificat antiphona



María Magdaléne et María Iacóbi et Salóme sábbato quidem
siluérunt · secúndum mandátum in lege; cum autem transísset
sábbatum, eméntes arómata, venérunt úngere Iesum, allelúia,
allelúia.

Oratio: Deus, qui hodiérna die per Unigénitum, **ut supra in die Resurreccionis Domini.**

Ad completorium

Antiphona: Allelúia. **Psalmus:** Cum invocárem, **et cetera.** **Antiphona:** Allelúia, allelúia,
allelúia.

Hymnus



Ad cenam Agni próvidi, et stolis albis cándidi, post tránsitum maris rubri Christo canámus príncipi!

Cuius corpus sanctíssimum
in ara crucis tórridum ·
cruóre eius róseo
gustándo vívimus Deo!

Protécti paschæ vésperē
a devastánte ángelo,
erépti de duríssimo
Pharaónis império.

Iam pascha nostrum Christus est,
qui immolátus agnus est,
sinceritátis ázyna
caro eius obláta est.

O, vere digna hóstia,
per quam fracta sunt tártara,
redémpta plebs captiváta
redit ad vitæ præmia.

Cum surgit Christus túmulo,
victor redit de bárathro,
tyránnum trudens vínculo,
et réserans paradísium.

Quæsumus, auctor ómnium, **et cetera**. Glória tibi, Dómine, **ut supra**. **Capitulum**:
Christus, resúrgens ex mórtuis, **ut supra**. **Versiculus**: In resurrectione tua.

Ad Nunc dimittis antiphona



Allelúia. Resurrexit Dóminus, allelúia, sicut dixit vobis, allelúia,
allelúia.

Oratio: Spíritum nobis. **Oratio**: Deus, qui illúminas, **et cetera**. In matutinis
Invitatorium, antíphonæ, psalmi, versiculus, homelia, responsoria, laudes, sicut in die

Resurrectionis Domini. Capitulum: Expurgáte vetus. **Hymnus:** Auróra lucis. **Versiculus:** In resurrectione tua. **Ad Benedictus antiphona:** Et valde mane, **ut supra.** **Oratio:** Deus, qui hodiérna die per Unigénitum, **ut supra.** **Cum sola collecta.**

ezt hogyan kellene formázni?

Ad primam

Hymnus: Iam lucis. Quæsumus, Auctor. Glória tibi. **Antiphona:** Angelus autem Dómini. **Psalmi:** Deus, in nómine; Confitémini. Beáti immaculáti; Retribue; Quicúmque vult. **Capitulum:** Christus, resúrgens. **Responsorium:** Iesu Christe, Fili, **et cetera.** **V.** Qui surrexísti. **Oratio:** Spíritum nobis; Dómine, Sancte Pater.

Ad tertiam

Hymnus: Nunc, Sancte. **Antiphona:** Erat autem. **Psalmus:** Legem pone. **Capitulum:** Expurgáte. **Responsorium:** Surréxit Dóminus de, **ut supra, in sabbato præcedenti.** **Oratio:** Deus, qui hodiérna, **ut supra.**

Ad sextam

Antiphona: Præ timóre. **Psalmus:** Defécit.

Capitulum

Fratres. Itaque epulémur, non in ferménto véteri, neque in ferménto malítiæ et nequitiæ, sed in ázymis sinceritátis et veritátis! Deo.

Responsorium: Surréxit Dóminus vere. **Cetera, ut supra.**

Ad nonam

Antiphona: Cito eúntes. **Psalmus:** Mirabília. **Capitulum:** Fratres. Itaque epulémur, **ut supra.** **Responsorium:** Surréxit Christus, et illúxit pópulo suo, **ut supra.**

Ad secundas vesperas

Antiphona: Angelus autem Dómini. **Psalmus:** Dixit Dóminus, **per ordinem.**
Capitulum: Expurgáte vetus, **ut supra.**

Responsorium



Surréxit Dóminus de sepúlcro, allelúia, allelúia. **V.** Qui pro nobis pepéndit in ligno, allelúia.

Hymnus: Chorus novæ. **Versiculus:** Surréxit Dóminus.

Ad Magnificat antiphona



Et dicébant ad ínvicem: Quis revólvet nobis lápidem ab óstio monuménti, allelúia?

Oratio: Deus, qui hodiérna die per Unigénitum, **ut supra.**

Ad completorium

Sicut heri, sed antiphona ad Nunc dimíttis dícitur:



Allelúia. Resurréxit Dóminus, allelúia, sicut dixit vobis, allelúia, allelúia.

Dominica prima imponitur feria secunda. Et sic de aliis dominicis, usque ad Ascensionem Domini. Sequitur:

FERIA SECUNDA

Invitatorium



Allelúia, allelúia, allelúia. **Ps.** Veníte.

Ad nocturnum antiphona: Cognóverunt Dóminum. **Psalmi:** Dóminus, illuminatio mea; Ad te, Dómine, clamávi; Afférte Dómino.

Versiculus

V. Quem quæris, múlter, allelúia?

R. Vivéntem cum mórtuis, allelúia.

Secundum Ioannem

In illo témpore. Cum esset sero die illo una sabbatórum, et fores essent clausæ, ubi erant discípuli congregáti propter metum Iudæórum, venit Iesus, et stetit in médio, et dicit eis: Pax vobis! Et réliqua.

Homélia beáti Gregórii papæ.

Lectio I.

Prima lectiónis evangélice quéstio ánimum pulsat: Quómodo post resurrectiónem corpus domínicum verum fuit, quod clausis iánuis ad discípulos íngredi pótuit? Sed sciéndum nobis est, quod divína operátio, si ratiónem comprehénditur, non est admirábilis, nec fides habet méritum, cui humana rátió præbet experiméntum. Sed hæc ipsa nostri Redemptóris ópera, quæ ex semetípsis comprehénderi nequáquam possunt, ex ália eius operatióne pensánda sunt, ut rebus mirábilibus fidem præbeat facta mirabilióra. Tu.

Responsorium



Dignus es, Dómine, accípere librum, et aperíre signáculum eius; quóniam occísus es, et redemísti nos # in sángvine tuo, allelúia. V. Parce, Dómine, parce pópulo tuo, quem redemísti, Christe. **In** sángvine.

Lectio II.

Illud enim corpus Dómini intrávit ad discipulos iánuis clausis, quod videlicet ad humános óculos · per nativitatē suam clauso éxiit útero Vírginis. Quid enim mirum est, si clausis iánuis post resurrectionem suam in ætérnum iam victúrus intrávit, qui moritúrus véniens, non apérto Vírginis útero exívit? Sed quia ad illud corpus, quod vidéri póterat fides intuéntium, dubitábat, osténdit eis prótinus manus et latus. Palpándam carnem præbuit, quam iánuis clausis introdúxit. Tu.

Responsorium

Ego, sicut vitis, fructicávi suavitatē odóris, allelúia. # Transíte ad me omnes, qui concupíscitis me, et a generatióibus meis adimplémini, allelúia, allelúia. **V.** Ego diligéntes me díligo, et qui mane vigiláverint ad me, invénient me. **T**ransíte.

Lectio III.

Qua in re duo mira, et iuxta humánam ratiónem sibi valde contrária osténdit, dum post resurrectionem corpus suum et incorruptíbile et tamen palpábile demonstrávit. Nam et corrúmpi necesse est, quod palpátur, et palpári non potest, quod non corrúmpitur. Sed miro modo atque inæstimábili Redémptor noster et incorruptíbile post resurrectionem suam · et palpábile corpus exhibuit, ut monstrándo incorruptíbile invitáret ad præmium, præbendo palpábile formáret ad fidem. Et incorruptíbilem se ergo et palpábilem demonstrávit, ut profécto esse post resurrectionem osténderet corpus suum et eíusdem natúræ, et altérius glóriæ. Tu.

Responsorium

Audívi vocem in cælo, tamquam vocem tonítrui magni, allelúia. # Regnábit Deus noster in ætérnum, allelúia, quia facta est salus et virtus et potéstas Christi eius, allelúia, allelúia. **V.** Vidi ángelum Dei, volántem per médium cæli, voce magna clamántem et dicéntem: **R**egnábit.

Te, Deum, laudámus **dícitur**.

Ad laudes

Antiphona



Gavisi sunt discípuli, allelúia, viso Dómino, allelúia. **Ps.** Dóminus regnávít, cum ceteris.

Capitulum

Caríssimi. Omne, quod natum est ex Deo, vincit mundum, et hæc victória, quæ vincit mundum, fides nostra. Deo.

Hymnus: Auróra lucis. **Versiculus:** In resurrectione tua.

Ad Benedictus antiphona



Cum esset sero die illa sabbatórum, et fores essent clausæ, ubi erant discípuli congregáti, stetit Iesus in médio, et dixit eis: Pax vobis, allelúia.

Oratio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut qui festa paschália perégimus, hæc te largiënte, móribus et vita teneámus.

Sequuntur suffragia primo de resurrectione Domini:

Antiphona



Surréxit Dóminus de sepúlcro, qui pro nobis pepéndit in ligno, allelúia.

Versiculus

V. Surréxit Dóminus vere, allelúia.

R. Et apparuit Simóni.

Oratio: Deus, qui per Unigénitum tuum æternitátis, **ut supra.**

De sancta cruce antiphona



Crucem sanctam súbiit, ac inférnum confrégit; accínctus est poténtia, surréxit die tértia, allelúia, allelúia, allelúia.

Versiculus

V. Dícite in natió nibus, allelúia!

R. Quia Dóminus regnávit a ligno.

Oratio

Deus, qui pro nobis sanctam crucem ascendísti, et mundi ténebras illuminásti, tu corda et córpora nostra · per virtútem eiúsdem sanctæ crucis · illumináre, visitáre dignáre. Per.

De sanctis Petro et Paulo antiphona



Fulgébunt iusti, sicut sol, in regno Patris eórum, allelúia.

Versiculus: In omnem terram.

Oratio

Prótege, Dómine, pópulum tuum, et apostolórum tuórum Petri et Pauli patrocínio confidéntem · perpétua defénsi óne consérva! Per.

De sancto Adalberto antiphona



Beátus vir, qui invéntus est sine mácula, allelúia, et operátus est iustítiam, allelúia.

Versiculus: Glória et honóre. **Oratio:** Deus, qui beátum Adalbértum martyrem, **et cetera.**

De omnibus sanctis antiphona

In caeléstibus regnis sanctórum habitátio est, allelúia, et in aetérnum réquies eórum, allelúia.

Versiculus: Gaudéte in Dómino. *R.* Rectos decet.

Oratio

Consérva, quáesumus, Dómine, sperántes in te, et éffice voluntátem tuam in nobis, ut clarificáti, lætítia resurrectiόνis filii tui, Dómini nostri Iesu Christi mereámur a dextris tuis cum ómnibus sanctis delectári.

De pace antiphona: Da pacem, Dómine, *et cetera.*

Ad primam

Hymnus: Iam lucis. Quáesumus, Auctor. Glória tibi, Dómine.

Antiphona

Surgens Iesus mane prima sábbati, appáruit primo Mariæ Magdaléne, de qua eícerat septem dæmónia, allelúia. *Ps.* Deus, in nómine, **cum ceteris.**

Capitulum: Christus, resúrgens. *Responsorium:* Christe, Fili. *V.* Qui surrexisti. *Nota,* ista oratio dicitur solum diebus ferialibus ad primam et ad completorium:

Oratio

Præsta, quáesumus, omnípotens et miséricors Deus, ut in resurrectiόνé Fílii tui, Dómini nostri, Iesu Christi, percipiámus veráciter portiómem.

Dómine, Sancte Pater.

Ad tertiam

Antiphona



Iesum, qui crucifixus est, quæritis, allelúia? Non est hic, surrexit enim, sicut dixit vobis, allelúia. **Ps.** Legem pone.

Capitulum: Caríssimi. Omne, quod natum, **ut supra.**

Responsorium



Quem quæris, múlter, allelúia, allelúia. **V.** Vivéntem cum mórtuis? Allelúia.

Versiculus: Tulérunt Dóminum. **Oratio, ut supra.**

Ad sextam

Antiphona



In Galilæa Iesum vidébitis, sicut dixit vobis, allelúia. **Ps.** Defécit.

Capitulum

Caríssimi. Quis est, qui vincit mundum, nisi qui credit, quóniam Iesus est Fílius Dei; hic est enim, qui venit per aquam et sánguinem, Iesus Christus, non in aqua solum, sed in aqua et sángvine. Deo.

Responsorium



Tulérunt Dóminum meum, allelúia, allelúia. **V.** Et nésco, ubi posuérunt eum. **Allelúia.**

Versiculus: Noli flere, María. **Oratio, ut supra.**

Ad nonam

Antiphona: Cito eúntes, **ut supra.** **Psalmus:** Mirabília.

Capitulum

Caríssimi. Si testimónium hóminum accípimus, testimónium Dei maius est, quóniam hoc est testimónium Dei, quod maius est, quia testificátus est de Fílio suo; qui credit in Fílium Dei, habet testimónium Dei in se. Deo.

Responsorium



Noli flere María, allelúia, allelúia! **V.** Surréxit Dóminus. **Allelúia.**

Versiculus: In resurrectione tua.

Ad secundas vesperas

Antiphona: Pax vobis. **Psalmus:** Diléxi, quóniam. **Capitulum:** Caríssimi. Omne, quod natum. **Responsorium non dicitur.** **Hymnus:** Chorus novæ. **Versiculus:** Mane nobíscum.

Ad Magnificat antiphona



Thomas, qui dícitur Dídymus, non erat cum eis, quando venit Iesus; dixerunt álii discípuli: Vídimus Dóminum, allelúia.

Oratio: Præsta, quæsumus, **ut supra.** **Suffragia per totum, ut supra.** **Completorium, ut alias.**

FERIA TERTIA

[ad matutinum]

Invitorium



Allelúia. Ps. Veníte.

Ad nocturnum antiphona: Cognovérunt. Psalmi: Dixi, custódiam; Exspéctans; Beátus, qui intélligit. Versiculus: Quem quæris.

Lectio I.

Apocalýpsis Iesu Christi, quam dedit illi Deus palam fácere servis suis, quæ opórtet fieri cito, et significávit, mittens per ángelum suum servo suo Ioánni, qui testimónium perhibuit verbo Dei, et testimónium Iesu Christi, quæcúmque vidit. Beátus, qui legit et audit verba prophétiae huius, et servat ea, quæ in ea scripta sunt, tempus enim prope est. Tu.

Responsorium



Locútus est ad me unus de septem ángelis, dicens: Veni, osténdam tibi novam nuptam, sponsam Agni. # Et vidi Ierúsalem, descendéntem de cælo, ornátam monílibus suis, allelúia, allelúia. V. Et sústulit me in spíritu in montem magnum et altum. Et vidi.

Lectio II.

Ioánnes septem ecclésiis, quæ sunt in Asia; grátia vobis et pax ab eo, qui est, et qui erat, et qui ventúrus est, et a septem spirítibus, qui in conspéctu throni eius sunt, et a Iesu Christo, qui est testis fidélis, primogénitus mortuórum, et princeps regum terræ. Qui diléxit nos, et lavit nos a peccátis nostris in ságuine suo, et fecit nos regnum et sacerdotés Deo et Patri suo. Ipsi glória et impérium in sácula sæculórum, amen. Tu.

Responsorium



Audívi vocem de cælo, angelórum multórum, dicéntium: # Timéte Dóminum, et date claritátem illi, et adoráte eum, qui fecit cælum et terram, mare et fontes aquárum, allelúia, allelúia! **V.** Vidi ángelum Dei, volántem per médium cæli, voce magna clamántem et dicéntem: **T**iméte.

Lectio III.

Ecce, venit cum núbibus, et vidébit eum omnis óculus, et qui eum pupugérunt, et plangent se super eum omnes tribus terræ, étiam, amen. Ego sum alpha et o, princípium et finis, dicit Dóminus Deus, qui est, et qui erat, et qui ventúrus est, omnípotens. Ego Ioánnes, frater vester et párticeps in tribulatióne et regno et patiéntia in Iesu Christo; fui in ínsula, quæ vocátur Pathmos, propter verbum Dei et testimónium Iesu. Tu.

Responsorium



Decantábat pópulus in Israel, allelúia, et univérsa multitúdo Iacob canébat legítimè, # et David cum cantóribus cítharam percutiébat in domo Dómini, et laudes Deo canébat, allelúia, allelúia. **V.** Móyses et Aaron in sacerdotibus eius, et Sámuel inter eos. **Et.**

Ad laudes

Antiphona: Gavísi sunt. **Psalmus:** Dóminus regnávít. **Capitulum:** Omne, quod natum.

Hymnus: Auróra lucis. **Versiculus:** In resurrectiÓne tua.

Ad Benedictus antiphona



Post dies octo, iánuis clausis ingrèssus est Dóminus, et dixit eis: Pax vobis, allelúia, allelúia!

Oratio: Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, **ut supra.** **Suffragia fiant per ordinem, ut supra.** **Ad horas diei, ut heri, per totum.**

Ad secundas vesperas

Antiphona: Pax vobis. **Psalmus:** Lætátus. **Cetera, ut supra.**

Ad Magnificat antiphona



Mitte manum tuam, et cognósce loca clavórum, allelúia, et noli esse incrédulus, sed fidélis, allelúia, allelúia!

Oratio, ut supra, cum aliis suffragiis.

FERIA QUARTA

[ad matutinum]

Invitatorium: Allelúia. **Psalmus:** Veníte. **Ad nocturnum antiphona:** Cognóverunt Dóminum. **Psalmi:** Dixit insípiens; Exáudi, Deus; Míserére mei, Deus, quóniam. **Versiculus:** Quem quæris.

Lectio I.

Fui in spírítu in die domínica, et audívi post me vocem magnam, tamquam tubæ dicéntis: Quod vides, scribe in libro, et mitte septem ecclésiis, quæ sunt in Asia: Ephesum, Smyrnam · et Pérgamum · et Thyatíram · et Sardis · et Philadélphiam · et Laodíciam! (ez a mi újszövetségünkben mind abl-ban van!) Et convérsus sum, ut vidérem vocem, quæ loquebátur mecum, et convérsus, vidi septem candelábra áurea, et in médio septem candelabrórum aureórum símilem Fílio hóminis, vestítum podére, et præcinctum ad mamíllas zona áurea. Tu.

Responsorium



Vidi Ierúsalem, descendéntem de cælo, ornátam auro mundo, et lapídidibus prætiósis intéxtam, # allelúia. **V.** Abíntus in fímbriis áureis circumamícta varietáte. **Allelúia.**

Lectio II.

Caput autem eius et capílli erant cándidi, tamquam lana alba, et tamquam nix, et óculi eius, velut flamma ignis, et pedes eius símiles aurichálco, sicut in camíno ardénti, et vox illíus, tamquam vox aquárum multárum, et habébat in déxtera sua stellas septem, et de ore eius gládius ex utráque parte acútus exíbat, et fácies eius, sicut sol, lucet in virtúte sua. Tu.

Responsorium



Hæc est Ierúsalem, cívitas magna cæléstis, ornáta, tamquam sponsa Agni, # quóniam tabernáculum facta est, allelúia. **V.** Vidi civitátem

sanctam, Ierúsalem, descendéntem de cælo a Deo, tamquam sponsam ornátam viro suo. **Q**uóniam.

Lectio III.

Et cum vidíssem eum, cécidi ad pedes eius, tamquam mórtuus. Et pósuit dexteram suam super me, dicens: Noli timére, ego sum primus et novíssimus, et fui mórtuus, et ecce, sum vivens in sácula sæculórum, et hábeo claves mortis et inférni. Scribe ergo, quæ vidísti, et quæ sunt, et quæ opórtet fieri post hæc! Sacraméntum septem stellárum, quas vidísti in dextera mea, et septem candelábra áurea, septem stellæ · ángeli sunt septem ecclesiárum, et candelábra septem · septem ecclésiæ sunt. Tu.

Responsorium



Vidi portam civitátis ad oriéntem pósitam, et apostolórum nómina et agni super eam scripta, # et super muros eius angelórum custódia, allelúia. **V.** Vidi civitátem sanctam, Ierúsalem, descendéntem de cælo a Deo, tamquam sponsam ornátam viro suo. **E**t.

Ad laudes

Antiphona: Gavísi sunt. **Cetera, ut supra.**

Ad secundas vespas

Antiphona: Pax vobis. **Psalmus:** Nisi Dóminus aedificáverit, **et cetera.**

Ad Magnificat antiphona



Quia vidísti me, Thoma, credidísti; beáti, qui non vidérunt, et credidérunt.

Cetera, ut supra.

FERIA QUINTA

[ad matutinum]

Invitatorium: Allelúia. **Psalmus:** Veníte. **Ad nocturnum antiphona:** Cognovérunt Dóminum. **Psalmi:** Salvum me fac; Deus, in adiutórium; In te, Dómine, sperávi. **Versiculus:** Quem quæris.

Lectio I.

Et ángelo Ephesi ecclésiæ scribe: Hæc dicit, qui tenet septem stellas in dextera sua, qui ámbulant in médio septem candelabrórum aureórum: Scio ópera tua et labórem et patiéntiam tuam, et quia non potes sustinére malos, et tentásti eos, qui se dicunt apóstolos esse, et non sunt, et invenísti eos mendáces, et patiéntiam habes, et sustinuísti propter nomen meum, et non defecísti. Tu.

Responsorium



In diadémate cápitis Aaron lápides prætiósi fulgébant, # dum perficerétur opus Dei, allelúia, allelúia. **V.** Coróna áurea super caput eius, expréssa signo sanctitátis. **Dum.**

Lectio II.

Sed hábeo advérsus te pauca, quod caritátem tuam primam reliquísti. Memor esto, unde excíderis, et age pæniténtiam, et prima ópera fac! Sin autem · vénio tibi, et movébo candelábrum tuum de loco suo, nisi pæniténtiam égeris. Sed hoc habes bonum, quia odísti facta Nicolaitárum, quæ et ego odi. Qui habet aures audiéndi, áudiat, quid spíritus dicat ecclésiis! Vincénti dabo édere de ligno vitæ, quod est in paradíso Dei mei. Tu.

Responsorium



Platæa tuæ, Ierúsalem, sternúntur auro mundo, allelúia, et cantábitur in te cánticum lætitiæ, allelúia, # et per omnes vicos tuos ab univérsis dicétur, allelúia, allelúia. **V.** Quóniam confortávit seras portárum tuárum, benedíxit filiis tuis in te. **Et.**

Lectio III.

Et ángelo Smyrnæ ecclésiæ scribe: Hæc dicit primus et novíssimus, qui fuit mórtuus, et vivit. Scio tribulatióem tuam et paupertátem tuam, sed dives es, et blasphemáris ab his, qui se dicunt Iudæos esse, et non sunt, sed sunt synagóga sátanæ. Nihil horum tímeas, quæ passúrus es. Ecce, missúrus est diábolus ex vobis in cárcerem, ut tentémini, et habebétis tribulatióem decem diébus. Esto fidélis usque ad mortem, et dabo tibi corónam vitæ. Qui habet aures, áudiat, quid spíritus dicat ecclésiis: Qui vícerit, non lædétur a morte secúnda. Tu.

Responsorium

Véniens a Líbano, quam pulchra facta est, allelúia, # et odor vestimentórum eius super ómnia arómata, allelúia, allelúia. **V.** Speciósá facta es et suávis in delíciis tuis. **Et.**

Ad laudes

Antiphona: Gavísi sunt, **ut supra.**

Ad secundas vesperas

Antiphona: Pax vobis. **Psalmus:** Meménto. **Cetera, ut supra.**

Ad Magnificat antiphona

Multa quidem et ália signa fecit Iesus in conspéctu discipulórum suórum, allelúia; quæ non sunt sripta in libro hoc, allelúia.

Oratio et cetera, ut supra.

FERIA SEXTA

[ad matutinum]

Invitatorium: Allelúia. **Psalmus:** Veníte. **Ad nocturnum antiphona:** Cognovérunt Dóminum. **Psalmi:** Exsultáte Deo; Deus stetit; Deus, quis símilis. **Versiculus:** Quem quæris.

Lectio I.

Et ángelo Pérgami ecclésiæ scribe: Hæc dicit, qui habet rhomphéam utrâque parte acútam. Scio, ubi hábitas, ubi sedes est sátanæ, et tenes nomen meum, et non negásti fidem meam. Et in diébus illis Antípas testis meus fidélis, qui occísus est apud vos, ubi sátanas hábitat. Sed hábeo advérsus te pauca. Habes illic tenéntes doctrínam Bálaam, qui docébat Balac mittere scándalum coram fíliis Israel, édere et fornicári, ita habes et tu, tenéntes doctrínam Nicolaitárum. Tu.

Responsorium



Vidi civitátem Ierúsalem, ornátam et compositam de oratióibus sanctórum, # et ibi cantant martýres sancti cánticum novum, allelúia. **V.** Magnus Dóminus et laudábilis nimis, in civitáte Dei nostri, in monte sancto eius. **Et** ibi cantant.

Lectio II.

Simíliter pæniténtiam age! Si quo minus véniam tibi cito, et pugnábo cum illis in gládio oris mei. Qui habet aures, áudiat, quid spíritus dicat ecclésiis! Vincéti dabo ei manna absconditum, et dabo illi cálculum cándidum, et in cálculo nomen novum scriptum, quod nemo scit, nisi, qui áccipit. Tu.

Responsorium



Cándidi facti sunt nazaræi eius, allelúia, splendórem Deo dedérunt, allelúia, # et sicut lac, coaguláti sunt, allelúia, allelúia. **V.** In omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum. **Et.**

Lectio III.

Et ángelo Thyatíræ ecclésiæ scribe: Hæc dicit Fílius Dei. Qui habet óculos, tamquam flammam ignis, et pedes eius símiles aurichálco. Novi ópera tua · et caritátem · et fidem et mystérium, et patiéntiam tuam et ópera tua novíssima plura prióribus. Sed hábeo advérsus te pauca, quia permíttis mulierem Iézabel, quæ se dicit prophétas docére, et sedúcere servos meos · fornicári et manducáre de idolóthytis. Et dedi illi tempus, ut pæniténtiam ágeret, et non vult pænitéri a fornicatióne sua. Et ecce, mitto eam in lectum, et omnes, qui mœchántur cum ea, in tribulatióne máxima erunt, nisi pæniténtiam égerint ab opéribus suis, et filios eius interfíciam in mortem, et scient omnes ecclésiæ, quia ego sum scrutans renes et corda. Et dabo unicuíqué secúndum ópera sua. Tu.

Responsorium

Docéte filios vestros, allelúia, ut memoríter téneant, allelúia, # et ore decántent, allelúia, allelúia. **V.** Fílii, qui nascéntur, exsúrgent et narrent ea fíliis suis. **Et** ore decántent.

Ad laudes

Antiphona: Gavísi sunt, **ut supra.**

Ad secundas vesperas

Antiphona: Pax vobis. **Psalmus:** Confitébor, **et cetera.**

Ad Magnificat antiphona

Hæc autem scripta sunt, ut credátis, quia Iesus est Christus, Fílius Dei, et ut credéntes, vitam habeátis in nómine eius, allelúia.

Alia supra.

SABBATO

[ad matutinum]

Invitatorium: Allelúia. **Psalmus:** Veníte. **Ad nocturnum antiphona:** Cognóverunt Dóminum. **Psalmi:** Cantáte; Dóminus regnávit, irascántur. **Psalmus:** Iubiláte Deo. **Versiculus:** Quem quæris.

Lectio I.

Vobis autem dico, et céteris, qui Thyatíræ estis: Quicúmque non habent doctrínam hanc, et qui non cognóverunt altitúdinem sátanæ, quemádmódu dicunt, non mittam super vos áliud pondus, tamen id, quod habétis, tenéte, donec véniam. Qui vícerit, et qui custodíerit usque in finem ópera mea, dabo illi potestátem super gentes, et reget illas in virga férrea, et tamquam vas fíguli, confringéntur. Sicut et ego accépi a Patre meo, et dabo illi stellam matutínam. Qui habet aures, áudiat, quid Spíritus dicat ecclésiis! Tu.

Responsorium: Dignus es, Dómine, **ut supra.**

Lectio II.

Et ángelo Sardis ecclésiæ. Hæc dicit, qui habet septem spíritus Dei, et septem stellas: Scio ópera tua, quia nomen habes, quod vivas et mórtuus es. Esto vígilans, et confírma cétera, quæ moritúra erant. Non enim invénio ópera tua plena coram Deo meo. In mente ergo habe, quáliter accéperis, et audiéris, et serva, et pæniténtiam age! Tu.

Responsorium: Ego, sicut vitis.

Lectio III.

Si ergo non vigiláveris, véniam ad te, tamquam fur, et nésces, qua hora véniam ad te. Sed habes pauca nómina in Sardis, qui non coinquináverunt vestiménta sua, et ambulábunt mecum in albis, quia digni sunt. Qui vícerit sic, vestiétur vestiméntis albis, et non delébo nomen eius de libro vitæ, et confitébor nomen eius coram Patre meo, et coram ángelis eius. Qui habet aures, áudiat, quid Spíritus dicat ecclésiis! Tu.

Responsorium: Audívi vocem.

Ad laudes

Antiphona: Gavisi sunt, **ut supra.**

DOMINICA SECUNDA POST PASCHA

ad vesperas

Antiphona: Pax vobis. **Psalmus:** Benedíctus. **Capitulum:** Expurgáte. **Responsorium:** Dum transisset sábbatum. **Hymnus:** Chorus novæ Ierúsalem. **Versiculus:** Surréxit Dóminus de sepúlcro, allelúia. **Ad Magnificat antiphona:** María Magdaléne. **Oratio:** Deus, qui hodiérna die per Unigénitum, ut supra. **Cetera omnia, ut in octava resurrectionis Domini.**

FERIA SECUNDA

ad matutinum

Invitatorium: Allelúia. **Psalmus:** Veníte. **Ad nocturnum antiphona:** Cognóverunt Dóminum. **Psalmi:** Exaltábo te, Dómine; In te, Dómine; Beáti, quorum. **Versiculus:** Quem quæris.

Secundum Ioannem

In illo témpore. Dixit Iesus discípulis suis: Ego sum pastor bonus. Bonus pastor ánimam suam ponit pro óvibus suis. Et réliqua.

Homélia beáti Gregórii papæ.

Lectio I.

Audístis, fratres caríssimi, ex lectione evangélica eruditióne vestram, audístis ex lectione evangélica periculum vestrum. Ecce enim is, qui non ex accidénti dono, sed essentialiter bonus est, dicit: Ego sum pastor bonus. Atque eiúsdem bonitátis formam, quam nos imitémur, adiúngit, dicens: Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis, fecit, quod mónuit, osténdit, quod iussit. Pastor bonus ánimam suam pro óvibus suis pósuit, ut in sacraménto nostro corpus suum et sánguinem vértet, et oves, quas redémerat, carnis suæ aliménto satiáret. Tu.

Responsorium: Dignus es, Dómine, **ut supra.**

Lectio II.

Osténsa nobis est de contéptu mortis via, quam séquimur, appósita forma, cui imprimámur. Primum nobis est exterióra nostra misericórditer óvibus eius impéndere. Postrémum vero, si necesse sit étiam mortem nostram pro eisdem óvibus ministráre. A primo autem hoc mínimo pervénitur, ad postrémum maius. Sed cum incomparábiliter longe sit ánima, quam vívimus, mélior a terréna substántia, quam extérius possidémus, qui non dat pro óvibus substántiam suam, quando pro his datúrus est ánimam suam. Tu.

Responsorium: Ego, sicut.

Lectio III.

Et sunt nonnúlli, qui dum plus substántiam terrénam, quam oves díligunt, méritum pastóris perdunt. De quibus prótinus súbditur:

“Mercennarius autem, et qui non est pastor, cuius non sunt oves propriae, videt lupum venientem, et dimittit oves et fugit.” Non pastor, sed mercennarius vocatur, qui non pro amore intimo oves dominicas, sed ad temporales mercedes pascit. Mercennarius quippe est, qui locum quidem pastoris tenet, sed lucra animam non quaerit, terrenis commodis inhiat, honore praelationis gaudet, temporalibus lucris pascitur, impensa sibi ab hominibus reverentia laetatur. Tu.

Responsorium: Audivi vocem.

Ad laudes

Antiphona: Gavisi sunt, *ut supra*.

Capitulum

Carissimi. Christus passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius. Deo.

Hymnus: Aurora lucis. **Versiculus:** In resurrectione.

Ad Benedictus antiphona



Ego sum pastor omnium, ego sum via et veritas, ego sum pastor bonus, et cognosco meas, et cognoscunt me meae, alleluia, alleluia.

Oratio

Deus, qui in Filii tui humilitate iacentem mundum crexisti: fidelibus tuis perpetuam concede laetitiam, ut quos perpetuae mortis eripuisti casibus, gaudiis facias sempiternis perfrui! Per.

Suffragia fiant, ut supra.

Ad primam

Hymnus: Iam lucis. **Antiphona:** Surgens Iesus, ut supra.

Ad sextam

Capitulum

Caríssimi. Christus, cum maledicerétur, non maledicébat, cum paterétur, non comminabátur, tradébat autem iudicánti se iniúste, qui peccáta nostra ipse pértulit in córpore suo super lignum, ut peccátis mórtui, iustítiae vivámus, cuius livóre sanáti estis. Deo.

Responsorium, ut supra.

Ad nonam

Capitulum

Caríssimi. Erátis, sicut oves, errántes, sed convérsi estis nunc ad pastórem et episcopum animárum vestrárum. Deo.

Ad secundas vesperas

Antiphona: Pax vobis. **Psalmus:** Diléxi, quóniam. **Capitulum:** Caríssimi. Christus passus.

Ad Magnificat antiphona



Pastor bonus ánimam suam ponit pro óvibus suis, allelúia.

Oratio, ut supra, cum suffragiis.

FERIA TERTIA

[ad matutinum]

Invitatorium: Allelúia. **Psalmus:** Veníte. **Ad nocturnum antiphona:** Cognóverunt. **Psalmus:** Quemádmodum; Deus, áuribus; Eructávit. **Versiculus:** Quem quæris.

Lectio I.

Post hæc vidi quáttuor ángelos, stantes super quáttuor ángulos terræ, tenéntes quáttuor ventos terræ, ne flarent super terram, neque super mare, neque in ullam arbórem. Et vidi álterum ángelum, ascendéntem ab ortu solis, habéntem signum Dei vivi. Et clamávit voce magna quáttuor ángelis, quibus datum est nocére terræ et mari, dicens: Nolíte nocére terræ et mari, neque arbóribus, quoadúsque signémus servos Dei nostri in fróntibus eórum! Tu.

Responsorium: Locútus est ad me.

Lectio II.

Et audívi númerum signatórum, centum quadragínta quáttuor mília signáti, ex omni tribu filiórum Israel. Ex tribu Iuda duódecim mília signáti. Ex tribu Ruben duódecim mília signáti. Ex tribu Gad duódecim mília signáti. Ex tribu Aser duódecim mília signáti. Ex tribu Néphtalim duódecim mília signáti. Ex tribu Manásse duódecim mília signáti. Ex tribu Símeon duódecim mília signáti. Ex tribu Levi duódecim mília signáti. Ex tribu Issachar duódecim mília signáti. Ex tribu Zábulon duódecim mília signáti. Ex tribu Ioseph duódecim mília signáti. Ex tribu Béniamin duódecim mília signáti. Tu autem.

Responsorium: Audívi vocem.

Lectio III.

Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumeráre nemo póterat, ex ómnibus géntibus et tribubus et pópulis et linguis, stantes ante thronum in conspéctu Agni, amícti stolis albis, et palmæ in mánibus eórum. Et clamábant voce magna, dicéntes: Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, et Agno. Et omnes ángeli stabant in circúitu throni et seniórum et quáttuor animálium, et cecidérunt in conspéctu throni in fácies suas, et adoravérunt Deum, dicéntes amen.

Benedíctio et cláritas et sapiéntia et gratiárum áctio, honor, virtus et fortitúdo Deo nostro · in sæcula sæculórum, amen. Tu.

Responsorium: Decantábat.

Ad laudes

Antiphona: Gavísi sunt, **ut supra.**

Ad secundas vesperas

Antiphona: Pax vobis. **Psalmus:** Lætátus, **et cetera.**

Ad Magnificat antiphona



Mercennárius est, cuius non sunt oves própriae, videt lupum veniéntem, et dimíttit oves, et fugit, et lupus rapit, et dispérgit oves, allelúia.

Oratio, ut supra.

FERIA QUARTA

[ad matutinum]

Invitatorium: Allelúia. **Psalmus:** Veníte. **Ad nocturnum antiphona:** Cognóverunt. **Psalmi:** Miserére mei, Deus, miserére mei; Si vere útique; Eripe me. **Versiculus:** Quem quæris.

Lectio I.

Et respóndit unus de senióribus, dicens mihi: Hi, qui amícti sunt stolis albis, qui sunt, et unde venérunt? Et dixi illi: Dómine mi, tu scis. Et dixit mihi: Hi sunt, qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas, et dealbavérunt eas in sángine Agni. Ideo sunt ante thronum Dei, et sérviant ei die ac nocte in templo eius. Et qui sedet in throno, hábitat (habitábit in the Bible) super illos. Tu.

Responsorium: Vidi Ierúsalem, *ut supra*.

Lectio II.

Et cum aperúisset signáculum séptimum, factum est siléntium in cælo, quasi média hora. Et vidi septem ángelos, stantes in conspéctu Dei, et datæ sunt illis septem tubæ. Et ángelus álius venit, et stetit ante altáre áureum, habens thuríbulum áureum. Et data sunt illi incénsa multa, quæ sunt oratiónes sanctórum, ut daret de oratióibus sanctórum ómnium super altáre áureum, quod est ante thronum in conspéctu Dei. Tu.

Responsorium: Hæc est Ierúsalem.

Lectio III.

Et ascéndit fumus incensórum de oratióibus sanctórum de manu ángeli coram Deo. Et accépit ángelus thuríbulum áureum, et implévit illud de igne altáris, et misit in terram. Et facta sunt tonítrua et voces et fúlgura, et terræmótus magnus. Et septem ángeli, qui habébant septem tubas, paravérunt (præparavérunt a mostani bibliákban) se, ut tuba cánerent. Tu.

Responsorium: Vidi portam civitátis.

Ad laudes

Antiphona: Gavísi sunt, **ut supra.**

Ad secundas vesperas

Antiphona: Pax vobis. **Psalmus:** Nisi Dóminus aedificáverit, **et cetera.**

Ad Magnificat antiphona



Lupus rapit, et dispérgit oves, mercennárius fugit, quia mercennárius est, cuius non sunt oves própriae, allelúia.

FERIA QUINTA

[ad matutinum]

Invitatorium: Allelúia. **Psalmus:** Veníte. **Ad nocturnum antiphona:** Cognoverunt. **Psalmi:** Deus, iudícium; Quam bonus; Ut quid, Deus. **Versiculus:** Quem quaeris.

Lectio I.

Et primus ángelus tuba cécinit, et facta est grando et nix mixta in sángine, et missum est in terram. Et tértia pars terræ combústa est, et tértia pars arbórum concremáta est, et omne fenum víride combústum est. Et secúndus ángelus tuba cécinit, et tamquam mons, magnus igne ardens missus est in mare. Et facta est tértia pars maris sanguis, et mórtua est tértia pars creatúrae eórum, quæ habébant ánimas in mari, et tértia pars návium intériit. Tu.

Responsorium: In diadémate.

Lectio II.

Et tértius ángelus tuba cécinit, et cécidit de cælo stella magna ardens, tamquam fácula, et cécidit in tértiam partem flúminum, et in fontes aquárum, et nomen stellæ dícitur Absínthium. Et facta est tértia pars aquárum in Absínthium, et multi hómines mórtui sunt de aquis, quia amáre factæ sunt. Tu autem.

Responsorium: Platææ tuæ.

Lectio III.

Et quartus ángelus tuba cécinit, et percússa est tértia pars solis, et tértia pars lunæ, et tértia pars stellárum, ita ut obscurarétur tértia pars eórum, ut diéi non lucéret pars tértia, et nocti simíliter. Et vidi, et audívi vocem uníus áquilæ, volántis per médium cælum, dicéntis voce magna: Væ, væ, væ · in terra habitántibus, de céteris vóci bus trium angelórum, qui erant tuba canitúri. Tu.

Responsorium: Véniens a Líbano.

Ad laudes

Antiphona: Gavísi sunt, **ut supra.**

Ad secundas vesperas

Antiphona: Pax vobis. **Psalmus:** Meménto, **et cetera.**

Ad Magnificat antiphona



Ego sum pastor bonus, qui pasco oves meas, et pro óvibus meis pono ánimam meam, allelúia.

FERIA SEXTA

[ad matutinum]

Invitatorium: Allelúia. **Psalmus:** Veníte. **Ad nocturnum antiphona:** Cognoverunt. **Psalmi:** Quam dilécta; Benedixísti; Inclína, Dómine. **Versiculus:** Quem quæris.

Lectio I.

Et quintus ángelus tuba cécinit, et vidi stellam de cælo cecidisse in terram, et data est illi clavis pútei abýssi. Et apéruit púteum abýssi, et ascéndit fumus pútei, sicut fumus fornácis magnæ, et obscurátus est sol et aer de fumo pútei, et de fumo pútei exiérunt locústæ in terram, et data est illis potéstas, sicut habent potestátem scorpiónes terræ. Tu.

Responsorium: Vidi civitátem.

Lectio II.

Et præcéptum est illis, ne láederent fenum terræ, neque omne víride, neque omnem arbórem, nisi tantum hómīnes, qui non habent signum Dei in fróntibus suis. Et datum est illis, ne occíderent eos, sed ut cruciárent ménsibus quinque, et cruciátus eórum, ut cruciátus scórpīi, cum pércutit hómīnem. Et in diébus illis quærent hómīnes mortem, et non invénient eam, et desiderábunt mori, et fúgiet mors ab eis. Tu.

Responsorium: Cándidi facti.

Lectio III.

Et similitúdines locustárum símiles equis parátis in prælium, et super cápita eárum, tamquam coronæ, símiles auro, et fácies eárum, sicut fácies hómīnum, et habébant capíllos, sicut capíllos mulierum, et dentes eárum, sicut dentes leónum erant. Et habébant lóricas, licut lóricas férreas. Et vox alárum eárum, sicut vox córruum equórum multórum curréntium in bellum. Et habébant caudas, símiles scorpiónum, et acúlei erant in caudis eárum. Tu.

Responsorium: Docéte filios.

Ad laudes

Antiphona: Gavísi sunt, *ut supra.*

Ad vespervas

Antiphona: Pax vobis. *Psalmus:* Confitébor, *et cetera.*

Ad Magnificat antiphona



Alias oves hábeo, quæ non sunt ex hoc ovíli, et illas opórtet me addúcere, et vocem meam áudient, et fiet unum ovíle, et unus pastor, allelúia.

SABBATO

[ad matutinum]

Invitatorium: Allelúia. **Psalmus:** Veníte. **Ad nocturnum antiphona:** Cognóverunt. **Psalmi:** Misericórdiam et iudícium; Dómine, exáudi oratiónem; Bénedic, ánima **primum.** **Versiculus:** Quem quæris.

Lectio I.

Et sextus ángelus tuba cécinit, et audívi vocem unam ex quáttuor córnibus altáris áurei, quod est ante óculos Dei, dicéntem sexto ángelo, qui habébat tubam: Solve quáttuor ángelos, qui alligáti sunt in flúmine magno Euphráte! Et solúti sunt quáttuor ángeli, qui paráti erant in horam · et diem · et mensem et annum, ut occíderent tértiam partem hóminum. Et númerus equéstris exércitus vígies mílies dena mília, et audívi númerum eórum. Tu autem.

Responsorium: Dignus es.

Lectio II.

Et ita vidi equos in visióne, et qui sedébant super eos, habébant lóricas ígneas · et hyacínthias · et sulphúreas. Et cápita eórum erant, tamquam cápita leónum, et de ore ipsórum procedit ignis et fumus et sulphur. Et ab his tribus plagis occísa est tértia pars hóminum, de igne et de fumo · et sulphúre, quæ procedébant de ore ipsórum. Tu autem.

Lectio III.

Potéstas enim equórum in ore ipsórum est, et in caudis eórum. Nam et caude eórum símiles erant serpéntibus, habéntes cápita, et in his nocent. Et céteri hómines, qui non sunt occísi in his plagis, neque pæniténtiam egérunt de opéribus mánuum suárum, ut non adorárent dæmónia, et simulácra áurea et argénta et área et lapídea et lígnea, quæ neque vidére possunt, neque audíre, nec ambuláre, non egérunt pæniténtiam ab homicídiis suis, neque a veneficiis suis, neque a fornicatióne sua, neque a furtis suis. Tu.

Ad laudes

Antiphona: Gavisi sunt, **ut supra.**

DOMINICA TERTIA

Ad vesperas antiphona: Pax vobis. *Psalmus:* Benedictus, per ordinem, ut in octava Resurrectionis Domini.

FERIA SECUNDA

[ad matutinum]

Invitatorium: Allelúia. **Psalmus:** Veníte. **Ad nocturnum antiphona:** Cognóverunt. **Psalmus:** Exsultáte iusti. **Psalmus:** Benedícam Dóminum. **Psalmus:** Iúdica, Dómine, nocéntes. **Versiculus:** Quem quæris.

Secundum Ioannem

In illo témpore. Dixit Iesus discípulis suis: Módicum, et non vidébitis me, et íterum módicum, et vidébitis me, quia vado ad Patrem. Et réliqua.

Homélia venerábilis Bedæ presbýteri.

Lectio I.

Læta Dómini et Salvatóris nostri promíssa, fratres caríssimi, læto cordis audítu percípere debémus, seduláque intentióne persístere, quátenus ad hæc contíngere mereámur. Quid est ergo, quod mérito lætius audiátur, quam perveníri posse ad gáudium, quod numquam possit auférri? Notándum autem, quod tota lectiónis huius evangélicæ séries · illis cónvenit, qui eam præsentés audiérunt a Dómino. Pars autem illíus étiam nobis, qui post passiónem et resurrectiónem domínica ad fidem vénimus, aptíssime cóngruit. Tu.

Responsorium



Si oblítus fúero tui, allelúia, obliviscátur me déxtera mea! # Adhæreat lingua mea fáucibus meis, si non memínero tui, allelúia, allelúia! **V.** Super flúmina Babylónis, illic sédimus et flévimus, dum recordarémur tui, Sion. **A**dhæreat.

Lectio II.

Quod ergo ait: *Módicum, et iam non vidébitis me, et íterum módicum, et vidébitis me, quia vado ad Patrem;* ad illos speciáliter pértinet, qui eius discipulátui prædicántis in carne adhærere, et post tristítiam passiónis, visa resurrectióne et ascensióne eius, lætificári meruérunt. Nam quia hac illa, qua tradebátur nocte, locútus est: Módicum erat,

id est eiusdem noctis, et diéi sequéntis tempus, usque ad horam, qua illum incíperent non vidére. Tu autem.

Responsorium



Vidérunt te aquæ, Deus, vidérunt te aquæ, et timuérunt # multitúdo sónitus aquárum, vocem dedérunt nubes, allelúia, allelúia. **V.** Illuxérunt coruscatiónes tuæ orbi terræ; vidit, et commóta est terra. **M**ultitúdo.

Lectio III.

Tentus enim nocte illa a Iudæis, in crástinum crucifíxus, cum sero factum esset, depósitus est de cruce, et intra septa sepúlcri, ab humanis seclúsus obtútibus. Et íterum módicum erat, usque dum illum vidérent. Resurréxit enim a mórtuis tértia die, et appáruit eis in multis arguméntis per dies quadragínta. Quare módicum esset, ut non vidérent eum, et íterum módicum, ut et vidérent eum, annéctit causam, dicens: *Quia vado ad Patrem*, ac si paténter dicat: Ideo post módicum a vestris conspéctibus in monuménti claustris abscondar, et íterum post módicum, destrúcto mortis império, vobis intuéndus apparebo, quia tempus est, ut expléta dispensatióne, assúmpætæ mortalitátis cum resurrectionis triúmpho revértar ad Patrem. Tu.

Responsorium



In toto corde meo, allelúia, exquisívi te, allelúia. # Ne repéllas me a mandátis tuis, allelúia, allelúia! **V.** Vide humilitátem meam, et éripe me, quia legem tuam non sum oblítus! **N**e.

Te, Deum, laudámus.

Ad laudes

Antiphona: Gavísi sunt, **ut supra.**

Capitulum

Caríssimi. Obsécro vos, tamquam ádvenas et peregrínos, abstinéte vos a carnálibus desidériis, quæ militánt advérsus ánimam, conversatiónem vestram inter gentes habéntes bonam, ut in eo, quod detráctant de vobis, tamquam de malefactóribus, ex bonis opéribus vos considerántes, gloríficent Deum in die visitatiónis! Deo.

Hymnus: Auróra lucis. **Versiculus:** In resurrectiône tua.

Ad Benedictus antiphona

Módicum, et non vidébitis me, dicit Dóminus; íterum módicum, et vidébitis me, quia vado ad Patrem, allelúia, allelúia.

Oratio

Deus, qui errántibus, ut in viam possint redíre iustítiæ, veritátis tuæ lumen osténdis: da cunctis, qui christiána professiône censéntur, et illa respúere, quæ huic inimíca sunt nómini, et ea, quæ sunt apta, sectári!

Suffragia, ut supra.

Ad sextam**Capitulum**

Subiécti estóte omni humánæ creatúræ propter Deum, sive regi, quasi præcellénti, sive dúcibus, tamquam ab eo missis, ad vindíctam malefactorum, laudem vero bonorum! Deo.

Ad nonam**Capitulum**

Caríssimi. Omnes honoráte, fraternitátem dilígite, Deum timéte, regem honorificáte; servi, súbditi estóte in omni timóre dóminis, non

tantum bonis et modéstis, sed étiam dýscolis! Hæc est enim grátia in Christo Iesu, Dómino nostro. Deo.

Ad secundas vesperas

Antiphona: Pax vobis. **Psalmus:** Diléxi, quóniam. **Capitulum:** Caríssimi. Obsécro. **Hymnus:** Chorus novæ. **Versiculus:** Mane nobíscum.

Ad Magnificat antiphona



Quid est hoc, quia dicit nobis, módicum? Nescímus, quid lóquitur, allelúia.

Ad Magnificat antiphonæ per hebdomada



Amen dico vobis, quia plorábitis et flébitis vos, mundus autem gaudébit, vos autem contristabímmini, sed tristítia vestra vertétur in gáudium, allelúia.

Antiphona



Tristítia implévit cor vestrum, allelúia, et gáudium vestrum nemo tollet a vobis, allelúia.

Antiphona



Iterum autem vidébo vos, allelúia, et gaudébit cor vestrum, allelúia, et gáudium vestrum nemo tollet a vobis, allelúia, allelúia.

FERIA TERTIA

[ad matutinum]

Invitatorium: Allelúia. **Psalmus:** Veníte. **Ad nocturnum antiphona:** Cognóverunt. **Psalmi:** Deus noster refúgium; Omnes gentes; Magnus Dóminus. **Versiculus:** Quem quæris.

Lectio I.

Iacóbus, Dei et Dómini nostri servus, duódecim tríbubus, quæ sunt in dispersióne salutem. Omne gáudium existimáte, fratres mei, cum in tentatiónes várias incidéritis, sciéntes, quod probátio fidei vestræ · paciéntiam operátur. Paciéntia autem opus perféctum habet, ut sitis perfécti et intéгри, in nullo deficiéntes. Si quis autem vestrum índiget sapiéntia, póstulet a Deo, qui dat ómnibus affluénter, et non impróperat, et dábitur ei. Tu.

Responsorium



Allelúia. Audívimus eam in Ephrata, invénimus eam in campis silvæ. # Introibimus in tabernáculum eius, adorábimus in loco, ubi stetérunt pedes eius, allelúia, allelúia. **V.** Surge, Dómine, in réquiem tuam, tu, et arca sanctificatiónis tuæ! **In.**

Lectio II.

Póstulet autem in fide nihil háesitans; qui enim háesitant, símilis est flúctui maris, qui a vento movétur et circumfértur. Non ergo æstimet homo ille, quod accípiat áliquíd a Dómino. Vir duplex ánimo incónstans est in ómnibus viis suis. Gloriétur autem frater húmilis in exaltatióne sua, quóniam sicut flos feni, transíbit. Exórtus est enim sol cum ardóre, et arefécit fenum, et flos eius décidit, et decor vultus eius depériit, ita et dives in itinéribus suis marecécet. Tu.

Responsorium



Narrábo nomen tuum frátribus meis, allelúia; # in médio ecclésiæ laudábo te, allelúia, allelúia. **V.** Qui timétis Dóminum, laudáte eum; univérsum semen Iacob, glorificáte eum! **In** médio.

Lectio III.

Beátus vir, qui suffert tentatiónem, quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se. Nemo, cum tentátur, dicat, quóniam a Deo tentátur. Deus autem intentátor malórum est. Ipse enim néminem tentat. Unusquisque vero tentátur a concupiscéntia sua abstráctus et illéctus. Deínde concupiscéntia, cum concéperit, parit peccátum. Peccátum vero, cum consummátum fúerit, génerat mortem. Tu.

Responsorium



In ecclésiis benedícite Deo, allelúia, # Dómino de fóntibus Israel, allelúia, allelúia! **V.** Cantáte Dómino cánticum novum, cantáte Dómino, omnis terra! **D**ómino.

Ad laudes

Antiphona: Gavísi sunt. **Cetera, ut supra.**

FERIA QUARTA

[ad matutinum]

Invitatorium: Allelúia. **Psalmus:** Veníte. **Ad nocturnum antiphona:** Cognovérunt. **Psalmi:** Deus, reppulísti; Exáudi, Deus, deprecatiónem; Nonne Deo. **Versiculus:** Quem quæris.

Lectio I.

Nolíte itaque erráre, fratres mei dilectíssimi! Omne datum óptimum, et omne donum perféctum desúrsum est, descéndens a Patre lúminum, apud quem non est transmutátio, nec vicissitúdinis obumbrátio. Voluntárie enim génuit nos verbo veritátis, ut simus inítium áliquod creatúræ eius. [Tu.]

Responsorium



Hymnum cantáte nobis, allelúia, quóniam cantábimus cánticum Dómini in terra aliéna, # allelúia, allelúia. **V.** Super flúmina Babylónis, illic sédimus et flévimus, dum recordarémur tui, Sion. **Allelúia.**

Lectio II.

Scitis, fratres mei dilectíssimi. Sit autem omnis homo velox ad audiéndum, tardus autem ad loquéndum, et tardus ad iram! Ira enim viri · iustítiam Dei non operátur. Propter quod abiiciéntes omnem immundíciam et abundántiam malítiae, in mansuetúidine suscipite ínsitum verbum, quod potest salváre ánimas vestras! Tu.

Responsorium



Deus, cánticum novum cantábo tibi, allelúia; # in psaltério decem cordárum psallam tibi, allelúia. **V.** Qui das salutem régibus, qui redemísti David, servum tuum, de gládio maligno. **In psaltério.**

Lectio III.

Estóte autem factóres verbi, et non auditóres tantum, falléntes vosmetípsos, quia si quis audítor est verbi, et non factor, hic comparábitur viro, consideránti vultum nativitátis suæ in spéculo. Considerávit enim se, et ábiit, et statim oblítus est, qualis fúerit. Qui autem perspéxerit in lege perféctæ libertátis, et permánerit, non audítor obliuísus factus, sed factor óperis, hic beátus in facto suo erit. Tu.

Responsorium

Dicant nunc, qui redémpti sunt, allelúia, # a Dómino, allelúia. **V.**
 Quos redémit de manu inimíci, et de regiónibus congregávit eos. **A**
 Dómino.

Ad laudes

Antiphona: Gavísi sunt, **ut supra.**

FERIA QUINTA

[ad matutinum]

Invitatorium: Allelúia. **Psalmus:** Veníte. **Ad nocturnum antiphona:** Cognovérunt. **Psalmi:** Confitébmur tibi, Deus; Notus in Iudæa; Voce mea. **Versiculus:** Quem quæris.

Lectio I.

Fratres mei. Nolíte in personárum acceptióne habére fidem Dómini nostri, Iesu Christi glóriæ! Etenim si introíerit in convéntu vestro vir, áureum habens ánnulum et vestem cándida, introíerit autem et pauper in sórdido hábitu, et intendátis in eum, qui indútus est veste præclára, et dixéritis ei: tu sede hic bene, páuperi autem dicátis: tu sta illic, aut sede sub scabéllo pedum meórum, nonne iudicátis apud vosmetípsos, et facti estis iúdicés cogitatiónum iniquárum? Tu autem.

Responsorium: Si oblítus.

Lectio II.

Audíte, fratres mei dilectíssimi! Nonne Deus elégit páuperes in hoc mundo, dívites in fide, et herédes regni, quod repromísit Deus diligéntibus se? Vos autem exhonorástis páuperem. Nonne dívites per poténtiam opprímunt vos, et ipsi trahunt vos ad iudícia? Nonne ipsi blasphemant nomen bonum, quod invocátum est super vos? Tu.

Responsorium: Vidérunt te.

Lectio III.

Si tamen legem perfícitis regálem · secúndum Scriptúras: Diliges próximum tuum, sicut teípsum, bene facis. Si autem persónas accípitis, peccátum operámini, redargúti a lege, quasi transgressóres. Quicúmque autem totam legem serváverit, offéndat autem in uno, factus est ómnium reus. Tu.

Responsorium: In toto corde.

Ad laudes

Antiphona: Gavisi sunt.

FERIA SEXTA

[ad matutinum]

Invitatorium: Allelúia. **Psalmus:** Veníte. **Ad nocturnum antiphona:** Cognoverunt. **Psalmi:** Fundaménta; Dómine, Deus, salútis; Misericórdias Dómini. **Versiculus:** Quem quaeris.

Lectio I.

Qui enim dixit: non mœcháberis, dixit et: non occídes. Quod si non mœcháberis, occídas autem, factus es transgréssor legis. Sic loquímuni, et sic fácite, sicut per legem libertátis incipiéntes iudicári. Iudícium enim sine misericórdia illi, qui non facit misericórdiam. Superexáltat autem misericórdia iudícium. Tu.

Responsorium: Allelúia. Audívimus.

Lectio II.

Quid próderit, fratres mei, si fidem se dicat quis habére, ópera autem non hábeat? Numquid póterit fides salváre eum? Si autem frater aut soror nudi sint, et indígeant victu cottidiáno, dicat autem áliquis de vobis illis: Ite in pace, calefacímuni et saturámuni, non dedéritis autem eis, quæ necessária sunt córpori, quid próderit vobis? Si et fides, si non hábeat ópera, mórtua est in semetípse. Tu.

Responsorium: Narrábo nomen.

Lectio III.

Sed dicet quis: tu fidem habes, et ego ópera hábeo, osténde mihi fidem tuam sine opéribus, et ego osténdam tibi ex opéribus fidem meam. Tu credis, quóniam unus est Deus, bene facis, et dáemones credunt et contremíscunt. Vis autem scire, o, homo inánis, quóniam fides sine opéribus otíosa est? Abraham, pater noster, nonne ex opéribus iustificátus est, ófferens Isaac, filium suum, super altáre? Tu.

Responsorium: In ecclésiis.

Ad laudes

Antiphona: Gavisi sunt, **ut supra.**

SABBATO

Invitatorium: Allelúia. **Psalmus:** Veníte. **Ad nocturnum antiphona:** Cognóverunt. **Psalmi:** Bénedic, ánima II; Confitémini; Confitémini II. **Versiculus:** Quem quæris.

Lectio I.

Vides, quóniam fides cooperabátur opéribus illíus, et ex opéribus fides consummáta est, et suppléta est Scriptúra, dicens: “Crédidit Abraham Deo, et reputátum est illi ad iustítiam, et amícus Dei appellátus est.” Vidétis, quóniam ex opéribus iustificátur homo, et non ex fide tantum. Tu autem.

Responsorium: Hymnum cantáte.

Lectio II.

Simíliter et Rahab méretrix · nonne ex opéribus iustificáta est, suscípíens núntios, et ália via eiíciens? Sicut enim corpus sine spírítu est mórtuum, ita et fides sine opéribus mórtua est. Nolíte plures magístri fieri, fratres mei, sciéntes, quóniam maius iudícium súmitis, in multis enim offéndimus omnes. Si quis in verbo non offéndit, hic perféctus est vir. Tu.

Responsorium: Deus, cánticum.

Lectio III.

Potest étiam freno circumducere totum corpus. Si autem in ora equórum frenos míttimus ad consentiéndum nobis, et omne corpus illórum circumferimus. Ecce, naves, cum magnæ sint, et a ventis válidis minéntur, circumferúntur autem a módico gubernáculo, ubi ímpetus dirigéntis volúerit. Ita et lingua módicum quidem membrum est, et magna exáltat. Tu.

Responsorium: Dicant nunc.

Ad laudes

Antiphona: Gavísi sunt.

DOMINICA QUARTA

DOMINICA NONA

ad vesperas

Antiphona: Benedíctus. Ps. Ipsum.

Capitulum

Fratres! Non simus concupiscéntes malórum, sicut et illi concupiérunt; neque idolátræ efficiámini, sicut quidam ex ipsis, quemádmódu scriptum est: Sedit pópulus manducáre et bíbere, et surrexérunt lúdere. Deo.

Responsorium



Emítte, Dómine, sapiéntiam de sede magnitúdinis tuæ, ut mecum sit, et mecum labóret, ut sciam, quid accéptum sit coram te omni témpore. **V.** Da mihi, Dómine, sédium tuárum asistrícem, sapiéntiam. Ut.

Hymnus: O, Pater sancte. **Versiculus:** Vespertína.

Ad Magnificat antiphona



Sapiéntia clámitat in platéis: Si quis díligit sapiéntiam, ad me declínet, et eam invéniet, et eam dum invénerit, beátus est, si tenúerit eam.

Oratio

Páteant aures misericórdiæ tuæ, Dómine, précibus supplicántium, et ut peténtibus desideráta concédas, fac eos quæ tibi plácita sunt, postuláre.

Suffragia, ut supra.

Liber Sapientiæ.

Lectio I.

Parabolæ Salomónis, filii David, regis Israel, ad sciendam sapiéntiam et disciplinam, ad intelligénda verba prudéntiæ, et suscipiendam eruditiónem doctrínæ, iustítiam et iudícium et æquitátem, ut detur párvulis astútia. Adolescéntibus sciéntia et intelléctus. Audiens sápiens sapiéntior erit, et intélligens gubernácula possidébit. Tu.

Responsorium



In principio Deus antequam terram fáceret, priúsqvam abyssos constitúeret, priúsqvam producéret fontes aquárum, ántequam montes collocaréntur, * ante omnes colles generávit me Dóminus. **V.** Ego in altíssimis hábito, et thronus meus in colúmna nubis. Ante.

Lectio II.

Anima advértet parabolam et interpretatióem, verba sapiéntium et ænigmata eórum. Timor Dómini princípium sapiéntiæ. Sapiéntiam atque doctrínam stulti despíciunt. Audi, fili mi, disciplinam patris tui, et ne dimíttas legem matris tuæ, ut addátur grátia cápiti tuo, et torques collo tuo. Tu.

Responsorium: Emítte, Dómine, sapiéntiam, *ut supra.*

Lectio III.

Fili mi! Si te lactáverint peccatóres, ne acquiéscas eis! Si díxerint: Veni nobíscum, insidiémur sánguini, abscondámus tendículas contra insóntem frustra, deglutiámus eum, sicut inférnus vivéntem, et íntegrum, quasi descendéntem in lacum! Omnem pretiósam substántiam reperiémus, implébimus domos nostras spóliis, sortem mitte nobíscum, marsúpium unum sit ómnium nostrum! Tu.

Responsorium



Dómine, Pater et Deus vitæ meæ, ne derelínquas me in cogitátu malígno, extolléntiam oculórum meórum ne déderis mihi, et

desidérium malignum avérte a me, Dómine, aufer a me concupiscéntiam, * et ánimo irreverénti et infrónito ne tradas me, Dómine! **V.** Da mihi, Dómine, sédium tuárum assistrícem sapiéntiam. Et.

Lectio IV.

Parábolæ sunt similitúdines, quæ comparatióne visibílium rerum atque corporálium, ea, quæ sunt invisibília atque spirituália, diligéntibus disciplínam insínuant. De hac comparatióne visibílium apóstolus ait: Invisibília enim ipsíus a creatúra mundi per ea, quæ facta sunt intellécta, conspiciúntur, sempitérna quoque virtus eius ac divínitas. Tu.

Responsorium



Da mihi, Dómine, sédium tuárum assistrícem sapiéntiam, et noli me reprobáre a púeris tuis, * quóniam servus tuus sum ego, et fílius ancillæ tuæ! **V.** Dómine, Pater et Deus vitæ meæ, ne derelínquas me in cogitátu maligno! Quóniam.

Lectio V.

Possunt non incóngrue étiam parábolæ provérbia vocári. Nam et provérbia plerúmque tam obscúre dicúntur, ut mérito éadem possint étiam parabolárum nómine notári. Dómino attestánte, qui ait: Hæc in provérbis locútus sum vobis. Iustítiam et iudícium et æquitátem; in iustítia áctio recta, in iudício discrétio boni ac mali, in æquitáte vero rectitúdo mentis intellígitur. Tu.

Responsorium



Gyrum cæli circuíví sola, et in flúctibus maris ambulávi, in omni gente et in omni pópulo primátum ténui, * superbórum et sublímium colla própria virtúte calcávi. **V.** Ego in altíssimis hábito, et thronus meus in colúmna nubis. Superbórum.

Lectio VI.

Et detur párvulis astútia, et adolescénti sciéntia et intelléctus. Párvuli dicúntur sensu símlices. Adolescéntes vero iam fide et ópere

proficientes. Vel párvulos dicit eos, qui nuper sapiéntis fidem commendáre cepérunt. Adolescéntem, qui aliquántum iam auditióne próficit, quia qui prudénter declínat falsa, consequénter sciéntiam veritátis accípiet. Tu.

Responsorium



Inítium sapiéntiæ timor Dómini, intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum, * laudátio eius manet in saéculum saeculi. **V.** Dispérsit, dedit paupéribus. Laudátio eius.

Secundum Lucam

In illo témpore. Dixit Iesus discíplis suis parábolam hanc: Homo quidam erat dives, qui habébat villicum, et hic diffamátus est apud illum, quasi dissipásset bona illíus. Et réliqua.

Homélia beáti Hieronými presbýteri.

Lectio VII.

Quæstiúnculam mihi proposuísti de Evangélio Lucae, o, Algátia, qui sit villicus iniquitátis, qui Dómini voce laudátur. Cuius cum scire vellem ratióne, et de quo fonte processerit, revólvi volúmen evangélicum, et inter cétera répperi, quod appropinquántibus Salvatóri publicánis et peccatóribus, ut audírent eum, murmurábant pharisæi et scribæ, dicéntes: Quare iste peccatóres súscipit, et cómedit cum eis. Tu.

Responsorium



Verbum iníquum et dolósum longe fac a me, Dómine, divítias et paupertátes ne déderis mihi, * sed tantum víctui meo tríbue necessariá! **V.** Ne forte satiátus évomam illud, et periúrem nomen Dei mei. Sed tantum.

Lectio VIII.

Qui locútus est eis parábolam centum óvium, et uníus pérditæ, quæ invénta, pastóris húmeris reportáta est. Et cur esset propósita statim

íntulit: Dico vobis, quod ita gáudium erit in cælo super uno peccatóre pæniténtiam agénte, quam super nonagínta novem iustis, qui non habent opus pæniténtia. Aliam quoque parábolam decem dragmárum, uniúsque pérditæ atque repértæ cum proposuísset, símili eam fine complévit. Sic dico vobis: Gáudium erit ángelis Dei super uno peccatóre pæniténtiam agénte. Tu.

Responsorium



Magna enim sunt iudícia tua, Dómine, et inenarrabilia verba tua, * magnificásti pópulum tuum, et honorásti. **V.** Deduxísti, sicut oves pópulum tuum in manu Móysi et Aaron. Magnificásti.

Lectio IX.

Tértiam quoque parábolam propósuit hómínis habéntis duos fílios, et dividéntis inter eos substántiam. Cumque minor, facultátibus pérditis, egére cœpísset et comédere síliquas, porcórum cibum, revérsus ad patrem, susceptus est ab eo. Frater, quóniam ínvidens, sénior patris voce corrípitur, quod lætári debúerit et gaudére, quia frater eius mórtuus fúerat, et revíxit, perierat, et invéntus est. Has tres parábulas contra pharisaéos et scribas locútus est, qui nolébant recípere pæniténtiam peccatórum et publicanórum salútem. Tu.

Responsorium



Super salútem et omnem pulchritúdinem diléxi sapiéntiam, et propósui pro luce habére illam, * venérunt mihi ómnia bona páriter cum illa. **V.** Dixi sapiéntiæ: Soror mea es, et prudéntiam vocávi amícam meam. Venérunt.

Ad laudes

Antiphona: Indútus est, et cétera.

Ad Benedictus antiphona



Dixit Dóminus villico: Quid hoc áudio de te? Redde ratiónem villicatiónis tuæ!

Ad sextam

Capitulum

Fratres! Non fornicémur, sicut quidam ex ipsis fornicáti sunt, et cecidérunt una die viginti tria mília; neque tentémus Christum, sicut quidam eórum tentavérunt, et a serpéntibus periérunt! Deo.

Ad nonam

Capitulum

Fratres! Neque murmuravéritis, sicut quidam eórum murmuravérunt, et periérunt ab exterminatóre! Hæc autem ómnia in figúra contingébant illis, scripta sunt autem ad correptiόnem nostram, in quos fines sæculórum devenérunt. Deo.

Ad Magnificat antiphona



Quid fáciam, quia Dóminus meus aufert a me villicatiónem? Fódere non váleo, mendicáre erubésco, scio quid fáciam, ut cum amótus fuéro a villicatióne, recípiant me in domos suas.

Per hebdomadam

Lectio I.

Fili mi! Si suscepéris sermónes meos, et mandáta mea abscónderis penes te, ut áudiat sapiéntiam auris tua. Inclína cor tuum, ad cognoscéndam prudéntiam! Tu.

Lectio

Si sapiéntiam invocáveris, et inclináveris cor tuum prudéntiæ. Si quæsiéris eam, quasi pecúniã, et sicut thesáuros effóderis illam. Tunc intélliges timórem Dómini, et sciéntiam Dei invénies. Tu.

Lectio

Quia Dóminus dat sapiéntiam, et ex ore eius sciéntia et prudéntia. Custódiat rectórum salútem, et próteget gradiétes simpliciter, servans sémitas iustítiæ, et viam sanctórum custódiens. Tu autem.

Lectio

Nunc intélliges iustítiam et iudícium et æquitátem et omnem sémitam bonam. Si intráverit sapiéntia cor tuum, et sciéntia ánimæ tuæ placúerit. Tu.

Lectio

Consílium custódiat te, et prudéntia servábit te, ut eruáris de via mala, et ab hómine, qui pervérsa lóquitur. Qui relínquunt iter rectum, et ámbulant per vias tenebrósas. Tu autem.

Lectio

Qui lætántur, cum male fécerint, et exsúltant in rebus péssimis. Quorum viæ pervérsæ, et infámes gressus eórum. Ut eruáris a muliere aliéna, et ab extránea, quæ mollit sermónes suos, et relínquit ducem pubertátis suæ, et pacti Dei sui oblíta est. Tu.

Lectio

Inclináta est enim ad mortem domus eius, et ad íferos sémitæ ipsíus. Omnes, qui ingred[i]úntur ad eam, non reverténtur, nec apprehéndent sémitas vitæ, ut ámbules in via bona, et calles iustórum custódiat. Tu.

Lectio

Qui enim recti sunt, habitábunt in terra, et simplices permanébunt in ea. Impii vero de terra perdéntur, et qui iníque agunt, auferéntur ex ea. Tu.

Lectio

Fili mi, ne obliviscáris legis meæ, et præcépta mea custódiat cor tuum. Longitúdinem enim díerum et annos vitæ et pacem appónent tibi, misericórdia et véritas non te désérant. Circúmde eas gútturi

tuo, et scribe in tábulis cordis tui. Et invénies grátiam et disciplínam coram Dómino et homínibus.

DOMINICA DECIMA

Capitulum

Fratres! Scitis, quóniam cum gentes essétis, ad simulácra muta prout ducebámini, eúntes; ídeo notum vobis fácio, quod nemo in Spíritu Dei loquens dicit anáthema Iesu, et nemo potest dícere: Dóminus Iesus, nisi in Spíritu Sancto. Deo.

Responsorium: Da mihi, Dómine. **Hymnus:** O, Pater sancte. **Versiculus:** Vespertína.

Ad Magnificat antiphona



Dóminus possédit me inítkio viárum suárum, ántequam quicquam fáceret a princípío, necdum erant abyssi, et ego parturiébar, quando præparábat cælos, áderam cum eo, compónens ómnia.

Oratio

Deus, qui omnipoténtiam tuam parcéndo máxime et miserándo maniféstat: múltiplica super nos grátiam tuam, ut ad tua promíssa curréntes, cæléstium bonórum fácias esse consórtes!
Suffragia, ut supra.

Lectio I.

Fili mi! Auscúlta sermónes meas, et ad elóquia mea inclína aurem tuam! Ne recédant ab óculis tuis, custódi ea in médio cordis tui! Vita enim sunt inveniéntibus ea, et univérsæ carni sánitas. Omni custódia serva cor tuum, quia ex ipso vita procédit! Rémove a te os pravum, et detrahéntia lábía sint procul a te! Tu autem.

Lectio II.

Oculi tui recta vídeant, et pálpebræ tuæ præcédant gressus tuos! Dírige sémitam pédibus tuis, et omnes viæ tuæ stabiliéntur! Ne declínes ad dexteram et ad sinístram; avérte pedem tuum a malo! Vias enim, quæ a dextris sunt, novit Dóminus. Pervérsæ vero sunt, quæ a sinístris sunt. Tu.

Lectio III.

Ipsè autem rectos fáciet cursus tuos, itínera autem tua in pace producet. Fili mi, atténde sapiéntiam meam, et prudéntiæ meæ inclína aurem tuam! Ut custódiás cogitátiones, et disciplínam lábía

tua consérvent! Favus enim distíllans lábia meretrícis, et nitídus óleo guttur eius. Nunc ergo, fili, audi me, et ne recédas a verbis oris mei, longe fac ab ea viam tuam, et ne appropínques fóribus domus eius! Tu.

Lectio IV.

Omni custódia serva cor tuum, quia ex ipso vita procédit! Sunt, qui recte vívere vidéntur homínibus, sed quia recta intentióne non faciunt. A Deo, qui cor réspicit pravum, reprobátur vita, quæ credebátur bona. Omni ergo diligéntia cordis mundítiam serva, quia ad eius exámen, modus æsimátur vitæ. Tu.

Lectio V.

Rémovete a te os pravum, et detrahéntia lábia sint procul a te! Duóbus modis sentiéndum est, et ut os tuum ne pravum loquátur áliquid; tuaque lábia ne detractiónibus assuéscant, custódiatis! Et álios quosquam, huic vítio súbditos, ne te corrúmpant, fúgias! Oculi tui recta vídeant, et pálpebræ tuæ præcédant gressus tuos! Tu.

Lectio VI.

Hoc est iter iusítiae, quo íngredi débeas, diligénter edísce, et in cunctis, quæ ágere dispónis sollícitus, ad quem sint finem ventúra, præ vide! Pálpebræ quippe gressus præcédunt, cum operatióne nostram, consília recta præveniunt! Qui enim négligit considerádo prævidére, quod facit, gressus tendit, óculos claudit, pergéndo iter cóncipit, sed providéndo sibimetípsum (!) antecédit. Atque idcirco ótius currit, quia quo pedem pónere débeat, per pálpebram consílii non prævidet. Tu autem.

Secundum Lucam

In illo témpore. Cum appropinquáret Iesus Ierúsalem, videns civitátem, flevit super illam, dicens: Quia si cognovísset et tu! Et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi; nunc autem abscóndita sunt ab óculis tuis! Et réliqua.

Homélie beáti Gregórii papæ.

Lectio VII.

Lecciónem brevem sancti Evangélii brevi, si possum, volo sermóne transcúrrere, ut illis in ea prolíxior detur intentio, qui sciunt ex paucis multa cogitáre. Quod, flente Dómino, illa Ierosolymórum subvérsio describitur, quæ a Vespasiáno et Tito, Románis

príncipibus facta est; nullus, qui históriam eversiónis eiúsdem legit, ignórat. Tu.

Lectio VIII.

Románi enim príncipes denuntiántur, cum dicitur: Quia vénient dies in te, et circúmdabunt te inimíci tui vallo, et coangustábunt te úndique, et ad terram constérnent te, et filios tuos, qui in te sunt. Hoc quoque, quod ádditur: et non relínquent in te lápidem super lápidem, étiam ipsa eiúsdem civitátis transmigrátio testátur, quia dum nunc in eo loco constrúcta est, ubi extra portam fúerat Dóminus crucifixus; prior illa Ierúsalem, ut dicitur, fúnditus est evérsa. Tu autem.

Lectio IX.

Qui ex qua culpa eversiónis suæ poena illáta fúerit, subiúngitur: Eo quod non cognóveris tempus visitatiónis tuæ. Creátor quippe ómnium per incarnatiónis suæ mystérium, hanc visitáre dignátus est, sed ipsa timóris et amóris illíus recordáta non est. Unde étiam per prophétam in increpatióne cordis humáni, aves cæli in testimónium deducúntur, cum dicitur: Milvus in cælo cognóvit tempus suum, turtur, hirúndo et cicónia, custodiérunt tempus advéntus sui, pópulus autem meus non cognóvit iudícium Dómini. Tu.

Ad Benedictus antiphona



Cum appropinquáret Dóminus Ierúsalem, videns civitátem, flevit super illam, et dixit: quia si cognovísses et tu, quia vénient dies in te, et circúmdabunt te, et coangustábunt te úndique, et ad terram prostérnent te, eo quod non cognovísti tempus visitatiónis tuæ, allelúia!

Ad sextam

Capitulum

Fratres! Divisiónes gratiárum sunt, idem autem Spíritus; et divisiónes ministratiónum sunt, idem autem Dóminus; et divisiónes

operatiónum sunt, idem vero Deus, qui operátur ómnia in ómnibus. Deo.

Ad nonam

Capitulum

Fratres! Unicuíque datur manifestátio Spíritus ad utilitátem. Alii quidem per Spíritum datur sermo sapiéntiæ. Alii autem sermo sciéntiæ secúndum eúmdem Spíritum. Alteri fides in eódem Spíritu. Alii grátia sanitátum in uno Spíritu. Alii operátio virtútum. Alii prophétia. Alii discrétio spirítuum. Alii génera linguárum, álii interprætátio sermónum. Hæc autem ómnia operátur unus atque idem Spíritus, dívidens síngulis, prout vult. Deo.

Ad Magnificat antiphona



Videns Dóminus civitátem Ierúsalem, flevit super illam, dicens: quia si cognovísset, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscóndita sunt ab óculis tuis.

Per hebdomadam

Lectio I.

Fili mi, si spondísti pro amíco tuo, defixísti apud extráneum manum tuam. Illaqueátus es verbis oris tui, et captus própriis sermónibus tuis. Tu.

Lectio

Fac ergo, quæ dico, fili mi, et temetípsum líbera, quia incidísti in manus próximi tui! Discúrre, festína, súscita amícum tuum; ne déderis somnum óculis tuis, nec dórmitent pálpebræ tuæ!

Lectio

Erúere, quasi dámula de manu, et quasi avis de insídiis aucúpis! Vade ad formícam ópiger, et consídera vias eius, et disce sapiéntiam,

quæ cum non hábeat ducem ac præceptórem nec princípem, parat æstáte cibum sibi, et cóngregat in messe, quod cómedat. Tu.

Lectio

Usquequo piger dormis, quando exsúrges de somno tuo, páululum dórmies, páululum dormitábis, páululum cónseres manus, ut dórmias. Tu.

Lectio

Et véniet tibi, quasi viátor, egéstar, et paupéries, quasi vir armátus. Si vero ímpiger fúeris, véniet, ut fons, messis tua, et egéstar longe fúgiet a te. Tu.

Lectio

Homo apóstata, vir inútilis gráditur ore pervérso, ánnuit óculis, terit pede, dígitó lóquitur. Pravo corde machinátur malum, et omni témpore iúrgia séminat. Tu.

Lectio

Huic ex improvíso véniet perdítio sua, et súbito conterét, nec habébit ultra medicínam. Sex sunt, quæ odit Dóminus, et séptimum detestátur ánima eius. Tu.

Lectio

Óculos súblimes, linguam mendácem, manus effundéntes innóxium sánguinem, cor máchinans cogitatiónes péssimas, pedes velóces ad curréndum in malum, proferéntem mendácium, testem fallácem, et eum, qui séminat inter fratres discórdias. Tu.

Lectio

Consérva, fili mi, præcépta patris tui, et ne dimíttas legem matris tuæ! Alliga eam in corde tuo, iúgiter circúmدا gútturi tuo! Cum ambuláveris, gradiántur tecum, cum dormiéris, custódiant te, et evígilans lóquere cum eis! Tu.

DOMINICA UNDECIMA

Capitulum

Fratres! Notum vobis fácio evangélium, quod prædicávi vobis, quod accepistis, in quo et statis, per quod et salvámini. Deo.

Responsorium: Gyrum cæli, et cetera.

Ad Magnificat antiphona



Sapiéntia ædificávit sibi domum, excídit colúmna septem, súbdidit sibi gentes superbórum, et sublímium colla própria virtúte calcávit.

Oratio

Omnípotens, sempitérne Deus, qui abundántia pietátis tuæ et mérita súpplícum excédís et vota: effúnde super nos misericórdiam tuam, ut dimittas, quæ consciéntia méruit, et adíicias, quod orátio non præsumit. Per.

Suffragia, ut supra.

Lectio I.

Glória Dei est celáre verbum, et glória regum investigáre sermónem. Cælum sursum, et terra deórsum, et cor regum inscrutábile. Aufer rubiginem de argénto, et egrediétur vas puríssimum! Aufer impietátem de vultu regis, et firmábitur iustítia thronus eius! Tu.

Lectio II.

Ne gloriósus appáreas coram rege, et in loco magnórum ne stéteris! Mélius est, ut dicátur tibi: ascénde huc, quam ut humiliéris coram príncipe. Quæ vidérunt óculi tui, ne próferas in iúrgio cito, ne póstea emendáre non póteris, cum dehonestáveris amícum tuum! Tu.

Lectio III.

Causam tuam tracta cum amíco tuo, et secrétum extráneo ne revéles, ne forte insúltet tibi, cum audíerit, et exprobare non cesset! Mala áurea in lectis argénteis, qui lóquitur verbum in témpore suo. In auris áurea, et margaríta fulgens, qui árguit sapiéntem, et aurem oboediéntem. Tu.

Lectio IV.

"Glória Dei est celáre verbum, et glória regum investigáre sermónem." Deus, hic est Christus, Fílius Dei, cuius glória fuit celáre verbum, id est seípsum, quando natus in carne, pótius se hóminis, quam Dei Fílium dici et confitéri vóluit, ut eum diábolus non agnósceret, et sic sua passióne genus humánum liberáret.

Lectio V.

Nam si agnovísset, numquam crucifixísset. Celábat ergo sermónem, quando in forma servi occultábat poténtiam divinitátis, ut diábolus, agnóscens fragilitátem carnis, festináret eum trádere passióni crucis, quátenus per ignorántiam passiónis · perveníret ad glóriam resurrectiόνis. Tu.

Lectio VI.

"Et glória regum investigáre sermónem." Reges dicit sanctos apóstolos, qui quotienscúmque non manifeste se eis Deum demonstrábat, sed pótius mýstice intélligi volébat, summa diligéntia perscrutabátur sermónem eius, ut illud: "Ego et Pater unum sumus", et cétera huiúsmodi. Tu.

Secundum Lucam

In illo témpore. Dixit Iesus ad quosdam, qui in se confidébant, tamquam iusti, et aspernabántur céteros, parábolam istam: Duo hómines ascendérunt in templum, ut orárent; unus pharisaéus, et alter publicánus. Et réliqua.

Homélia venerábilis Bedæ presbýteri.

Lectio VII.

"Dixit Iesus ad quosdam, qui in se confidébant, tamquam iusti, et aspernabántur céteros, parábolam istam." Quia parábolam Dóminus, qua semper oráre, et non deficere docébat, ita conclúsit, ut diceret, veniénte iúdice, difícilé fidem in terra reperiéndam, ne quis sibi forte de supervácuá fidei cogitatióne, vel étiam confessióne blandirétur. Tu.

Lectio VIII.

Mox per áliam iuxta parábolam diligéntius osténdit a Deo fidei non verba examinánda, sed ópera. Inter quæ nimírum ópera · máxime regnat humílitas. Unde et supra, cum fidem grano sínapis minúto quidem, sed ex contritióne flagránti comparáret, quasi exponéndo

subiúnxit: “Cum fecéritis ómnia, quæ præcépta sunt vobis, dícite: servi inútiles sumus.” Tu.

Lectio IX.

Qui contra supérbi, cum nequáquam ómnia, sed módicum quid eórum, quæ præcépta sunt, fáciat, non solum mox de sua iustítia præsumunt, sed et infirmos quosque despíciunt, atque ídeo, quasi fide vácui, cum oráverint, non exaudiúntur. “Duo hómínes ascendérunt in templum, ut orárent. Unus pharisaéus et alter publicánus.” Publicánus humíliter orans, ad illa præfátæ víduæ, hoc est Ecclésiæ membra pertíneat. De quibus supra dícitur: Dóminus autem non fáciat vindíctam electórum suórum, clamántium ad se. Tu autem.

Ad Benedictus antiphona



Duo hómínes ascendérunt in templum, ut orárent. Unus pharisaéus, et alter publicánus; pharisaéus stans, hæc apud se orábat: Deus, grátias tibi ago, quia non sum, sicut céteri hómínium: raptóres, iniústi, adúlteri, velut étiam hic publicánus. Publicánus autem stans, percutiébat pectus suum, dicens: Deus, propítius esto mihi peccatóri!

Ad sextam

Capitulum

Fratres. Qua ratióne prædicáverim vobis, si tenétis, nisi frustra credidístis? Trádidi enim vobis in primis, quod et accépi, quóniam Christus mórtuus est pro peccátis nostris secúndum Scriptúras, et quia sepúltus est, et quia surréxit tértia die secúndum Scriptúras, et quia visus est Cephæ, et post hoc úndecim.

Ad nonam

Capitulum

Fratres. Ego enim sum mínimus ómnium apostolórum, quia non sum dignus vocári apóstolus, quóniam persecútus sum Ecclésiám Dei, grátia autem Dei sum id, quod sum, et grátia eius in me vácuá non fuit. Deo.

Ad Magnificat antiphona



Stans a longe publicánus, nolébat óculos ad cælum leváre, sed percutiébat pectus suum, dicens: Deus, propítius esto mihi, peccatóri!

Per hebdomadam

Lectio I.

Iáculum et gládius et sagítta acúta · homo, qui lóquitur contra próximum suum testimónium falsum. Dens pútridus et pes lassus, qui sperat super infidéli in die angústiae, et amíttit pállium in die frígoris. Tu.

Lectio

Acétum in nitro, qui cantat cármina corde péssimo. Si esurierit inimícus tuus, ciba illum, si sitiérit, da ei aquam bíbere! Prunas enim congregábis super caput eius, et Dóminus reddet tibi. Tu.

Lectio

Ventus áquilo díssipat plúvias, et fácies tristis linguam detrahéntem. Mélius est sédere in ángulo dómatis, quam cum muliere litigiósa in domo commúni. Tu.

Lectio

Aqua frígida animæ sitiénti, et núntius bonus de terra longínqua. Fons turbátus pede et vena corrúpta iustus cadens coram ímpio. Tu.

Lectio

Sicut qui mel cómedit multum, non est ei bonum, sic qui scrutátor est maiestátis, opprimétur a glória. Sicut urbs patens, et absque murórum ámbitu, sic vir, qui non potest in loquéndó cohibére spíritum suum. Tu.

Lectio

Quómodo nix in æstáte et plúviæ in messe, sic índecens est stulto glória. Nam sicut avis ad alta tránsvolans, et passer quólibet vadens, sic maledíctum frustra perlátum in quémpiam supervéniet. Tu.

Lectio

Flagéllum equo, et chamus ásino, et virga dorso imprudéntium. Ne respóndeas stulto iuxta stultítiam suam, ne efficiáris ei símilis! Tu.

Lectio

Respónde stulto iuxta stultítiam suam, ne sibi sápiens esse videátur! Claudus pédibus et iniquitátem bibens, qui mittit verba per núntium stultum. Tu autem.

Lectio

Quómodo pulchras frustra habet claudus túbias, sic índecens est in ore stultórum parábola. Sicut qui mittit lápidem in acérvum mercúrii, ita qui tríbuit insipiénti honórem. Tu.

DOMINICA DUODECIMA

Capitulum

Fratres. Fidúciam talem habémus per Christum ad Deum, non quod sufficiétes simus cogitáre áliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficiéntia nostra ex Deo est. Deo.

Responsorium: Super salútem.

Ad Magnificat antiphona



Omnis sapiéntia a Dómino Deo est, cum illo fuit semper, et est ante eum.

Oratio

Omnípotens et miséricors Deus, de cuius múnere venit, ut tibi a fidélibus tuis digne et laudabíliter serviátur: tríbue nobis, quaésumus, ut ad promissiónes tuas, sine offensióne currámus. Per.

Suffragia, ut supra.

Lectio I.

Verba ecclesiástes fílii David, regis Ierúsalem. Vánitas vanitátum, dixit ecclesiástes, et ómnia vánitas. Quid habet ámplius homo de univérso labóre suo, quod labórat sub sole? Generátio praéterit, et generátio ádvenit, terra vero in aetérnum stat.

Lectio II.

Orítur sol, et óccidit, et ad locum suum revértitur; ibíque renáscens gyrat per merídiem, et fléctitur ad aquilónem, lustrans univérsa in circúitu, pergít spíritus, et in locum suum revértitur. Omnia flúmina intrant in mare, et mare non redúndat. Tu.

Lectio III.

Ad locum, unde éxeunt, flúmina revertúntur, ut íterum fluat. Cuncta haéresis difícilis, non potest eam homo explicáre sermóne. Non saturátur óculus visu, nec auris implétur auditu. Quid est, quod fuit? Ipsum, quod futúrum est. Quid est, quod factum est? Ipsum, quod faciéndum est. Nihil sub sole novum, nec valet quisquam dícere: ecce, hoc recens est.

Lectio IV.

Vánitas vanitátum, dixit ecclesiástes, et ómnia vánitas. Quid superest hóm̄ini in omni labóre suo, quod labórat sub sole? Post generálem senténtiam, quod vana sint ómnia. Ab homínibus incipit, quod frustra in mundi istíus labóre desúdent congregatiónes divítias, erudiéntes líberos, ambiéntes honórem, ædíficia construéntes, et in médio óperis subitánea morte subtrácti áudiunt. Tu.

Lectio V.

Insípiens, hac nocte auferétur a te ánima tua, quæ autem præparásti, cuius erunt? Máxime, cum ex omni labóre nihil ferant secum, sed nudí in terra rédeant, unde sumpti sunt. Generátio vadit, et generátio venit, et terra in saéculum stat. Aliis moriéntibus nascúntur álíi, et quos víderas, non vides, incipis vidére, quod non erat. Tu.

Lectio VI.

Quid hac vánius vanitáte, quam terram manére, quæ hóm̄inum causa facta est, et ipsum hóm̄inem, terræ · Dóminum in púlverem repénte dissólvi? Aliter: Prima recédit generátio Iudæórum, ut succédât generátio de géntibus congregáta. Terra autem tam diu stat, quámdiu synagóga recedénte; Ecclésia omnis intróeat. Tu autem.

Secundum Marcum

In illo témpore. Exiens Iesus de fínibus Tyri, venit per Sidónem ad mare Galilææ, inter médiós fines Decapóleos. Et réliqua.

Homélia venerábilis Bedæ presbýteri.

Lectio VII.

Surdus ille et mutus, quem mirábiliter curátum a Dómino, modo, cum Evangélium legerétur, audívimus, genus désígnat humánum, in híis, qui ab erróre diabólicæ deceptiόνis, divína meréntur grátia liberári. Obsúrduit namque homo ab audiéndó vitæ verbo, postquam mortífera serpéntis verba contra Dóminum túmidus audívit. Mutus a laude conditóris efféctus est, ex quo cum seductóre collóquium habére præsumpsit. Et mérito clausit aures ab audiéndá inter ángelos laude creatóris, quas ad audiéndam eiúsdem creatóris vituperatiónem · sermónibus hostis incáutus apérui. Tu.

Lectio VIII.

Mérito clausit os a prædicanda cum ángelis laude creatóris, quod velut ad meliorándum eiúsdem creatóris opus, cibi vétiti prævaricatióne superbus implévit. Et heu, miser géneris humáni deféctus, quod in radíce vitiórum germinávit, vitiósius multo dilatári coepit in propágine ramórum. Ita ut veniénte in carne Dómino, excéptis paucis de Iudaéa fidélibus, totus pæne mundus ab agnitióne et confessióne veritátis surdus erráret et mutus. Sed ubi abundávit peccátum, superabundávit et grátia. Tu.

Lectio IX.

Venit namque Dóminus ad mare Galiléæ, ubi nóverat ægrotáre, quem sanáret. Venit suæ grátia pietátis, ad tuméntia, túrbida et instabília géntium corda, et in quibus nóverat esse, qui ad suam grátiam pertinéret. Et bene inter médios fines Decapóleos, ad mare Galiléæ, ubi ægrótum sanáret, venísse perhibétur, quia relícto ob perfídiam pópulo, qui Decálogo mandáta accéperat, éxteras venit ad gentes, ut sicut Ioánnes ait: “Fílios Dei, qui erant dispersi, congregáret in unum.” Tu.

Ad Benedictus antiphona

Dum transíret Dóminus per médios fines Tyri, surdos fecit audíre, et mutos loqui.

Ad sextam**Capitulum**

Fratres! Christus idóneos nos fecit ministros novi testaménti, non líttera, sed spírítu; líttera enim occídít, spírítus autem vivíficat. Deo.

Ad nonam

Capitulum

Fratres! Si ministratio mortis litteris deformata in lapidibus fuit in gloria, ita ut non possent intendere filii Israel in faciem Móysi propter gloriam vultus eius, quæ evacuatur, quomodo non magis ministratio spíritus erit in gloria? Nam si ministratio damnationis gloria est, multo magis abundat ministerium iustitiæ in gloria. Deo.

Ad Magnificat antiphona



Quanto eis præcipiebat, tanto plus prædicabant, et eo amplius admirabantur, dicentes: Bene omnia fecit, surdos fecit audire, et mutos loqui.

Per hebdomadam

Lectio I.

Hanc occupationem pessimam dedit Deus filiis hominum, ut occuparentur in ea. Vidi cuncta, quæ fiunt sub sole, et ecce universa vanitas, et afflictio spíritus. Tu.

Lectio

Perversi difficile corriguntur, et stultorum infinitus est numerus. Locutus sum in corde meo, dicens: Ecce, magnus effectus sum, et præcessi sapientia omnes, qui fuerunt ante me in Ierusalem, et mens mea contemplata est multa sapienter, et didici. Tu.

Lectio

Dedique cor meum, ut scirem prudentiam atque doctrinam, errorisque et stultitiam, et agnovi, quod in hiis quoque esset labor, et afflictio spíritus. Tu autem.

Lectio

Eo quod multa sapientia multa sit indignatio, et qui addit scientiam, addet et laborem. Dixi ergo in corde meo: Vadam, et affluam deliciis, et fruam bonis. Tu.

Lectio

Et vidi, quod hoc quoque esset vānitas, risum reputāvi errōrem, et gāudio dixi: quid frustra decēperis? Cogitāvi in corde meo abstrāhere a vino carnem suam. Tu.

Lectio

Et ut ānimum meum transfērrem ad sapiēntiam, devitarēmque stultitiam, donec vidērem, quid esset útile filiis hóminum. Quo facto, opus est sub sole número diērum vitæ suæ. Tu.

Lectio

Magnificāvi ópera mea, ædificāvi mihi domos, plantāvi víneas, feci hortos · et poméria, et consérui ea cuncti[s] géneris arbóribus, et exstrúxi mihi piscinas aquárum, ut irrigārem silvam lignórum germinántium. Tu.

Lectio

Possēdi servos et ancíllas, multámque famíliam hábui. Arménta quoque et magnos óvium greges ultra omnes, qui fuérunt ante me in Ierúsalem. Tu.

Lectio

Coacervāvi mihi argéntum et aurum · et substántias regum ac provinciárum. Feci mihi cantatóres et cantátrices, et delicias filiórum hóminum. Tu autem.

DOMINICA TREDECIMA

ad vesp̄eras

Antiphona: Benedíctus. Ps. ipsum.

Capitulum

Fratres! Abrahæ dictæ sunt promissiónes et sémini eius; non dicit: semínibus, quasi multis, sed quasi in uno: et sémini tuo, qui est Christus. Deo.

Responsorium

Antequam cómedam, suspíro, et tamquam inundántes aquæ, sic rugítus meus, quia timor, quem timébam, événit mihi, et quod verébar, áccidit. * Nonne dissimulávi, nonne sílui? Et iam quiévi, et venit super me indignátio tua, Dómine. **V.** Nolo multa fortitúdine conténdat mecum, nec magnitúdinis suæ mole me premat, æquitátem propónat contra me. Nonne.

Hymnus: O, Pater sancte. Versiculus: Vespertína orátio.

Ad Magnificat antiphona

Cum audísset Iob nuntiórũ verba, sustínuit patiénter, et ait: Si bona suscepimus de manu Dómini, mala autem quare non sustineámus? In ómnibus híis non peccávit Iob lábiis suis, neque stultum áliquid contra Deum locútus est.

Oratio

Omnípotens, sempitérne Deus: da nobis fidei, spei et caritátis augméntum, et ut mereámur asséqui, quod promíttis, fac nos amáre, quod précipis. Per.

Suffragia, ut supra.

Lectio I.

Vir erat in terra Hus, nómine Iob. Et erat vir ille simplex et rectus · ac timens Deum, et recédens a malo. Natíque sunt ei septem fílii et tres fíliæ. Et fuit posséssio eius septem mília óvium · et tria mília camelórum. Quingénta quoque iuga boum, et quingéntæ ásinæ, ac família multa nimis. Tu.

Responsorium



Si bona suscepimus de manu Dómini, mala autem quare non sustineámus? * Dóminus dedit, Dóminus ábstulit, sicut Dómino plácuít, ita factum est. Sit nomen Dómini benedíctum! **V.** In ómnibus hiis non peccávit Iob lábiis suis, neque stultum áliquíd contra Deum locútus est. Dóminus.

Lectio II.

Et erat vir ille magnus inter omnes orientáles. Et ibant filii eius, et faciébant convívium per domos, unusquisque in die suo, et mitténtes, vocábant tres soróres suas, ut coméderent, et bíberent cum eis. Tu.

Responsorium: Antequam cómedam, **ut supra.**

Lectio III.

Cumque in orbem transíssent dies convívii, mittébat ad eos Iob, et sanctificábat illos. Consurgénsque dilúculo, offerébat Deo holocáusta per síngulos. Dicébat enim: Ne forte peccáverint filii mei, et benedíxerint Deo in córdibus suis! Sic faciébat Iob cunctis diébus. Tu.

Responsorium

Utinam appenderéntur peccáta mea, quibus iram mérui, * et calámitas, quam pátiar, in statéra. **V.** Quasi aréna maris, hęc grávior appáret, unde et verba mea dolóre sunt plena. Et calámitas.

Lectio IV.

Vir erat in terra Hus, nómine Iob. Idcirco sanctus vir, ubi habitáverit, dícitur, ut eius méritum virtútis exprimáture. Hus namque, quis nésciat, quod sit terra gentílium? Gentílitas vero eo obligáta vítiis éxstitit, quo cognitióem sui conditóris ignorávit. Dicátur ítaque, ubi habitáverit, ut hoc eius láudibus proficiat, quod bonus inter malos fuit. Tu.

Responsorium



Quare detraxístis sermónibus veritátis, ad increpándum verba compónitis? Et subvértere nitímini amicum vestrum? * Verúmtamen quæ cogitástis, expléte! **V.** Milítia est vita hóminis super terram, et sicut dies mercenárii, dies eius. Verúmtamen quæ.

Lectio V.

Neque enim valde laudábile est bonum esse cum bonis, sed bonum esse cum malis. Sicut enim gravióris culpæ est · non esse bonum inter bonos, ita imménsi est præcónii, bonum étiam inter malos exstitísse. Hinc est, quod idem beátus Iob, síbimet attestátur, dicens: Frater fui dracónum, et sócius strutiónum. Tu.

Responsorium



Indúta est caro mea putrédine, et sórdibus púlveris cutis mea áruit, et contrácta est. * Meménto mei, Dómine, quia ventus est vita mea! **V.** Dies mei, sicut umbra, declinavérunt, et ego, sicut fenum, áruí. Meménto.

Lectio VI.

Hinc Petrus magnis Loth láudibus éxtulit, quia bonum inter réprobos invénit, dicens: “Et iustum Loth oppréssum, a nefandórum impúdica conversatióne erípuit.” Aspéctu enim et audítu iustus erat, hábitans inter eos, qui de die in diem ánimam iusti iníquis opéribus cruciábant. Tu.

Responsorium



Meménto mei, Deus, quia ventus est vita mea, * nec aspíciat me visus hóminis. **V.** De profúndis clamávi ad te, Dómine, Dómine, exáudi vocem meam! Nec aspíciat.

Secundum Lucam

In illo tēpore. Dixit Iesus discíplis suis: Beáti óculi, qui vident, quæ vos vidétis. Dico enim vobis, quod multi reges et prophétæ voluerunt videre, quæ vos vidétis, et non vidérunt, et audíre, quæ audítis, et non audierunt. Et réliqua.

Homélia venerábilis Bedæ presbýteri.

Lectio VII.

Ecce, quidam legisperítus surréxit, tentans eum, et dicens: "Magíster, quid faciéndó, vitam ætérnam possidébo?" Legisperítus, qui de vita ætérna Dóminum tentans intérogat, occasiónem, ut reor, tentándi de ipsis Dómini sermónibus sumpsit. Ubi ait: "Gaudéte autem, quod nómina vestra scripta sunt in cælis." Sed ipse sua tentatióne declárat, quóniam vera sit illa Dómini conféssio, quæ Patri lóquitur: "Quod abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus, et revelásti ea párvulis." Tu autem.

Responsorium



Ne abscondas me, Dómine, a fácie tua, * manum tuam longe fac a me, et formído tua non me térreat! **V.** Voca me, et respondébo tibi, aut certe loquar, et tu respónde mihi! Manum tuam.

Lectio VIII.

Et ille dixit ad eum: In lege quid scriptum est? Quómodo legis? Ille respóndens, dixit: Díliges Dóminum, Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota ánima tua, et ex ómnibus víribus tuis, et ex omni mente tua, et próximum tuum, sicut teípsum! Dum legisperíto respóndet, perféctum nobis Salvátor iter vitæ cæléstis osténdit, cui primo de dilectióne Dei et próximi legis scripta proponénti dicit: Recte respondísti, hoc fac, et vives! Tu.

Responsorium



Numquid Dóminus supplántat iudícium, aut Omnípotens subvértit, quod iustum est? * Líbera me, Dómine, et pone me iuxta te, et

cuiúsviſ manus pugnet contra me! **V.** Apprehénde arma et scutum, et exsúrge in adiutórium mihi! Líbera me.

Lectio IX.

Deínde post indúctam parábolam, respondénti illum fuísse próximum vulneráto, qui fecit misericórdiam in illum, adiécit: “Vade, et tu fac simíliter”, id est tali misericórdiæ stúdio próximum tuum necesse habéntem dilígere et sustentáre meménto; apertíssime declárans solam esse dilectiónem, et ipsam non verbótenus ostentátam, sed óperis exsecutióne probátam, quæ perpétuam ducat ad vitam. Tu.

Responsorium



Nocte os meum perforátur dolóribus, et qui me cómedunt, non dórmiunt; a multitudíne eórum consúmitur vestiméntum meum. Comparátus sum luto, et assimilátus sum favíllæ et cíneri. **V.** O, custos hóminum, quare me posuísti contrárium tibi, et factus sum mihimetípsi gravis. Parce mihi, Dómine, nihil enim sunt dies mei! Comparátus.

Laudes

Indúti sunt [sic], **et cetera.**

Ad Benedictus, antiphona



Dico autem vobis, quod multi reges et prophétæ voluérunt vidére, quæ vos vidétis, et non viderunt, et audíre, quæ audítis, et non audiérunt.

Ad sextam

Capitulum

Fratres! Hoc dico testaméntum confirmátum a Deo, quæ post quadringéntos et trigínta annos facta est lex, non írritum facit, ad evacuándam promissionem, nam si ex lege heréditas, iam non ex promissione, Abrahæ enim per repromissionem donávit Deus. Deo.

Ad nonam

Capitulum

Fratres! Lex ergo advérsus promíssa Dei. Absit! Si enim data esset lex, quæ posset vivificáre, vere ex lege esset iustítia, sed conclúsit Scriptúra ómnia sub peccáto, ut promíssio ex fide Iesu Christi darétur credéntibus.

Ad Magnificat antiphona



Homo quidam descendébat ab Ierúsalem in Iéricho, et incidit in latrónes, qui étiam despoliavérunt eum, et plagis impósitis, abiérunt semivívo relícto.

Per hebdomadam

Lectio I.

Factum est quadam die, cum veníssent fílii Dei, et starent coram Dómino, veníssset quoque et Sathan inter eos, et staret in conspéctu eius, ut díceret Dóminus ad Sathan: Unde venis? Tu.

Lectio

Qui respóndens, ait: Circuívi terram, et perambulávi eam. Et dixit Dóminus ad Sathan: Numquid considerásti servum meum, Iob, quod non est símilis ei in terra? Tu autem.

Lectio

Vir simplex et rectus ac timens Deum, et recedens a malo, et adhuc retinens innocentiam. Tu autem commovisti me adversus eum, ut affligerem eum frustra. Tu.

Lectio

Respondens Sathan Domino, ait: Pelle pro pelle, et cuncta, quæ habet homo, dabit pro anima sua. Alioquin mitte manum tuam, et tange os eius et carnem, et tunc videbis, quod in faciem benedicat tibi. Tu.

Lectio

Dixit ergo Dominus ad Sathan: Ecce, in manu tua est, verumtamen animam eius serva! Egressus igitur a facie Domini Sathan, percussit Iob ulcere pessimo a planta pedis usque ad verticem eius, qui testa saniem radebat, sedens in sterquilinio. Tu autem.

Lectio

Dixit autem illi uxor sua: Adhuc tu permanes in simplicitate tua? Benedic Deo, et morere! Qui ait ad illam: Quasi una de stultis mulieribus locuta es. Tu.

Lectio

Si bona suscepimus de manu Domini, mala autem quare non sustineamus? In omnibus hiis non peccavit Iob labiis suis. Igitur audientes tres amici Iob omne malum, quod accidisset ei, venerunt singuli de loco suo. Tu autem.

Lectio

Héliphas Themánites, et Baldath Súites, et Sophar Naamáthites. Condixerant enim, ut pariter venirent, et visitarent eum, et consolaréntur. Cumque levassent procul oculos suos, non cognoverunt eum. Tu.

Lectio

Et exclamantes, ploraverunt, scissisque vestibus, sparserunt pulverem super caput suum in cælum, et sederunt cum eo in terra septem diebus et septem noctibus, et nemo loquebatur ei verbum, videbant enim dolorem esse vehementem.

DOMINICA QUARTEDECIMA

Capitulum

Fratres! Spíritu ambuláte, et desidéria carnis non perficiétis, caro enim concupíscit advérsus spíritum, spíritus autem advérsus carnem; hæc enim sibi ínvicem adversántur, ut non, quæcúmque vultis, illa faciátis. Deo.

Responsorium: Antequam cómedam.

Ad Magnificat antiphona



Quantas hábeo iniquitátes et peccáta, respónde mihi, cur fáciem tuam avértis, et arbitráris me inimícum tuum?

Oratio

Custódi, quæsumus Dómine, Ecclésiam tuam propitiatióne perpétua, et quia sine te lábitur humána mortalitas, tuis semper auxiliis et abstrahátur a nóxiis, et ad salutária dirigátur. Per.

Suffragia, ut supra.

Lectio I.

Respóndens autem Iob, dixit: Utinam appenderéntur peccáta mea, quibus iram mérui, et calámitas, quam pátor, in statéra. Quasi aréna maris, hoc grávius apparéret. Unde et verba mea dolóre sunt plena, quia sagíttæ Dómini in me sunt, quarum indignátio ebíbit spíritum meum, et terróres Dómini mílitant contra me. Tu.

Responsorium: Si bona suscepimus, ut supra.

Lectio II.

Numquid rúgiet ónager, cum habúerit herbam? Aut múgiet bos, cum ante præsepe plenum stéterit? Aut cómedi póterit insúlsum, quod non est sale condítum? Aut potest áliquis gustáre, quod gustátum affert mortem? Animæ esuriénti · étiam amára dúlcia esse vidéntur. Tu autem.

Lectio III.

Quæ prius tângere nolébat ánima mea, nunc præ angústia cibi mei sunt. Quis det, ut véniat petítio mea, aut quod expécto, tríbuat mihi Deus? Et qui cepit, ipse me cónterat, solvat manum suam, et succídat me, et hæc mihi sit consolátio, ut affligens me dolóre non parcat, nec contradícam sermónibus sanctis. Tu autem.

Lectio IV.

“Utinam appenderéntur peccáta mea, quibus iram mérui, et calámitas, quam pátiar, in statéra; quasi aréna maris, hæc grávior appareret.” Quis álius statéræ nómine, nisi Dei et hóminum mediátor exprimitur, qui ad pensándum vitæ nostræ méritum venit, ac secum iustítiam simul et misericórdiam détulit. Tu.

Lectio V.

Sed misericórdiæ lance præpónderans, culpas nostras parcéndo levigávit. In manum étenim Patris, quasi statéra miri libráminis factus, hinc in se calamitátem nostram et illinc peccáta suspéndit. Sed gravi pónderis calamitátem, moriéndo innótuit, et apud misericórdiam leve esse peccátum, relaxándo monstrávit, quia hoc præmíum grátiae cóntulit, quia pœnam nostram nobis cognoscíbilem fecit. Tu.

Lectio VI.

Homo namque ad contemplándum auctórem cónditus, sed exigéntibus méritis, ab intérnis gáudiis deiéctus, in ærúmnam corruptiónis ruens, cæcitatém exsílíi sústinens, culpæ suæ supplícia et tolerábat et nesciébat, ita ut exsílíum pátriam créderet, et sic sub corruptiónis póndere, quasi in salutis libertáte gauderet. Tu autem.

Secundum Lucam

In illo témpore. Cum iret Iesus in Ierúsalem, transíbat per médiam Samáriam et Galilæam. Et cum ingrederétur quoddam castéllum, occurrerunt ei decem viri leprósi. Et réliqua.

Homélia venerábilis Bedæ presbýteri.

Lectio VII.

Leprósi non absúrde intélligi possunt, qui sciéntiam vere fídei non habéntes, várias doctrínas profiténtur erróris. Non enim vel abscondunt imperítiam suam, sed pro summa perítia próferunt in

luce, et iactántiam sermónis osténtant. Nulla porro doctrína falsa est, quæ non áliqua vera intermísceat. Tu.

Lectio VIII.

Vera ergo falsis inordináte permíxta, in una disputatióne vel narratióne hóminis, tamquam in uníus córporis colóre apparéntia, signant lepram, tamquam veris falsisque colórum locis, humana córpora variántem atque maculántem; hii autem tam vitándi sunt Ecclésiæ, ut si fieri potest, longíus remóti, magno clamóre Christum interpéllent. Unde et apérte subiúngitur: “Qui stetérunt a longe, et levavérunt vocem, dicéntes: Iesu, præcéptor, miserére nostri!” Tu.

Lectio IX.

Et bene, ut salvéntur, Iesum præceptórem nóminant. Quia enim in eius verbis se erráre signíficant, hunc salvándi humíliter præceptórem vocant. Cumque ad cognitiónem Redemptóris rédeunt, mox ad formam salutis recúrrunt. Quos ut vidit, dixit: “Ite, osténdite vos sacerdotibus!” Et factum est, dum irent, mundáti sunt. Tu.

Ad Benedictus antiphona



Cum intráret Iesus quoddam castéllum, occurrérunt ei decem viri leprósi, qui stetérunt a longe, et levavérunt vocem suam, dicéntes: Iesu præcéptor, miserére nostri!

Ad sextam

Capitulum

Fratres! Fructus Spíritus est caritas, gáudium, pax, paciéntia, longanimitas, bónitas, benígnitas, mansuetúdo, fides, modéstia, continéntia, cástitas; advérsus huiúsmodi non est lex. Deo.

Ad nonam

Capitulum

Fratres! Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, et cum concupiscentiis. Deo.

Ad Magnificat antiphona



Nonne decem mundati sunt, et novem ubi sunt? Non est inventus, qui rediret, et daret gloriam Deo, nisi hic alienigena? Vade, quia fides tua te salvum fecit, alleluia!

Per hebdomadam

Lectio I.

Respondens Iob, dixit: Respondete, obsecro, absque contentione, et loquentes id, quod iustum est, iudicate, et non inveniatis in lingua mea iniquitatem, nec in faucibus meis stultitia personabit! Tu autem.

Lectio

Militia est enim vita hominis super terram, et sicut dies mercennarii, dies eius. Sicut servus desiderat umbram, et sicut mercennarius praestolatur finem operis sui, sic et ego habui menses vacuos, et noctes laboriosas enumeravi mihi. Tu.

Lectio

Si dormiero, dico: Quando consurgam, et rursus expectabo vesperam, et replerbor doloribus usque ad tenebras. Induta est caro mea putredine et sordibus pulveris, cutis mea aruit, et contracta est. Tu.

Lectio

Dies mei velocius transierunt, quam a texente tela succiditur, et consumpti sunt absque ulla spe. Mememento mei, quia ventus est vita mea, et non revertetur oculus meus, ut videat bona, nec aspiciat me visus hominis, sed oculi tui in me, et non subsistam! Tu autem.

Lectio

Sicut consúmitur nubes, et pertránsit, sic qui descénderit ad ínferos, non ascéndet, nec revertétur ultra in domum suam, neque cognóscet eum ámplius locus eius. Tu autem.

Lectio

Quápropter et ego non parcam ori meo, loquar in tribulatióne spíritus mei, confabulábor cum amaritúdine ánimæ meæ. Tu autem.

Lectio

Numquid mare sum ego aut cetus, quia circumdedísti me cárcere? Si díxero: consolábitur me léctulus meus, et relevábor, loquens mecum in stratu meo, terrébis me per sómnia, et per visiónes horróre concúties. Tu.

Lectio

Quámobrem elégit suspéndium ánima mea, et mortem ossa mea; desperávi, nequáquam ultra iam vivam. Tu autem.

Lectio

Respóndens Baldach Súites, dixit: Usquequo lóqueris tália, et spíritus múltiplex sermónes oris tui? Numquid Deus supplántat iudícium, et Omnípotens subvértit, quod iustum est? Tu autem.

DOMINICA QUINTADECIMA

Capitulum

Fratres! Si vívimus spírítu, spírítu et ambulémus; non efficiámur inánis glóriæ cupídi, ínvicem provocánte, ínvicem invidénte! Deo.

Responsorium



Omni témpore bénedic Deum, et pete ab eo, ut vias tuas dírigat, * et omni témpore consília tua in ipso permáneant! **V.** Memor esto, fili, quóniam páuperem vitam gérimus; habébis multa bona, si timúeris Deum. Et omni.

Hymnus: O, Pater sancte. **Versiculus:** Vespertína orátio.

Ad Magnificat antiphona



Ne reminiscáris, Dómine, delícta mea vel paréntum meórum, neque vindíctam sumas de peccátis meis!

Oratio

Ecclésiám tuam, Dómine, miserátio continuáta mundet et múniat, et quia sine te non potest salva consístere, tuo semper múnere gubernétur. Per.

Lectio I.

Tóbias, ex tribu et civitáte Néphtalim, quæ est in superiórius pártibus Galiléæ, super Náason, post viam, quæ ducit ad occidentem, in sinístro habens civitátem Sephet, cum captus esset in diébus Salmánasar, regis Assyriórum, in captivitáte tamen pósitus viam veritátis non deséruit, ita ut ómnia, quæ habére póterat, cottídie cum cáptivis frátribus, qui erant ex géneré suo, impartíret (sic). Tu autem.

Responsorium



Peto, Dómine, ut de vínculo impropérii huius absólvas me, aut certe désuper terram erípias me. * Ne reminiscáris, Dómine, delícta mea vel paréntum meórum, neque vindíctam sumas de peccátis meis, quia éruis sustinéntes te, Dómine! **V.** Omnia enim iudícia tua iusta sunt, et omnes viæ tuæ misericórdia et véritas, et nunc, Dómine, meménto mei! Ne reminiscáris, Dómine.

Lectio II.

Cumque esset iúnior ómnium in tribu Néphthalim, nihil tamen pueríle gessit in ópere. Dénique, cum irent omnes ad vítulos áureos, quos Ieróboam fécerat, rex Israel, hic solus fugiébat consórtia hómínium, sed pergébat Ierúsalem, ad templum Dómini, et ibi adorábat Dóminum, Deum Israel. Tu autem.

Responsorium: Omni témpore bénedic Deum, **ut supra.**

Lectio III.

Omnia primitíva sua et décimas suas fidéliter ófferens, ita ut in tértio anno prozélitis et ádvenis ministráret omnem decimatiónem, hoc et hiis simília, secúndum legem Dei puérulus observábat. Cum vero factus fuísset vir, accépit uxórem Annam de tribu sua, genuítque ex ea fílium, nomen suum impónens ei, et ab infántia eum timére Deum dócuit, et abstinére ab omni peccáto. Tu autem.

Responsorium



Memor esto, fili, quóniam páuperem vitam gérimus. * Habébis multa bona, si timéris Deum. **V.** Fidúcia magna erit coram summo Deo eleemósyna, ómnibus, qui faciunt eam. Habébis.

Lectio IV.

Felix ille, qui intélligit super egénium et páuperem, in die mala liberábit eum Dóminus. Intélligere ergo debémus super egénium et páuperem. Hoc est ergo intélligere super super egénium et páuperem, ut rogári a

tálibus non exspectémus. Neque enim illa misericórdia deputánda est, quæ clamóribus extorquetúr. Tu.

Responsorium



Sufficiébat nobis paupértas nostra, ut divítiae computaréntur. Numquam fuisset pecúnia ista, pro qua misisti filium nostrum, * báculum senectútis nostræ! **V.** Heu me, fili mi, ut quid te mísimus peregrinári, lumen oculórum nostrórum! Báculum.

Lectio V.

Aut non ille mercédem sui óperis pécipit, qui diu se pátitur deprecári, quóniam non fecit mandátum Dei, sed précibus præstitit, misericórdiam suam lácrimis véndidit. Qui autem intélligit ultro largítur, et signáto magis siléntio decélat, ne opus suum, quod occúltum esse desíderat, ipsa vox páuperis prodat. Tu.

Megnézni ezt az egészet szavakkal együtt!

Responsorium



Benedícite Deum cæli, et coram ómnibus vivéntibus confitémini ei, * quia fecit nobiscum misericórdiam suam! **V.** Tempus est, ut revértar ad eum, qui me misit; vos autem benedícite Deum! Quia fecit.

Lectio VI.

Sicut in Evangélio scriptum est: "Cum facis eleemósynam, noli tuba cánere ante te, sicut hypócritæ faciunt in synagógis et in vicis, ut videántur ab homínibus. Amen dico vobis, recepérunt mercédem suam. Tu autem, cum facis eleemósynam, nésciat sinístra tua, quid faciat délixtera tua, sed sit eleemósyna tua in absconso, et Pater tuus, qui videt, reddet tibi." Tu autem.

Responsorium



Tempus est, ut revértar ad eum, qui me misit; vos autem benedícite Deum, * et enarráte ómnia mirabília eius! **V.** Benedícite Deum cæli, et coram ómnibus vivéntibus confitémini ei! Et enarráte.

Secundum Mattheum

In illo témpore. Dixit Iesus discípulis suis: Nemo potest duóbus dóminis servíre. Aut enim unum ódio habébit, et álterum díliget, aut unum sustinébit, et álterum contémnet. Et réliqua.

Homélia beáti Augustíni epíscopi.

Lectio VII.

Nemo potest duóbus dóminis servíre. Ad hanc ipsam intentiónem referéndum est, quod consequénter expónit, dicens: *Aut enim unum ódio habébit, et álterum díliget, aut unum sustinébit, et álterum contémnet.* Quæ verba diligénter consideránda sunt. Nam qui sunt duo dómini, deinceps osténdit, cum dicit: *Non potéstis Deo servíre, et mammónæ.* Tu.

Responsorium



Adonái, Dómine Deus, magne et mirábilis, qui dedísti salútem in manu féminæ, * exáudi preces servórum tuórum! **V.** Benedíctus es, Dómine, qui non derelínquis præsuméntes de te, et de sua virtúte gloriántes humílias. Exáudi.

Lectio VIII.

Mammóna apud Hebræos · divítiae appellári dicúntur. Sed qui servit mammónæ, illi útique servit, qui rebus istis terrénis mérito suæ perversitátis præpósitus, magistrátus huius sæculi a Dómino dicitur. Aut ergo unum ódio habébit, et álterum díliget homo, id est Deum, aut unum sustinébit, et álterum contémnet. Tu autem.

Responsorium



Tribulatiónes civitatúum audívimus, quas passæ sunt, et defécimus. Timor et hebitúdo mentis cécidit super nos et super líberos nostros, ipsi montes nolunt recípere fugam nostram, * Dómine, miserére! **V.** Peccávimus cum pátribus nostris, iniúste égimus, iniquitátem fécimus. Dómine.

Lectio

Sustinébit enim durum et perniciosum dóminum, quisquis servit mammónæ. Sua enim cupiditáte implicátus · súbditur diábolo, et non eum díligit. Quis est enim, qui díligat diábolum? Sed tamen sustinébit. Si in maióre áliqua domo, quis ancillæ aliénæ coniúctus est propter cupiditátem suam, duram pátitur servitútem, étiam si non díligit eum, cuius ancillam diléxit. Alterum contémnet, dicit, non ódio habébit. Nullíus enim consciéntia ferre potest Deum odísse. Contémnet autem, id est non timet, cum quasi de eius bonitáte secúrus est. Sed qui vult díligere Deum, et cavére, ne offéndat, non se arbitrétur duóbus dóminis posse servíre. Tu autem.

Responsorium



Benedíxit te Dóminus in virtúte sua, qui per te ad níhilum redégit inimícos nostros, * ut non defíciat laus tua de ore hóminum. **V.** Subvenísti angústiaé géneris tui, et non pepercísti ánimæ tuæ. Ut non defíciat.

Ad Benedictus antiphona



Consideráte lília agri, quómo do crescunt; non labórant, neque nent. Dico autem vobis, quóniam nec Sálomon in omni glória sua coopértus est, sicut unum ex istis.

Ad sextam

Capitulum

Fratres! Si præoccupátus fúerit homo in áliquo delícto, vos, qui spiritáles estis, huiúsmodi instrúite in spírítu lenitátis, consíderans teípsum, ne et tu tentéris! Alter altérius ónera portáte, et sic adimplébitis legem Christi! Deo.

Ad nonam

Capitulum

Fratres! Bonum autem faciéntes non deficiámus, témpore enim suo metémus, non deficiéntes. Ergo, dum tempus habémus, operémur bonum ad omnes, máxime autem ad domésticos fídei! Deo.

Ad Magnificat antiphona



Nolíte sollíciti esse dicéntes: quid manducábimus, aut quid bibémus! Scit enim Pater vester cæléstis, quid vobis necesse sit, allelúia.

PER HEBDOMADAM

Lectio I.

Post multum tēporis, mórtuo Salmánasar rege, cum regnāret Sennácherib, fílius eius pro eo, et filios Israel exósus habéret in conspéctu suo, Tóbias pergébat per omnem cognatiónem suam, et consolabátur eos. Tu autem.

Lectio

Dividebátque unicuíque, prout póterat, de facultátibus suis. Esuriéntes alébat, nudísque vestiménta præbébat, et mórtuis atque occisis sepultúram sollícitus exhibébat. Tu autem.

Lectio

Dénique, cum revérsus esset rex Sennácherib, fúgiens a Iudáea plagam, quam Deus circa eum fécerat propter blasphemiam suam, et irátus multos occíderet ex filiis Israel, Tóbias sepeliébat córpora eórum. Tu.

Lectio

At ubi nuntiátum esset regi, iussit eum occídi, et tulit omnem substántiam eius. Tóbias vero cum fílio suo et cum uxóre sua, fúgiens nudus látuit, quia multi diligébant eum. Tu autem.

Lectio

Post dies vero quadragínta quinque, occidérunt regem fílii eius, et revérsus est Tóbias ad domum suam, omnísque facúltas eius restitúta est ei. Tu autem.

Lectio

Post hæc, cum esset festus dies Dómini, et factum esset prándium bonum in domo Tóbiæ, dixit fílio suo: Vade, et adduc áliquos de tribu nostra, timéntes Deum, et epuléntur nobíscum! Tu autem.

Lectio

Cumque abiísset, revérsus nuntiávit unum ex filiis Israel, iugulátum iacére in platéa. Statímque exsiliens de accúbitu suo, relínquens prándium, ieiúnus pervénit ad corpus. Tu autem.

Lectio

Tollénsque illud, portávit ad domum suam occúlte, ut dum sol occubuísset, caute sepelíret eum. Cumque occultáset corpus, manducávit panem cum luctu et tremóre. Tu autem.

Lectio

Mémorans illum sermónem, quem Dóminus dixit per Amos prophétam: “Dies festi vestri converténtur in lamentatióem et luctum.” Cum vero sol occubuísset, ábiit, et sepelívit eum. Tu.

DOMINICA SEXTADECIMA

Capitulum

Fratres! Obsecro vos, ne deficiátis in tribulatió nibus meis pro vobis, quæ est glória vestra, huius rei grátia flecto gēnu a mea ad Patrem Dómini nostri, Iesu Christi, ex quo omnis patérnitas in cælo et in terra nominátur. Deo.

Responsorium: Tribulatió nes civitatú m, *ut supra*.

Ad Magnificat antiphona



Adonái, Dómine Deus, magne et mirábilis, qui dedísti salútem in manu féminæ, exáudi preces servórum tuórum!

Oratio

Tua nos, quæsumus, Dómine, grátia semper prævéniat et sequátur, ac bonis opéribus iúgiter præstet esse inténtos. Per.

Suffragia, ut supra.

Lectio I.

In diébus illis. Præcépit Holoférnes exercítibus suis, ut ascénderent contra Bethúliam. Erant autem pédites bellatórum centum vigínti mília, et équites vigínti duo mília · præter præparatiónes virórum, quos occupáverat captívitas, et addúcti fúerant de provinciis et úrbibus univérsæ iuventútis, omnes páriter paravérunt se ad pugnam · contra filios Israel. Tu autem.

Responsorium



Adonái, Dómine Deus, magne et mirábilis, qui dedísti salútem in manu féminæ, * exáudi preces servórum tuórum! **V.** Benedíctus es, Dómine, qui non derelínquis præsuméntes de te, et de sua virtúte gloriántes humílias. Exáudi.

Lectio II.

Et venérunt per crepidínem montis usque ad ápicem, qui réspicit Dóthaim, a loco, qui est contra Esdrelon. Fílii autem Israel, ut vidérunt multitudínem illórum, prostravérunt se super terram, mitténtes cíneres super cápita sua, unánimes orántes, ut Deus Israel misericórdiam suam osténderet super pópulum suum. Tu autem.

Responsorium: Tribulatiónes civitátum.

Lectio III.

Et assuméntes arma sua bélica, sedérunt per loca, quæ angústi itínemis trámitem dírigunt inter montuósa, et erant custodiéntes ea tota nocte et tota die. Porro Holofernes, dum círcuit per gyrum, répperit, quod fons, qui influébat aquæductum illórum a parte austráli, extra civitátem dírigeret, et incídi præcépit aquæductum. Erant tamen non longe a muris fontes, ex quibus furtim videbántur hauríre aquam, ad refocillándum pótius, quam ad potándum. Tu.

Responsorium: Benedíxit te.

Lectio IV.

Fratres! Apóstolus, cum de eleemósynis plebem monéret, consílium, inquit, hoc do. Hoc enim vobis prodest, quod non solum fácere, sed et velle cœpístis ab anno prióre. Nam si divítias vestras páuperum córdibus commendétis, quómodo eas póstmodum aut fur áppetat, aut prædo vastet, aut tínea cómedat, aut rubígo corrúmpat, aut quod est perniciosus, iniústum tempus assúmet? Tu autem.

Responsorium



Nos álium Deum nescímus præter Dóminum, in quo sperámus, qui non despíciat nos, * nec ámovet salútem suam a gènere nostro. **V.** Exspectémus húmiles consolatióem eius, qui non derelínquet nos! Nec.

Lectio V.

Sed quod tunc opes nostræ ad Dóminum tránseant, atque óccupent cælum, Dóminus hoc refert: “Si paupéribus tribuéntes, cælestia mandáta servémus, huic ergo óperi, fratres caríssimi, totis víribus insisténdum est; hæc Dei volúntas sine vacatióne áliqua semper et

ubíque complénda est. Solum enim est, et hoc erit tantúmmodo, prosit ab excéssibus liberátum, dum ómnia odiósa sint, cum transcénderint modum. Sola misericórdia modum non habet. Ipsa tantum est, cuius nimíetas placet, cuius oblétet enórmitas, cuius laudábilis possit esse profúsis. Tu.

Responsorium



Dominátor, Dómine cælórum et terræ, creátor aquárum, rex univérsæ creatúræ tuæ, * exáudi oratióem servórum tuórum! **V.** Dómine, Deus exercítuum, magne et mirábilis. Exáudi oratióem.

Lectio VI.

Quid est oratióne præclárius, quid vitæ nostræ utílius, quid ánimo dúlcis, quid in tota nostra religióne sublímius? Orátio est, quæ nos, cristiános próvocat, orátio est, qua cum Deo lóquimur, qua Patrem didícimus, qua univérsa desidéria nostra in conspéctu maiestátis eius effúndimus, orátio est, quæ cælos pénétrat, nubes tránsiit, Dei aures attingit. Hæc univérsis grádibus in Ecclésia necessária est, hæc catechúminis spíritum, fidélibus præsidium, peténtibus solátium præstat. Tu autem.

Responsorium



Dómine, Deus, qui cónteris bella ab initio, réleva bráchium tuum super gentes, quæ cógitant servis tuis mala, * et dextera tua glorificétur in nobis! **V.** Erige bráchium tuum, sicut a princípío, et allíde virtútem eórum! Et.

Secundum Lucam

In illo témpore. Ibat Iesus in civitátem, quæ vocátur Naim, et ibant cum illo discípuli eius, et turba copiósa. Et réliqua.

Homélie venerábilis Bedæ presbýteri.

Lectio VII.

Naim civitas est Galilææ, in secúndo milliário Tobar montis, contra merídiem, iuxta Endor, qui est vicus grandis in quarto milliário

eiúsdem, ad merídiem montis. *Et ibant cum eo discípuli eius, et turba copiósa. Cum autem appropinquáret portæ civitátis, ecce defúnctus efferebátur, fílius únicus matris suæ.* Tu.

Responsorium



Dómine, rex omnípotens, in ditióne tua cuncta sunt pósita, et non est, qui possit resístere voluntáti tuæ. * Líbera nos propter nomen tuum! **V.** Exáudi oratióne nostram, et convérte luctum nostrum in gáudium! Líbera.

Lectio VIII.

Defúnctus hic, qui extra portam civitátis · multis est intuéntibus elátus, significat hóminem letáli críminum fúnere soporátum, eandémque ínsuper ánimæ mortem, non cordis adhuc cubíli tegéntem, sed ad multórum notítiam · per locutiónis, operísve iudícium; quasi per suæ óstia civitátis propalántem. Tu autem.

Responsorium



Confórta me, rex, sanctórum principátum tenens, * et da sermónem rectum et bene sonántem in os meum! **V.** Da nobis, Dómine, locum pæniténtiæ, et ne claudas ora canéntium te, Dómine! Et da sermónem.

Lectio IX.

Qui bene únicus fílius matris suæ fuisse perhibétur, quia licet e multis collécta persónis, una sit perfécta et immaculáta virgo, et mater Ecclésia, sínguli quique tamen fidélium, universális se Ecclésiæ filios rectíssime faténtur. Nam eléctus quilibet, quando ad fidem imbúitur, fílius est; quando álios ímbuit, mater est. An non matérno erga párvulos agébat afféctu, qui ait: “filióli mei, quos íterum partúrio, donec formétur Christus in vobis”? Tu autem.

Responsorium

Spem in álium numquam hábui, præter in te, Deus Israel, qui irásceris, et propítius eris, * et ómnia peccáta hóminum in tribulatióne dimíttis. **V.** Qui regis Israel, inténde, qui dedúcis, velut ovem, Ioseph.

Ad Benedictus antiphona

Iesus ibat in civitatē Naim, et ibant cum illo discípuli eius et turba copiósā. Cum autem appropinquáret portæ civitatís, ecce defúnctus efferebátur, fílius únicus matris suæ.

Ad sextam**Capitulum**

Fratres! In caritatē radicáti et fundáti, ut possítis comprehendére cum ómnibus sanctis, quæ sit latitúdo, longitúdo, sublímítás et profúndum, scire étiam supereminéntem sciéntiæ caritatē Christi, ut impleámini in omnem plenitúdinem Dei. Deo.

Ad nonam**Capitulum**

Fratres! Ei, qui potens est ómnia fácere superabundánte, quam pétimus, aut intelligimus, secúndum virtútem, quo operátur in nobis, ipsi glória in Ecclésia, quæ est in Christo Iesu, in omnes generatiónes sæculi sæculórum.

Ad Magnificat antiphona



Accéssit Iesus ad lóculum, et ait adolescénti: “Tibi dico, surge!” Et surréxit, qui erat mórtuus, et cœpit loqui, allelúia.

Per hebdomadam

Lectio I.

Sed fílii Ammon et Moab accessérunt ad Holoférnem, dicéntes: “Fílii Israel non in láncea, nec in sagíttis confídunt, sed montes deféndunt illos, et múniunt illos colles, in præcipítio constitúti. Tu.

Lectio

Et ergo sine congressióne pugnæ possis superáre eos. Pone custódes fóntium, ut non háuriant ex eis, et sine gládio interfícies eos, vel certe fatigáti tradent civitátem suam, quam putant in móntibus pósitam superári non posse. Tu autem.

Lectio

Et placuérunt verba hęc coram Holoférne, et coram ómnibus satellítibus eius, et constitúit per gyrum centenários, per síngulos fontes. Tu autem.

Lectio

Cumque ista custódia per vigínti dies fuísset expléta, defecérunt cistérnæ et collectiónes aquárum · ómnibus inhabitántibus Bethúliam, ita ut non esset intra civitátem, unde satiaréntur vel una die, quóniam ad mensúram dabátur pópulis aqua cottídie. Tu.

Lectio

Tunc ad Ozíam congregáti sunt omnes viri · ac féminæ, iúv[e]nes et párvuli, simul omnes una voce dixérunt: “Iudicet Deus inter nos et te, quóniam fecísti in nos mala, nolens loqui pacífice cum Assýriis.” Tu.

Lectio

Et propter hoc véndidit nos Deus in mánibus eórum, et ídeo non est, qui ádiuuet, cum prosternámur ante óculos eórum, in siti et

perditíone magna. Et nunc congregáte univérsos, qui in civitáte sunt, ut sponte nos tradámus omnes pópulo Holofernis! Tu.

FERIA QUARTA QUATTUOR TEMPORUM

Et est sciendum, quod quando vigilia Matthæi apostoli et evangelistæ evenerit feria quarta vel sexta, vel sabbato quattuor temporum, tunc prius homeliæ debent dici de quattuor temporibus, concludendo cum homelia vigiliæ cum duabus collectis. Suffragia de dominica, et de aliis per ordinem. Et preces dicuntur ad omnes horas, præter vesperas et completorium. Si autem festum eiusdem apostoli præfatis diebus evenerit, tunc totum officium fit de festo apostoli, cum homelia et collecta de quattuor temporibus. Preces autem dicuntur in matutinis tantum.

Secundum Marcum

In illo tempore. Respondens unus de turba, dixit ad Dóminum: “Magister, áttuli fílium meum ad te, habéntem spíritum mutum.” Qui ubicúmque eum apprehénderit, allídit eum, et spumat, et stridet déntibus, et aréscit. Et réliqua.

Homélia venerábilis Bedæ presbýteri.

Lectio I.

Notándum, quod semper loca rebus cóngruunt. In monte Dóminus orat, transformátur, discípulis arcána suæ maiestátis áperit. In inferióra descéndens, turbæ occúrsu excípitur, miserórum fletu pulsátur. Sursum discípulis mystéria regni réserat, deórsum turbis peccáta infidelitátis éxprobat. Tu.

Responsoria de dominica.

Lectio II.

Sursum Patris vocem hiis, qui sequi se póterant, pandit, deórsum spíritus malos ab hiis, qui vexabántur, expéllit, qui étiam nunc pro qualítate meritórum áliis ascéndere, áliis vero non desístit descéndere. Nam carnáles adhuc, et incipiéntes, quasi ima peténtes confórtat, docet, castígat. Tu.

Lectio III.

Perféc tos autem, quorum conversátio in cælis est, sublímius extolléndo gloríficat, libérius de ætérnis ínstruit, et sæpe ea, quæ a turbis nec audíri quidem váleant, docet. Dæmónia, cum hunc, quem descéndens de monte, Dóminus sanávit, Marcus surdum mutúmque descríbit, Matthéus vero lunáticum fúisse commémorat. Tu.

Laudes de psalterio.

Capitulum

Hæc dicit Dóminus Deus: Ecce, dies véniunt, et comprehendet arátor messórem, et calcátor uvæ mitténtem semen, et stillábunt montes dulcédinem, et omnes colles culti erunt. Deo.

Hymnus: Nox et ténebræ. *Ad Benedictus antiphona:* Salútem ex, *ut in psalterio.* *Preces dicuntur, ut supradicta.*

Oratio

Misericórdiæ tuæ remédiis, quæsumus, Dómine, fragílitas nostra subsístat, ut quæ sua conditióne attérritur, tua cleméntia reparétur. Per.

Cum oratione dominicali. Alia suffragia fiant per antiphonas et collectas.

Ad sextam**Capitulum**

Hæc dicit Dóminus: Convértam captivitátem pópuli mei, Israel, et ædificábunt civitátes desértas, et habitábunt is eis, et plantábunt víneas, et bibent vinum eárum. Deo.

Ad nonam**Capitulum**

Et fácient hortos, et cómedent fructus eórum, et plantábo eos super humum suam, et non evéllam eos ultra de terra, quam dedi eis, dicit Dóminus omnípotens. Deo.

Ad secundas vespas antiphona: Nisi tu, Dómine, *cum ceteris psalmis et antiphonis.* *Capitulum:* Dóminus autem dírigat. *Responsorium non dicitur.* *Hymnus:* Cæli Deus sanctíssime, *ut in psalterio.* *Versiculus:* Dírigátur. *Antiphona ad Magnificat, et collecta dicuntur de dominica, et nihil de quattuor temporibus.*

FERIA SEXTA

Homelia: Rogábat Iesum quidam pharisæus. **Quære in quadragesima, feria quinta post dominicam Iudica.**

Capitulum

Hæc dicit Dóminus Deus: Convértere, Israel, ad Dóminum, Deum tuum, quóniam corruísti iniquitáte tua; tóllite vobíscum verba, et convertímini ad Dóminum, et dícite ei: omnem aufer iniquitátem, et áccipe bonum, et reddémus vítulos labiórurum nostrórum! Deo.

Hymnus: Ætérna cæli, **ut supra.** **Ad Benedictus antiphona:** Per víscera. **Preces dicuntur.**

Oratio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut observatiónes sacras ánnua devotióne recoléntes, et córpore tibi placeámus, et mente. Per.

Ad sextam

Capitulum

Assur non salvábit nos, super equuum non ascendémus, nec dicémus ultra: dii nostri ópera mánuum nostrárum, quia eius, qui in te est, miseréberis, pópuli. Deo.

Ad nonam

Capitulum

Hæc dicit Dóminus Deus: Ego exáudiam, et dírigam eum. Ego, ut abíetem viréntem; ex me fructus tuus invéntus est. Quis sápiens, et intélligit ista? Intélliget, et sciet hoc, quia rectæ viæ Dómini, et iusti ambulábunt in eis. Deo.

Ad secundas vesperas, ut supra scripta sunt.

SABBATO

Secundum Lucam

In illo témpore. Dicébat Iesus turbis similitúdinem hanc: Arborem fici habébat quidam plantátam in vína sua, et venit, quærens fructum in ea, et non invénit. Et réliqua.

Homélia beáti Gregórii papæ.

Lectio I.

Dóminus et Redémptor noster, per Evangélium suum aliquándo verbis lóquitur, aliquándo rebus, aliquándo áliud verbis, atque áliud osténditur rebus, aliquándo áliter hoc verbis, quod et rebus. Duas étenim res ex Evangélio, fratres, audístis: ficúlneam infructuósam, et mulierem curvam, et utrúque rei est píetas impénsa. Tu autem.

Lectio II.

Illud autem dixit per similitúdinem, istud egit per exhibitiónem. Sed hoc significat ficúlnea infructuósa, quod múlier inclináta, et hoc ficúlnea reserváta, quod múlier erécta. Dóminus vínae tértio venit ad ficúlneam, et fructum mínime invénit; múlier, quæ erécta est, decem et octo annis fúerat curváta. Tu autem.

Lectio III.

Hoc autem per decem et octo annórum númerum signáatur, quod tértio Dóminus vínae ad infructuósam ficúlneam venísse perhibétur. Quia ígitur præmitténdo, summátim totam perstrínximus, iam per lectiónis órđinem síngula differámus. Arborem fici habébat quidam plantátam in vína, et venit quærens fructum in ea, et non invénit. Quid arbor fici, nisi humánam natúram significat? Quid múlier inclináta, nisi eándem natúram significándo denúntiat? Tu autem.

Cetera, ut supra. Preces dicuntur, ut supra dictum est.

Capitulum

In diébus illis. Locútus est Dóminus ad Móysen, dicens: Décimo die mensis huius séptimi · dies expiatiónum erit celebérrimus, et vocábitur sanctus; affligetísque ánimas vestras in eo, et offerétis holocáustum Dómino. Deo.

Hymnus: Auróra iam spargit. Antíphona: Illumináre, ut in psalterio. Responsorium: (sic) Benedíctus. Preces dicuntur ad horas.

Oratio

Omnípotens, sempitérne Deus, qui per continéntiam salutárem · et corpóribus medéris et méntibus: maiestátem tuam súpplíces exorámus, ut pia ieiunántium deprecatióne placátus, et præsentia nobis subsidiá præbeas et futúra. Per.

Ad sextam**Capitulum**

Omnis ánima, quæ afflícta non fúerit die hac, períbit de pópulis suis, et qui óperis quídpíam fécerit, delébo eam de pópulo suo. Deo.

Ad nonam**Capitulum**

Sábbatum requietiónis est. Affligetísque ánimas vestras · die nono mensis; a véspera usque ad vésperam celebrábitis sábbata vestra, dicit Dóminus omnípotens.

DOMINICA DECIMA SEPTIMA

Capitulum

Fratres! Obsecro vos ego, vinctus in Dómino, ut digne ambulétis vocatióne, qua vocáti estis, cum omni humilitáte et mansuetúdine, cum paciéntia, supportántes ínvicem in caritáte. Deo.

Responsorium



Exáudiat Dóminus oratiónes vestras, et reconciliétur vobis, nec vos déserat in témpore malo * Dóminus, Deus noster! **V.** Adapériat Dóminus cor vestrum in lege sua et in præcéptis suis, et fáciat pacem! Dóminus, Deus.

Hymnus: O, Pater sancte. **Versiculus:** Vespertína orátio.

Ad Magnificat antiphona



Adapériat Dóminus cor vestrum in lege sua et in præcéptis suis, et fáciat pacem in diébus nostris!

Oratio

Da, quáesumus, Dómine, pópulo tuo diabólica vitáre contágia, et te solum Deum pura mente sectári.

Cetera, ut supra.

Invitatorium



Adapériat Dóminus cor vestrum in lege sua * et in præcéptis suis, et fáciat pacem! **Ps.** Veníte.

Cetera de psalterio.

Lectio I.

Et factum est, postquam percússit Alexánder Philíppi Macédo, qui primus regnávit in Grácia, egressus est de terra Cethim · Dárium, regem Persárum et Medórum, et constitúit prœlia multa, et ómnium obtínuit munitiónes, et interfécit reges terræ, et pertránsiit usque ad fines terræ, et accépit spólia multítúdinis géntium, et síluit terra in conspéctu eius. Tu autem.

Responsorium



Adapériat Dóminus cor vestrum in lege sua et in præcéptis suis, et fáciat pacem in diébus vestris! * Concédát vobis salútem, et rédimat vos a malis! **V.** Exáudiat Dóminus oratiónes vestras, et reconciliétur vobis, nec vos déserat in témpore malo! Concédát.

Lectio II.

Et congregávit virtútem, et exercitum fortem nimis, et exaltátus est, et elevátum est cor eius, et obtínuit regiónes géntium, et tyránnos, et facti sunt illi in tribútum. Et post hæc décidit in lectum, et cognóvit, quia morerétur. Convocávit púeros suos nóbiles, qui secum erant nutriti a iuventúte sua, et divísit illis regnum suum, cum adhuc víveret. Tu autem.

Responsorium: Exáudiat, *ut supra.*

Lectio III.

Et regnávit Alexánder annis duódecim, et mórtuus est, et obtinuérunt púeri eius regnum eius · unusquisque in loco suo, et imposuérunt sibi omnes diadémata post mortem eius, et fílii eórum post eos annis multis. Et multiplicáta sunt mala in terra. Et éxiit ex eis radix peccátrix: Antíochus, illústris fílius Antíochi regis, qui erat Romæ obses. Et regnávit in anno centésimo tricésimo et séptimo regni Græcórum. Tu autem.

Responsorium



Tua est poténtia, tuum regnum, Dómine, tu es super omnes gentes; * da pacem, Dómine, in diébus nostris! **V.** Creátor ómnium Deus, terríbilis et fortis et iustus et miséricors. Da pacem.

Lectio IV.

Admonet nos Dóminus lectióne evangélica, ut loquámur vobis de impetrándo pane cælésti. Est enim panis terrénus terræ necessárius, quia caro nostra terra est. Fieri autem non posset, ut panem suum caro nostra habéret, et panem suum ánima non habéret. Etenim et ánima nostra in quadam egestáte in hoc sæculo eget pane suo, sicut caro. Tu.

Responsorium



Refúlsit sol in clípeos áureos, et resplenduérunt montes ab eis, * et fortitúdo géntium dissipáta est. **V.** Erat enim exércitus magnus valde et fortis, et appropinquábat Iudas et exércitus eius ad proelium. Et.

Lectio V.

Nam quis non eget pane? Deus ergo solus non eget pane. Ipse est enim panis ánimæ, qui pane altérius non eget, sed sufficiénter subsistet nos. Sanctus Dániel regi Nabuchodónosor dixit: Consílium meum áccipe, rex, et peccáta tua eleemósynis rédime! Tu.

Responsorium



Impetum inimicórum ne timuéritis, mémoires estóte, quómoado salvi facti sunt patres nostri, * et nunc clamémus in cælum, et miserébitur nostri Deus noster! **V.** Mementóte mirabíl[i]um eius, quæ fecit Pharaóni et exercítui eius in mari Rubro! Et nunc clamémus.

Lectio VI.

Si vero consílium est, quod accípimus, quando nobis iubétur vel quando monémur, ut áliquid ex eo, quod habémus, indigéntibus

præbeámus, non superbiámus, quando damus! Si enim consilium est, quod accepisti, tibi prodest plus, quam illi, cui dedisti. Non ergo nos extollámus super ópera nostra, et quasi placeámus nobis, quod beneficia præstémus eis, quibus damus. Tu autem.

Responsorium



In hymnis et confessiónibus benedicébant Dóminum, * qui magna fecit in Israel, et victóriam dedit illis Dóminus omnípotens. **V.** Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, et dedicavérunt altáre Dómino. Qui magna.

Secundum Lucam

In illo témpore. Cum intráret Iesus in domum cuiúsdam princípis pharisæórum sábbato manducáre panem, et ipsi observábant eum. Et ecce, homo quidam hydrópicus erat ante illum. Et réliqua.

Homélia venerábilis Bedæ presbýteri.

Lectio VII.

Hydrópis morbus ab aquóso humóre vocábulum trahit. Græce enim aqua hydor dicitur. Est autem humor subcutáneus de vítiis vesicæ natus, cum inflatióne turgénte et anhélitu foetido. Propriúmque est hydrópici, quanto magis abúndat humóre inordináto, tanto ámplius sitíre. Et ídeo recte comparátur ei, quem fluxus carnálium voluptátum exúberans, ággravat. Tu.

Responsorium



Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, et dedicavérunt altáre Dómino, * et facta est lætítia magna in pópulo. **V.** In hymnis et confessiónibus benedicébant Dóminum. Et.

Lectio VIII.

Comparátur díviti aváro, qui quanto est copiósior divítiis, quibus non bene útitur, tanto ardéntius tália concupíscit. “Et respóndens Iesus, dixit ad legisperítos et pharisæos: Si licet sábbato curáre? At illi tacuérunt.” Quod dicitur respondísse Iesus, ad hoc réspicit, quod

præmissum est; et ipsi observábant eum, Dóminus autem novit cogitatiónes hóminum. Sed mérito interrogáti tacent, qui contra se dictum quicquid díxerit, vident. Nam, si licet sábbato curáre, quare Salvatórem, an curat, obsérvant? Si non licet, quare ipsi sábbato curant? Tu.

Responsorium



Congregáti sunt inimíci nostri, et gloriántur in virtúte sua. Cóntere fortitúdinem illórum, Dómine, et dispérge illos, * ut cognóscant, quia non est álius, qui pugnet pro nobis, nisi tu, Deus noster. **V.** Dispérge illos in virtúte tua, et déstrue eos, protéctor noster, Dómine! Ut.

Lectio IX.

Ipse vero apprehénsus sanávit eum, ac dimísit. Próvida dispensatióne Dóminus ante legisperítos et pharisæos hydrópicum curat, et mox contra avarítiam dísputat, ut vidélicet per huius ægritúdinem corpóris, in illis exprimerétur ægritúdo cordis. Dénique post multa disputatiónis eius ornáménta · subiúñctum est. Audiébant autem ómnia hæc pharisæi, qui erant avári, et deridébant illum. Hydrópicus quippe, quo ámplius bíberit, ámplius sitit, et omnis avárus sitim múltiplicat. Qui cum ea, quæ áppetit, adéptus fúerit, ad appeténda ámplius ánhelat. Tu autem.

Responsorium



Dixit Iudas Simóni, fratri suo: Elige tibi viros, et vade, líbera fratres tuos, in Galiléam! Ego autem et Iónathas, frater meus, íbimus in Galádithin. * Sicut fúerit volúntas in cælo, sic fiat! **V.** Et nunc clamémus in cælum, et miserébitur nostri Deus noster! Sicut fúerit volúntas.

Ad Benedictus antiphona

Cum intráret Iesus in domum cuiúsdam príncipis pharisæórum sábbato manducáre panem, et ecce homo quidam hydrópicus erat ante illum. Ipse vero apprehénsus sanávit eum, ac dimísit.

Oratio, ut supra.

Ad sextam

Capitulum

Fratres! Sollíciti serváte unitátem spíritus in vínculo pacis! Unum corpus et unus spíritus, sicut vocáti estis in una spe vocatiónis vestræ. Deo.

Ad nonam

Capitulum

Fratres! Unus Dóminus, una fides, unum baptísma, unus Deus et Pater ómnium, qui super omnes et per ómnia · et in ómnibus nobis, qui est benedíctus in sæcula sæculórum, amen. Deo.

Ad Magnificat antiphona

Cum vocátus fúeris ad núptias, recúmbe in novíssimo loco, ut dicat tibi, qui te invitávit: amíce, ascénde supérius! Et erit tibi glória coram simul discumbéntibus, allelúia.

PER HEBDOMADAM

Lectio I.

Et post duos annos diérum, misit rex príncipem tributórum in civitatés Iuda. Et venit Ierúsalem cum turba magna, et locúsus est ad eos verba pacífica in dolo, et credidérunt ei. Tu.

Lectio

Et irruiit super civitátem repénte, et percússit eam plaga magna, et pérdidit pópulum multum ex Israel. Et accépit spólia civitátis, et succéndit eam igni. Tu.

Lectio

Et dextrúxit domos eius et muros in circúitu, et captívas duxérunt mulíeres, et natos et pécora possidérunt. Et ædificavérunt civitátem David muro magno et firmo et túrribus firmis, et facta est illis in arcem. Tu.

Lectio

Et posuérunt illic gentem peccatrícem, viros iníquos, et convaluérunt in ea. Et posuérunt arma et escas, et congregavérunt spólia in Ierúsalem, et reposuérunt illic, et facti sunt in láqueum magnum. Tu.

Lectio

Et factum est hoc in insídias sanctificatiónis, et in dolum magnum in Israel semper. Et effuderunt sánguinem innocéntem per circúitum sanctificatiónis. Tu.

Lectio

Et contaminavérunt sanctificatiónem, et fugérunt habitatóres Ierúsalem propter eos. Et facta est habitátio exterórum, et facta est éxtera sémini suo, et nati eius reliquérunt eam. Tu.

Lectio

Sanctificátio eius desoláta est, sicut solitúdo, dies festi eius convérsi sunt in luctum, sábbata eius in oppróbrium. Tu.

Lectio

Honóres eius in níhilum secúndum glóriam eius. Multiplicáta est ignomínia eius, et sublímities eius convérsa est in luctum. Tu.

Lectio

Et scripsit rex Antíochus omni regno suo, ut esset omnis pópulus unus. Et reliquérunt unusquísque legem suam. Et consensérunt omnes gentes secúndum verba regis Antíochi. Tu.

Lectio

Et multi ex Israel consensérunt ei, et sacrificavérunt idólis, et coinquinavérunt sábbatum. Et misit rex Antíochus libros per manus nuntiórum Ierúsalem, et in omnes civitátes Iudæ, ut sequeréntur legem géntium terræ. Tu.

DOMINICA DECIMA OCTAVA

Capitulum

Fratres! Grátias ago Deo meo semper pro vobis · in grátia Dei, quæ data est vobis in Christo Iesu, quia in ómnibus dívites facti estis in illo; in omni verbo · et in omni sciéntia. Deo.

Responsorium: Tua est poténtia.

Ad Magnificat antiphona



Da pacem, Dómine, in diébus nostris, quia non est álius, qui pugnet pro nobis, nisi tu, Deus noster!

Oratio

Dírigat corda nostra, quæsumus, Dómine, tuæ miseratiónis operátio, quia tibi sine te placére non póssumus.

Cetera, ut supra.

Lectio I.

Et sequénti anno congregávit Lýsias electórum virórum sexagínta mília, et équitum quinque mília, ut debelláret Israel. Et venérunt in Iudæam, et castra posuérun in Béthoron, et occúrrit illis Iudas cum decem mílibus virórum. Et vidérunt exércitum fortem, et orávit, et dixit: Benedíctus es, salvátor Israel, qui contrivísti ímpetum poténtis in manu servi tui David, et tradidísti castra alienigenárum in manus Iónathæ filii Saul et armígeri eius. Conclúde exércitum iustum in manu pópuli tui Israel, et confundántur in exércitu suo et in equítibus! Tu.

Lectio II.

Da illis formídinem, et tábefac audáciam virtútis eórum, et commoveántur contritióné sua! Déiice eos gládio diligéntium te, et colláudent te omnes, qui novérunt nomen tuum, in hymnis! Et commisérunt proelium, et cecidérunt de exércitu Lýsiæ quinquæ mília virórum. Tu autem.

Lectio III.

Videns autem Lýsias suórum fugam · et Iudæórum audáciam, et quod paráti sunt aut vívere, aut mori fórtiter, ábiit Antióchiam, et elégit mílites, ut multiplicátus rursus veníret in Iudæam. Dixit autem Iudas et fratres eius: “Ecce, contríti sunt inimíci nostri. Ascendámus nunc mundáre sancta, et renováre!” Tu.

Sermo sancti Augustíni

Lectio IV.

Si verum cogitémus, fratres mei, et secúndum verba Dei nostri sapiámus, áliter enim si sapuérimus, perímus; sic non ex nostro consílio, sed ex ipsíus vivámus! Si quid habémus, áliquid paupéribus demus! Si non dedérimus, hoc dimíttimus, aut forte eo vívimus. Quam multi enim súbito ómnia bona perdidérunt, quæ studiosíssime recondébant! Tu autem.

Lectio V.

Uno ímpetu hostíli univérsti thesáuri dívitum períerunt. Nemo hosti vel fíliis servet. Certe vidétis, quia si est in illis áliqua fides, de híis enim loquéndum est, quia cristiáni hoc passi sunt. Tu autem.

Lectio VI.

Nam de ignorántibus Deum nulla méntio est. Illi enim in hac vita, quod pro magno habébant, perdidérunt; ália vitam non speravérunt. Ténebræ foris, ténebræ intus, paupértas in arca · maior egéstas in consciéntia. Quid enim Dóminus noster Iesus Christus, quid dixit díviti illi · querénti consílium de capescénda vita æténa? Quid ei dixit, dixit ei: Perde, quod habes. Plane étiam, si hoc díceret: perde temporália, dicit, ut acquíras æténa. Tu.

Secundum Matthæum

In illo témpore. Convenérunt pharisæi in unum, et interrogávit Iesum unus ex eis legisdóctor, tentans eum: “Magíster, quod est mandátum magnum in lege?” Et réliqua.

Homélie beáti Ioánnis epíscopi.

Lectio VII.

Et interrogávit eum unus ex eis legisdóctor. Convenérunt, ut multitudíne víncerent, quem ratióne superáre non póterant. A veritate nudos se esse proféssi sunt, qui multitudíne se armavérunt. Dicébant enim apud se: unus loquátur pro ómnibus, et omnes

loquámur per unum, ut síquidem vícerit, omnes videámur victóres. Si autem victus fúerit, vel solus videátur confúsus. Tu.

Lectio VIII.

Pharisæi, qui ómnia propter hómines cogitátis et fácitis, primum quidem veniéntes cum uno, vincéndo estis per unum. Tamen pone, quia uno victo hómines non intélligunt omnes vos esse victos. Numquid consciéntiæ vestræ non séntiunt se esse confúsas? Levis est enim consolátio, cum quis in seípso confúsus est, quod ab áliis ignorátur. “Magíster, quod est mandátum magnum in lege?”

Lectio IX.

Magístrum vocat, cuius non vult esse discípulus. Simplicíssimus interrogátor · et maligníssimus insidiátor de magno mandáto intérogat, qui nec mínimum obsérvat. Ille enim debet interrogáre de maióri iustítia, qui iam minórem implévit. Dóminus autem sic ei respóndit, ut interrogatóris eius fictam consciéntiam · statim primo respónso percúteret, dicens: *Díliges Dóminum, Deum tuum in toto corde tuo*, id est non sicut tu, qui devotiónem osténdis in ore, et fraudem meditáris in corde. Tu.

Ad Benedictus antiphona



Magíster, quod est mandátum magnum in lege? Ait illi Iesus: *Díliges Dóminum, Deum tuum ex toto corde tuo, allelúia!*

Ad sextam

Capitulum

Fratres! Sicut testimónium Christi confirmátum est in vobis, ita ut nihil vobis desit in nulla grátia, exspectántibus revelatiónem Dómini nostri, Iesu Christi. Deo.

Ad nonam

Capitulum

Qui et confirmábit vos usque in finem sine crímine · in die advéntus
Dómini nostri, Iesu Christi. Deo.

Ad Magnificat antiphona



Quid vobis vidétur de Christo, cuius filius est? Dicunt ei omnes:
David. Dicit eis Iesus: Quómodo David in spíritu vocat eum
Dóminum, dicens: dixit Dóminus Dómino meo, sede a dextris meis?

PER HEBDOMADAM

Lectio I.

Et congregátus est omnis exércitus, et ascendérunt in montem Sion. Et vidérunt sanctificatióem desértam, et altáre profanátum, et portas exústas. Tu.

Lectio

Et in átriis virgúla nata, sicut in saltu, vel in móntibus et pastophória dirúta; scidérunt vestiménta sua, et planxérunt planctu magno. Tu autem.

Lectio

Et imposuérunt cínere[m] super caput suum, et cecidérunt in fáciem suam super terram, et exclamavérunt tubis signórum, et clamavérunt in cælum. Tu.

Lectio

Tunc ordinávit Iudas viros, ut pugnárent advérsus eos, qui erant in arce, donec emundárent sancta. Et [...] sacerdótes [...] voluntátem habéntes in lege Dei, et mundavérunt sancta. Tu autem.

Lectio

Et tulérunt lápides contaminatiónis in locum immúndum, et cogitávit de altári holocaustórum, quod profanátum erat, quid de eo fáceret. Tu.

Lectio

Et incidit illi consílium bonum, ut destrúeret illud, ne forte esset illis in oppróbrium, quia contaminavérunt illud gentes, et demolíti sunt illud. Tu.

Lectio

Et reposuérunt lápides in monte domus, in loco apto, quoadúsque veníret prophéta, et responderet de eis. Et accepérunt lápides íntegros secúndum legem, et aedificavérunt altáre novum secúndum illud, quod fuit prius. Tu.

Lectio

Et aedificavérunt sancta et quæ intra domum erant intínsecus et ædem, et átria sanctificavérunt. Et fecérunt vasa sancta nova, et

intulérunt candélabrum et altáre incensórum · et mensam in templum, et incensum posuérunt super altáre. Tu.

Lectio

Et accendérunt lucérnas, quæ super candélabrum erant, et lucébant in templo. Et posuérunt super mensam panes, et appendérunt vela, et consummavérunt ómnia ópera, quæ fecérunt. Tu.

DOMINICA DECIMANONA

Capitulum

Fratres! Renovámini spírítu mentis vestræ, et indúite novum hóminem, qui secúndum Deum creátus est · in iustítia et sanctitáte veritátis. Deo.

Responsorium: In hymnis et confessiónibus.

Ad Magnificat antiphona

Exténde, Dómine, bráchium tuum, et líbera ánimas nostras, ne pereámus!

Oratio

Omnípotens et miséricors Deus: univérsa nobis adversántia propitiátus exclúde, ut mente et córpore páriter expediti, quæ tua sunt, líberis méntibus exsequámur! Per.

Cetera, ut supra.

Lectio I.

In diébus illis. Misit rex Demétrius Nicanórem, unum ex princípibus suis nobilióribus, qui erat inimicítias exércens contra Israel, et mandávit ei evértere pópulum. Et venit Nicánor in Ierúsalem cum exércitu magno, et misit ad Iudam et ad fratres eius cum dolo, verbis pacíficis dicens.

Lectio II.


Non sit pugna inter me et vos, véniam cum viris paucis, et vídeam fácies vestras cum pace. Et venit ad Iudam, et salutavérunt se ínvicem pacífice. Et hostes paráti erant rápere Iudam. Et intónuit sermo Iudæ, quóniam cum dolo vénerat ad eum, et contérritus est ab eo, et ámplius nóluit vidére fáciam eius. Tu autem.

Lectio III.

Et cognóvit Nicánor, quóniam denudátum est consílium eius, et éxiit óbviám Iudæ in pugnam · iuxta Capharsálama, et cecidérunt de Nicanóris exércitu fere quinque mília viri, et fugérunt in civitátem David. Tu.

Lectio IV.

Ubi est, inquit Dóminus, thesáurus tuus, illic erit et cor tuum. Leva, inquit, cor in cælum, ne putrescat in terra. Consílium eius est, qui te vult serváre, non pérdere. Si ergo ita est, quómo modo pænitet eos, qui non fecerunt? Modo quid sibi dicunt? In cælo haberémus, quod in terra perdídimus. Invásit hostis domum, numquid invádit cælum? Occídit servum custódem, numquid occídere potest Dóminum Salvatórem, quo fur non accédit, neque tínea corrúmpit? Tu.

Lectio V.

Sequuntur benedictiones ad matutinum

IN PRIMO NOCTURNO

Pro prima lectione benedictio

V. Benedicóne perpétua benedícat nos Pater ætérnus!

R. Amen.

Lectio prima

V. Tu autem, Dómine, miserére nobis!

R. Deo grátias!

Pro secunda lectione benedictio

V. Unigénitus Dei Fílius nos benedícere et adiuváre dignétur!

R. Amen.

Pro tertia lectione benedictio

V. Spíritus Sancti grátia illúminet sensum et corda nostra!

R. Amen.

IN SECUNDO NOCTURNO

Pro quarta lectione benedictio

V. Deus Pater omnípotens sit nobis propítius et clemens!

R. Amen.

Pro quinta lectione benedictio

V. Christus perpétuæ det nobis gáudia vitæ!

R. Amen.

Pro sexta lectione benedictio

V. Ad gáudia paradísi perdúcat nos misericórdia Iesu Christi!

R. Amen.

IN TERTIO NOCTURNO

Ante homeliam dicatur:

EXÁUDI, Dómine, Iesu Christe, preces servórum tuórum, ad te devóte clamántium, et miserére nobis! Qui in Trinitáte perfécta vivis et regnas, Deus, per ómnia sáecula sæculórum. **R.** Amen.

Pro septima lectione benedictio

V. Sancti Evangélii léctio sit nobis sempitérna salus et protéctio!

R. Amen.

Pro octava lectione benedictio

V. Intelléctum sancti Evangélii adapériat nobis grátia et virtus Spíritus Sancti! **R.** Amen.

Pro nona lectione benedictio

V. Per evangélica dicta deleántur ómnia nostra delícta!

R. Amen.

Sequuntur benedictiones de beata Virgine

IN PRIMO NOCTURNO

Benedictio

V. Précibus et méritis sanctíssimæ Dei Genitrícis Vírginis Maríæ et ómnium sanctórum suórum perdúcat nos Dóminus noster, Iesus Christus ad regna cælórum! **R.** Amen

Benedictio

V. Alma Virgo vírginum intercédât pro nobis ad suum Fílium!

R. Amen.

IN SECUNDO NOCTURNO

Benedictio

V. Nos cum Prole pia benedícat Virgo María!

R. Amen.

Benedictio

V. Sancta Dei Génitrix sit nobis auxiliátrix!

R. Amen.

Benedictio

V. Stella María maris deféndat nos ab ómnibus malis!

R. Amen.

IN TERTIO NOCTURNO

Benedictio

V. Oret voce pia pro nobis Virgo María!

R. Amen.

Benedictio

V. Ab hoste malígno deféndat nos sancta Dei Génitrix Virgo!

R. Amen.

Oratio Orémus!

SÚSCIPE, píissime Deus, méritis beatíssimæ Vírginis Maríaë et ómnium sanctórum tuórum obséquium servitútis meæ, ut, si quid in his láudibus digne egi, propítius réspice, et, quod negligénte vel indevóte factum est, cleménte ignósce! Per Christum.

Sequuntur preces in Quadragesima, primo ad matutinum

V. Ego dixi: Dómine, miserére mei!

R. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi!

V. Convértere, Dómine, úsquequo!

R. Et deprecábilis esto super servos tuos!

V. Dignáre, Dómine, die isto;

R. Sine peccáto nos custodíre!

V. Miserére nostri, Dómine!

R. Miserére nostri!

V. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos!

R. Quemádmódum sperávimus in te.

V. Oculi Dómini super iustos.

R. Et aures eius in preces eórum.

V. Confiteántur tibi, Dómine, ómnia ópera tua!

R. Et sancti tui benedícant tibi!

V. Orémus pro Ecclésia sancta Dei!

R. Exsúrgat Deus, et dissipéntur inimíci eius, et fúgiant, qui odérunt eum, a fácie eius!

V. Orémus pro pastóre nostro!

R. Dóminus consérvet eum et omnes sibi commíssos!

V. Sacerdótes tui induántur iustítia!

R. Et sancti tui exsúltent!

V. Protéctor noster, áspice, Deus!

R. Et réspice in fáciem christi tui!

V. Dómine, salvum fac regem!

R. Et exáudi nos in die, qua invocavérimus te!

V. Salvos fac servos tuos et ancíllas tuas;

R. Dómine, Deus meus, sperántes in te!

V. Mitte eis, Dómine, auxílium de sancto!

R. Et de Sion tuére eos!

V. Salvum fac pópulum tuum, Dómine, et bénedic hereditáti tuæ!

R. Et rege eos, et extólle eos usque in ætérnum!

V. Fiat pax in virtúte tua;

R. Et abundántia in túrribus tuis!

V. Orémus pro ómnibus nobis bona faciéntibus!

R. Retribútor ómnium bonórum, Deus, retribuere dignáre ómnibus nobis bona faciéntibus propter nomen sanctum tuum in vita æténa, amen!

V. Pro iter agéntibus.

R. Vias tuas, Dómine, demónstra eis, et sémitas tuas édoce eos!

V. Pro navigántibus.

R. Exáudi nos, Deus salutáris noster, spes ómnium fínium terræ et in mari longe!

V. Pro pæniténtibus.

R. Delícta iuventútis eórum et ignorántias eórum ne memíneris!

V. Pro infírmis.

R. Mitte eis, Dómine, verbum tuum, et sanabúntur ab infirmitátibus eórum!

V. Pro afflíctis et captívis.

R. Líbera, Deus, Israel ex ómnibus tribulatió nibus suis!

V. Pro frúctibus terræ.

R. Dóminus dabit benignitátem, et terra nostra dabit fructum suum.

V. Pro fidélibus defúctis.

R. Réquiem æténa dona eis, Dómine, et lux perpétua lúceat eis!

V. Requiéscant in pace!

R. Amen!

V. Orémus pro peccátis et negligétiis nostris!

R. Dómine, ne memíneris iniquitátum nostrárum antiquárum: cito antíci pent nos misericórdiæ tuæ, quia páuperes facti sumus nimis!

V. Adiuva nos, Deus salutáris noster!

R. Et propter glóriam nóminis tui, Dómine, líbera nos, et propítius esto peccátis nostris propter nomen tuum!

V. Dómine, exáudi oratióem meam!

R. Et clamor meus ad te véniat!

Miserére mei Deus secúndum magnam **usque finem**: Laus tibi, Dómine, rex ætérnæ glóriæ!

V. Exsúrge, Christe, ádiuva nos!

R. Et líbera nos propter nomen tuum!

V. Dómine, Deus virtútum, convérte nos!

R. Et osténde fáciem tuam, et salvi érimus!

V. Esto nobis, Dómine, turris fortitúdinis;

R. A fácie inimíci!

V. Dómine, exáudi oratióem meam!

R. Et clamor meus ad te véniat!

V. Dóminus vobíscum!

R. Et cum spírítu tuo!

Preces ad primam

V. Vivet ánima mea et laudábit te.

R. Et iudícia tua adiuvábunt me.

V. Errávi sicut ovis, quæ périit.

R. Quære servum tuum, quia mandáta tua non sum oblítus!

Credo in Deum **secreto usque ad**

V. Carnis resurrectiόnem.

R. Vitam ætérnam, amen.

V. Et ego ad te, Dómine, clamávi.

R. Et mane orátio mea prævéniet te.

V. Repleátur os meum laude!

R. Ut cantem glóriam tuam, tota die magnitúdinem tuam!

V. Dómine, avérte fáciem tuam a peccátis meis!

R. Et omnes iniquitátes meas dele!

- V.** Cor mundum crea in me, Deus!
R. Et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis!
- V.** Ne proiicias me a fácie tua!
R. Et spíritum sanctum tuum ne áuferas a me!
- V.** Redde mihi lætítiam salutáris tui!
R. Et spíritu principáli confírma me!
- V.** Eripe me, Dómine, ab hómine malo!
R. A viro iníquo líbera me!
- V.** Eripe me de inimícis meis, Deus meus!
R. Et ab insurgéntibus in me líbera me!
- V.** Eripe me de operántibus iniquitátem!
R. Et de viris sánguinum salva me!
- V.** Sic psalmum dicam nómini tuo in sáeculum sáeculi.
R. Ut reddam vota mea de die in diem.
- V.** Exáudi nos, Deus salutáris noster!
R. Spes ómnium fínium terræ et in mari longe.
- V.** Deus, in adiutórium meum inténde!
R. Dómine, ad adiuvándum me festína!
- V.** Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus et immortalis.
R. Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, miserére nobis!
- V.** Bénedic, ánima mea Dómino!
R. Et ómnia, quæ intra me sunt, nómini sancto eius!
- V.** Bénedic, ánima mea Dómino!
R. Et noli oblivísci omnis retributiónis eius!
- V.** Qui redémit de intéritu vitam tuam.
R. Qui coronat te in misericórdia et miseratió nibus.
- V.** Qui replet in bonis desidérium tuum.
R. Renovábitur, ut áquilæ, iuvéntus tua.
- V.** Confírmet nos virtus Christi!
R. Amen!
- V.** Confitémini Dómino, quóniam bonus!
R. Quóniam in sáeculum misericórdia eius!

Sequuntur preces ad completorium

V. In pace in idípsum;

R. Dórmiam et requiéscam.

Credo in Deum **secreto usque ad**

V. Carnis resurrectiónem.

R. Vitam ætérnam, amen.

V. Benedicámus Patrem et Fílium cum Sancto Spíritu!

R. Laudémus et superexaltémus eum in sǽcula!

V. Benedíctus es, Dómine, in firmaménto cæli.

R. Et laudábilis et gloriósus et superexaltátus in sǽcula.

V. Benedícat nos Pater ætérnus!

R. Amen.

V. Confitémini Dómino, quóniam bonus;

R. Quóniam in sǽculum misericórdia eius!

Sequuntur suffragia sabbatis diebus per æstatem

Antiphona



Spes nostra, salus nostra, honor noster, o, beáta Trínitas!

Versiculus: Benedicámus Patrem et Fílium cum Sancto Spíritu! **R.** Laudémus et superexaltémus.

Oratio

Omnípotens, sempitérne Deus, qui dedísti nobis, fámulis tuis, in confessióne veræ fidei · ætérnæ Trinitátis glóriam agnóscere, et in poténtia maiestátis adoráre unitátem: quæsumus, ut eiúsdem fidei firmitáte · ab ómnibus semper muniámur advérsis.

Antiphona

Gloriándum nobis est, dilectíssimi, in cruce Dómini nostri, Iesu Christi, cuius venerándam celebrántes memóriam, súplices exorámus, ut in eiúsdem sanctæ Crucis virtúte super aram cordis sacrificium laudis offérre queámus.

Versiculus: Hoc signum Crucis erit in cælo. Cum.

Oratio

Deus, qui Unigéniti Fílii tui, Dómini nostri, Iesu Christi, pretiósó sáanguine vivíficæ Crucis vexíllum sanctificáre voluísti: concéde, quæsumus, ut qui eiúsdem sanctæ Crucis gaudent honóre, tua fácias ubíque protectióne gaudére. Per.

Antiphona

Ave, Mater misericórdiæ, pietátis et iustítiæ, miserórum miserére, ave, sacrárium Spíritus Sancti, ave, porta salútis ætérnæ, lux et vita ánimæ, peccatórum miserére!

Versiculus: Post partum virgo invioláta permansísti.

Oratio

Concéde, quæsumus, omnípotens et miséricors Deus, fragilitáti nostræ præsidium, ut qui sanctæ Dei Genítricis et Vírginis Mariæ memóriam ágimus, intercessiónis eius auxílio a nostris iniquitátibus resurgámus.

Antiphona

Gloriósí príncipes terræ, quómo in vita sua dilexérunt se, ita et in morte non sunt separáti.

Versiculus: In omnem terram exívit sonus eórum.

Oratio

Deus, cuius dextera beátum Petrum apóstolum, ambulántem in flúctibus, ne mergerétur, eréxit, et coapóstolum eius Paulum, tertio naufragántem, de profúndo pélagi liberávit: exáudi nos propítius, et concéde, ut ambórum méritis æternitátis glóriam consequámur!

Antiphona

Ave, beáte rex Stéphané, ínclýta spes gentis tuæ, ave, doctor et apóstole credulitátis nostræ, ave, spéculum sanctitátis et iustítiæ, per te Christo credídimus, per te in Christo salvémur, ora pro pópulo, intérvéni pro clero, ut nullus de tuis præda fiat hostis, allelúia!

Versiculus: Iustum dedúxit Dóminus.

Oratio

Deus, qui beátum Stéphanum, regem nostrum et confessórem tuum, terréni impérii glória et honóre coronásti, et sanctorum tuórum societáte sublimásti: præsta, quæsumus, ut quem Pannónia hábuit divínæ religiónis doctórem in terris, eum modo Ecclésia tua mereátur habére defensórem in cælis.

Antiphona

Ave, flos nobílium, sacrae stirpis vírgula, spéculum sublímium, sanctitátis régula, salve, spes humílium, sidus sine mácula, lucérna fidélium, rubens mundi rósula, valle candens lílium, pigmentórum célula, solámen flebília, prece nobis sédula, fer, Emeríce, præmíum, perpélle perícula!

Versiculus: Os iusti.

Oratio

Deus, qui beátum Emerícum, iuveníli flore niténtem, in sanctorum confessorum tuórum consórtium sublimásti: præsta, quæsumus, ut quem tibi fecísti esse devótum, eius apud te perpétuum sentiámus auxiliúm.

Antiphona

Fons æternæ pietátis, lux supérnæ veritátis, tibi, Christe, complacénte, Ladisláo nos tuénte, fac consórtes æternórum, te laudántes gaudiórum.

Versiculus: Ora pro nobis, beáte rex Ladisláe.

Oratio

Deus, qui beátum Ladisláum, regem nostrum et confessorém tuum, divérsis decorásti miráculis: tríbue, quæsumus, ut eius suffragántibus méritis ab ómnibus semper muniámur advérsis, et gáudiis perfruámur æternis.

Antiphona

Glória Christo Dómino, qui beátum Adalbértum episcopum suæ passiónis testem fecit, de cuius méritis et miráculis benedíctus Dóminus, allelúia.

Antiphona cottidiana

Beátus vir Adalbértus, claris ortus natálibus, piórum paréntum fílius, virtúte mícuit clarus.

Versiculus: Glória et honóre.

Deus, qui beátum Adalbértum, mártirem tuum atque pontíficem glória et honóre coronásti: concéde nobis, fámulis tuis, eius intercessióne et méritis · véniam cónsequi delictórum, et pérfrui gáudiis beatórum.

Antiphona

Omnes elécti Dei nostri, memorámini ante Deum, ut vestris précibus adiúti, mereámur vobis adiúngi!

Antiphona cottidiana

Omnes sancti Dei, oráte pro nobis semper!

Versiculus: Mirábilis Deus in sanctis, *et cetera.*

Oratio

Deus, qui nos ómnium sanctórum commemoratióne lætíficas: eórum, quæsumus, précibus et méritis fac nos ætérnæ salvatiónis præsídiis muníri, et concéde, ut eórum beátæ societáti mereámur coniúngi. Per.

Antiphona

Da pacem, Dómine, in diébus nostris, quia non est álius, qui pugnet pro nobis, nisi tu, Deus noster!

Versiculus: Fiat pax.

Oratio

Deus, a quo sancta desidéria, recta consília · et iusta sunt ópera: da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem, ut et corda nostra mandátis tuis dedita, et, hóstium subláta formídine, témpora sint tua protectiÓne tranquílla. Per Dóminum.

Suffragia in matutinis

Antiphona



Te invocámus, te adorámus, te laudámus, o, beáta Trínitas.

Versiculus: Benedicámus Patrem. *Oratio, ut supra.*

Antiphona



Adorémus Crucis signáculum, per quod salútis sumpsimus sacraméntum.

Versiculus et oratio, ut supra.

Antiphona



Petrus apóstolus et Paulus, doctor géntium: ipsi nos docuérunt legem tuam, Dómine.

Versiculus et oratio, ut supra.

Antiphona



Angélicis mánibus susceptus est Christi martyr, Adalbértus, et ídeo cum ángelis et archángelis dat laudem in excélsis.

Versiculus et oratio, ut supra.

Antiphona



Omnes sancti Dei, oráte pro nobis semper!

Versiculus: Mirábilis.

Oratio

Da, quæsumus, Dómine, fidélibus pópulis tuis ómnium sanctórum tuórum semper pia veneratióne lætári, et eórum perpétua supplicatióne muníri. Per.

Antiphona: Da pacem, Dómine, **ut supra.**

Psalmus, quod dicitur ad invitatorium

Psalmus 94.

Veníte, exultémus Dómino, iubilémus Deo salutári nostro, præoccupémus fáciem eius in confessiόne et in psalmis iubilémus ei; **Q**uóniam Deus magnus Dóminus et rex magnus super omnes deos, quóniam non repéllit Dóminus plebem suam, quia in manu eius sunt omnes fines terræ, et altitúdines móntium ipse cónspicit; **Q**uóniam ipsíus est mare, et ipse fecit illud, et áridam fundavérunt manus eius! Veníte, adorémus et procidámus ante Deum, plorémus coram Dómino, qui fecit nos, quia ipse est Dóminus Deus noster, nos autem pópulus eius et oves páscuæ eius! **H**ódie, si vocem eius audiéritis, nolíte obduráre corda vestra sicut in exacerbatióne secúndum diem tentatiónis in desérto, ubi tentavérunt me patres vestri, probavérunt et vidérunt ópera mea! **Q**uadráginta annis próximus fui generatióni huic et dixi: Semper hi errant corde. Ipsi vero non cognovérunt vias meas, quibus iurávi in ira mea: Si introíbunt in réquiem meam!

Glória Patri et Filio, **et cetera.**

De tribus regibus antiphona



Non recédet memória eórum, et nómina eórum requiréntur a generatióne in generatióne.

Versiculus

V. Collaudábunt multi sapiéntiam eórum.

R. Et usque in sæculum non delébitur.

Oratio

Deus, qui nos sanctórum confessorum tuórum Stéphani, Emeríci atque Ladislái ac aliórum sanctórum confessorum tuórum confessiõnibus gloriõsis circúmdas et prótegis: da nobis ex eórum imitatióne proficere, et intercessiõne gaudére! Per.

In matutinis

Patris sapiéntia, véritas divína,
Christus homo captus est hora matutína,
a suis discípulis et notis derelíctus,
Iudæis est vénditus, tráditus et afflíctus.

Ad primam

Hora prima Dóminum, ductum ad Pilátum,
falsis testimóniis multum accusátum,
in collo percútiunt, mánibus ligátum,
conspuéntes fáciem, ut est prophetátum.

Ad tertiam

« Crucifíge ! » – clámitant hora tertiárum,
illúsus indúitur veste purpurárum,
caput eius pléctitur coróna spinárum,
fert trabem in húmeris ad locum poenárum.

Ad sextam

Hora sexta Dóminus cruci conclavátus,
per torméntis sítiens, felle saturátus,
pendens cum latrónibus, cum eis deputátus,
siníster eum réprobat latro scelerátus.

Ad nonam

Hora nona Dóminus Iesus exspirávit,
 « Eli! » — clamans, ánimam Patri commendávit,
 latus eius láncea miles perforávit,
 tunc terra contrémuit, et sol obscurátus est.

Ad vespervas

De cruce depónitur hora vespertína,
 fortitúdo látuit in mente divína,
 talem mortem súbiit vitæ medicína:
 heu, coróna glóriæ iacet hic supína!

Ad completorium

Hora completórii datur sepultúræ,
 corpus Christi nóbile, vitæ spes futúræ,
 cónditur arómate, compléntur scriptúræ:
 iugi sit memóriæ mors hæc tuæ curæ!

Has horas canónicas cum devotióne
 tibi, Christe, récolo, pia ratióne,
 ut sicut tu passus es pœnas in agóne,
 sic labóri cónsonas consors sim corónæ.

Versiculus

V. Próprio Fílio suo non pepércit Deus.
R. Sed pro nobis ómnibus trádidit illum.

Oratio

Dómine Iesu Christe, Fíli Dei vivi, miserére nobis, pone amaríssimam mortem et passiónem tuam inter ánimas nostras et tuum treméndum iudícium, ne damnémur in ætérnum, et largíre dignéris vivis grátiam, defúntis misericórdiam, Ecclesiæque tuæ et regno pacem, nobisque vitam ætérnam, amen.

Absolutio excommunicati

Iuramento recepto per absolventem ab excommunicato, de parendo mandatis Ecclesiæ, virgam seu baculum in manu tenens, super eum genuflexo cum aliquibus virgæ percussionibus dicat psalmum: Miserére mei, Deus. Deus misereátur, cum Glória Patri ac Pater noster.

V. Salvum fac servum tuum.

R. Dómine Deus, sperántem in te.

V. Nihil proficiat inimicum in eo.

R. Et fílius iniquitátis non nocébit ei.

V. Esto, Dómine, turris fortitúdinis.

R. A fácie inimíci.

Dóminus vobíscum. Orémus.

Deus, cui próprium est miseréri semper, et párcere: súscipe deprecatióem nostram, ut hunc fámulum tuum, quem excommunicatiónis caténa constríngit, miserátio tuæ pietátis absólvat. Per.

Auctoritáte Dei omnipoténtis, ac beatórum Petri et Pauli apostolórum, eius, qua fungor · et Ecclésiæ suæ sanctæ, absólvo te ab excommunicatiónis vínculo, quo ex tali casu ligátus eras, et restítuo te communióni fidélium ac ecclesiásticis sacraméntis · in nómine Patris et Fílii et Spíritus Sancti, amen. Et præcípio, quod de cétero tália non commítas.

Finis breviarium de tempore et sanctis, etiam commune sanctorum per annum circulum · iuxta consuetudinem et ritum sacræ ecclesiæ Strigoniensis. Anno Domini MCCCCLXXXIII.